


EPITOME ANTIQUARII TRIPARTITI

SACRI ORDINIS EREMITICO-CAMALDULENSIS.

IN QUA,

PRINCIPIUM & PROGRESSUS

Hujus Sacræ Inſtitutionis, ac Irrelaxatus Primævæ Obſervantiæ Vigor.

UTI ET,

GLORIOSISSIMI PATRIARCHÆ ET FUNDATORIS DIVI

ROMUALDI,

Ac nonnullorum Ejusdem Sequacium Admiranda Vita, nec non Romualdinæ Congregationis (Montis Coronæ nuncupatæ) per

BEATUM

PAULUM JUSTINIANUM

Erectæ, Origo. Ac alia non pauca Profectui ſpirituali apprimè deſervientia ſuccinctè exarata, continentur.

OPERA & STUDIO

P. LADISLAI RADOSSÁNY E.C.M.C.

Neoſtadij Auſtriæ, Typis Samuelis Müller, Anno MDCCXXVI.

ADMODUM REVERENDO IN CHRISTO PATRI OBSERVANDISSIMO,

PATRI

EMERICO SZILLESSY,

Candidiſſimi Ordinis Eremitarum Camaldulenſium Montis Coronæ, Per Germaniam, & Hungariam Primo VICARIO GENERALI meritiſſimo.

SALUTEM, & FELICITATEM PERENNEM.



Lla, quam ſemper in votis gero Pater Obſervandiſſime, erga Te profundiſſima animi mei reverentia, atque in omni Clientalium ſervitiorum genere obſequendi aviditas, me admodùm ſtimulavêre, Opus hocce, in debitæ obſervantiæ ſymbolum, Nomini Tuo dicandum. Nec inexpectatum mirare munus; nam idipſum plenô titu-

lô jam dudùm Tibi vendicâſti. Cui namque Antiquarium Vitæ Eremitico-Camaldulenſis condigniùs offerri potuit, quam Tibi Patri Obſervandiſſimo, qui memor dierum Antiquorum Ordinis Noſtri, de laudabili Antiqua Patrum Noſtrorum Traditione, quidpiam innovari, grande nefas, & morte piandum ſemper exiſtimâras. VITAM quoque DIVI ROMUALDI Progenitoris, & Legislatoris Noſtri jure optimô Tibi obtulerim, quam Tu vivo Actionum Tuarum jam ab olim efformatam typô, non tam legendam quàm ex aſſe imitandam Tuis tradidiſti. Videbatur olim Theologo Cæſarienſi *Ars Artium, & Diſciplina Diſciplinarum homines regere :* & meritò. Tu ardua licet hac in Arte, vel in principio (cunctis mirantibus Nobis) probatiſſimum Temet exhibuiſti Magiſtrum. Enimverò, poſtquam biennalem egregius Athleta Chriſti Religioſi Novitiatûs exceſſeras Palæſtram ; iteratis vicibus, diverſarum Eremorum, Magiſterialem meruiſti Prærogativam. Cumque Reverendiſſimus ORDINIS Generalis intimiùs ingenitam Tibi regendi ſpectâſſet peritiam, primùm *Lanſérienſis*, deìn *Viennenſis*, ac demùm *Nitrienſis* Eremorum (renitentem licet) ultrò condecoravit *Prioratu.* Quo in

Mune-

Munere, illico exleges quasvis (*ut vidimus*) Inſtituto Noſtro adverſantes conſuetudines radicitùs amputare, & ut in Sacro Ordine Tuo regularis ad amuſſim ſervaretur Ordo: univerſam Rerum molem; juſtô Numerô, pondere, & menſurâ ordinanda inſtituiſti adeò; ut ſi quis ab exacta Eremiticarum legum obſervantia vel extremum apicem, aut Jota unum probaretur deflexiſſe, pro merito culpæ in eum seriò animadvertere haud cunctareris. Expertus id in Te non ſemel & Ipſe; cùm enim primordialibus in annis Converſionis meæ (*cæteris inſolentior*) Juvenili actus impetu Paternis Tuis Monitis nimiùm audax recalcitrarem: VIRGA juſtæ ſeveritatis Tuæ tamdiù in me deſævîſti, donec Obſervantiæ regulari collum me humiliter ſubdere impuleris. Nec tamen id ægrè ferebam; ſatiùs enim mihi cenſebam à Juſto pia ſeveritate corripi, quàm oleo Peccatorum malè conniventium perungi. *Bonum*, inquam, *mihi erat; quia humiliaſti me, ut* (cum Pſalte Regio) *cuſtodirem juſtificationes DOMINI, & legem ejus requirerem.* Eapropter cum ſubmiſſa gratitudine, curvatis genibus (*parvulorum more*) VIRGÆ Tuæ exoſculor ſummitatem: nam reverà *VIRGA Tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt* (Pſalm. 22.) Nondum finis; neque meta hìc

Digni-

Dignitatum Tuarum, Pater Obſervandiſſime! præcellentia namque Merita Tua adeò Orbi circumquaque inclaruêre Camaldulenſi, ut Hungariâ Virtutum Tuarum Amplitudini perangustâ, ad exteras ſe ſe Nationes gloriosè extulêre. In proximè namque celebrato Ordinis biennali Capitulo Generali (interventô quoque eatenùs providiſſimo feliciſſimè modò regnantis Auguſtiſſimi Imperatoris CAROLI VI. Decretô) Univerſorum cùmprimis in Te conſpirarunt vota Definitorum adeò; ut votis identidem vota ſuperaddere neutiquàm ſuperſederent, donec Te in Primum Nationis Germanicæ Generalem Vicarium ſublimatum; adeoque totius Provinciæ gubernacula moderantem, læti intuerentur. Quod ubi Deffinitoriali Tibi innotuiſſet paginâ: Legem Conſtit. 2. pag. 32. ſuper regulando Prælatorum Munio ſancitam, ut videlicet: *Prælatus, & quicunque aliis præfigitur, duplici doctrinâ verbi ſcilicet & exempli ſuos Diſcipulos pro viribus inſtruere conetur:* ſublimiori hac in Dignitate ad amuſſim implêſti. Praes namque *verbo: Dominus enim dedit Tibi linguam eruditam, ut ſcias ſuſtentare eum, qui*

laſſus

lassus est verbô, Isaiæ 50. Nec minùs præes & *exemplô*; multiformi etenim Heroicorum Actuum Tuorum operatione, ac præcellenti Morum Tuorum probitate, adeò Nobis in omni genere Virtutum præluxisti, ut Regula Fratrum, & forma gregis factus ex animo audenter dicere possis: *exemplum dedi vobis; ut quemadmodùm ego feci, ita & vos faciatis*, Joan. 13.

Quamvis Pater Observandissime, sexcenta alia illustrium Virtutum Tuarum specimina longâ serie hìc ennarrare quirem; subticeo tamen; quia modestissimi ad omnem sui Laudem verecundantis vultûs Tui rubore, ita jubeor. PYTHAGORICUM proîn (cum CAMALDULENSE non sat arctum) eatenùs ori meo pono Silentium. At sileam licet ego, Virtutes Tuæ, laude suâ, ac imitatione Posterorum dignissimæ, se sileri non patientur: *in omnem namque terram exivit Sonus earum, & in fines Orbis terræ verba earum.* (Psalm. 18.) Propterea meo, silente licet, in animo; *Semper Honos, Nomenque Tuum, Laudesque manebunt.*

Benignô

Benignô tandem Pater Observandissime, Opus hoc, non jam Meum; sed ex æquò Tuum, dignare Obtutu, ac ut præsentes Lucubrationes ubivis inoffenso decurrant pede, ab invidis EREMITICÆ VITÆ Osorum linguis, Paternâ semper Protectione tueâre, Meque pijssimo Affectu Tuo complecti ne dedignare. Qui sum, & vivam.

NOMINI TUO

Æviternùm Devotus

P. L. E. C. M. C.



FACULTAS
REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

LIber hic (cui titulus EPITOME ANTIQUARII TRIPARTITI Sacri Ordinis Eremitico-Camaldulenſis) *ſtudiô ac labore Reverendi Patris Ladislai Radoſſány, memorati Ordinis Aſſeclæ; ac Eremi Lánsérienſis in Ungaria Actualis Superioris, candidô apprimè ſtylô concinnatus, & à duobus Ordinis Noſtri Patribus reviſus, ut typis mandetur Facultatem impertimur; ſi ijs, ad quos ſpectat ità videbitur. In quorum Fidem præſentes manu propria, & ſolitô Sigillô Noſtrô firmatas extradedimus. Actum in hac Sacra Reſidentiali Eremo Noſtra Montis Coronæ in Italia. die 10. Martij 1726.*



D. IGNATIUS Eremitarum Camaldulenſium Montis Coronæ Generalis mpr.

)(CENSU-

CENSURA ORDINIS.

CUm in Opere, quod inscribitur EPITOME ANTIQUARII TRIPARTITI Sacri Ordinis Eremitico-Camaldulensis, *à R. Patre Ladislao Radossány, Eremita Camaldulensi, Congregationis Montis Coronæ, Actuali Superiore Eremi Lánsériensis, conscripto, Nihil, quod Veritati Fidei Orthodoxæ, aut bonis Moribus contrarium; sed magis Christianis animis, tùm illuminandis, tum accendendis, perutile contineatur: Dignum propterea censemus, ut laudabile hujusmodi Opus publicam lucem videat. Cujus gratiâ, has Literas manu Nostra firmatas, Sigilloque consueto munitas dedimus in hac Nostra Residentiali Eremo Sancti Josephi supra Viennam Austriæ. Die prima Martij Annô 1726.*



D. EMERICUS, Eremit. Camaldulens. Montis Coronæ, Vicarius Generalis Nationis Germanico-Hungaricæ.

D. BARTHOLOMÆUS E.C.M.C. Assistens Ejusdem Vicar. General.

CENSU-

CENSURA ORDINARIJ.

Cùm Liber hic intitulatus EPITOME ANTIQUARII, TRIPARTITI Sacri Ordinis Eremitico - Camaldulenſis *à pluribus perlectus & reviſus, nihil in ſe contineat, quod Fidei Orthodoxæ, aut bonis Moribus repugnet; ſed potiùs ex Nobilitate Materiæ ad ſectandas Virtutes & Vitia extirpanda, ſuaviter & fortiter diſponat: ac ipſe ſedulus Compilator hujus Operis Revtrendus Pater Ladislaus Radoſsány, Eremita Camaldulenſis Congregationis Montis Coronæ, Actualis Superior Eremi Lánsérienſis, prout ex adjacente Proteſtatione videre licet, nihil aliud intendat, quàm promovere Cultum* S. Patriarchæ ROMUALDI, *ac Amorem Vitæ Eremiticæ, nihil obſtare poterit, quîn prælo publico ſubjiciatur. Actum Neoſtadij Auſtriæ 18. Martij Annô 1726.*



JOANNES STEPHANUS KITTNER, Inful. Abbas ad B. M. V. Boccon. Vicar. General. Official. & Canonicus Neoſtadienſis. mpr.

PROTESTATIO AUCTORIS.

QUoad Elogia Sanctorum, & Beatorum Miracula, Visiones atque Revelationes, per omnia inhæreo continentiis Pontificiorum Decretorum, signanter: SS. D. N. felicis recordationis Urbani PP. VIII. nec ea alio sensu, à quoquam accipi cupio, quàm ipsa Sacra Sedes Apostolica, Constitutionibus superinde editis, accipienda decidit. Ac proinde Librum hunc, & universa in eodem contenta, Sanctæ Matris Ecclesiæ Judicio (ut verum ejus condecet Filium) plenè subjicio: Adeò; ut si vel verbum, in eo reperiretur, quod à sano; ac salutifero Sanctæ Rom. Catholicæ Ecclesiæ sensu discreparet; id præsenti Protestatione mea condemno, atque anathematizo, & ad eradendum illud semper expeditam gero dexteram. Si quid verò boni hoc in codice Lector benevole reperturus sis, Auctori bonorum omnium adscribito. Errata, si quæ offenderis, humaniter excusa. Judicium autem temerè ferre, te cautum facio: *Nam* (ut egregius æquitatis arbiter, jam olim è Tribunali declamavit Seneca) *qui statuit aliquid parte alterâ inauditâ, æquum licet statuerit, haud æquus erit.* Verborum interpres quisque suorum.

His vale Lector perhumane.

Hæc



Hæc dicit Dominus!

State ſuper vias, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis requiem Animabus veſtris. Jer. 6. n. 16.

PROEMIUM.

POſtquàm Regum potentiſſimus, Rerumq́ue peritiſſimus SALOMON, arcanô Sapientiæ ſuæ indagine cuncta creata ultrò citroq́ue quàm accuratiſſimè ſcrutanda inſtituiſſet; ac propterea Bonorum, & Malorum (non vano absq́ue omine) probam facturus Sapientiæ 2. 4. Opera ſua magnificâſſet: de univerſis, ad informandam poſteritatem, ſenſum ſuum Orbi palàm facere decrevit. Qua in re, ipſe ſibi teſtis, Eccleſiaſtici Cap. 2. *Coacervavi mihi*, inquit, *argentum*, & *aurum*, & *ſubſtantias Regum ac Provinciarum. Et omnia, quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui meum cor, quin omni voluptate frueretur*, & *oblecta-*

lectaret se in his, quæ præparaveram : & hanc ratus sum partem meam. Cumque convertissem me ad universa opera mea : comperi, & vel invitus assentiri sum coactus Sapientiæ I. 10. NIHIL SUB SOLE NOVUM, *nec enim valet quisquàm dicere : ecce hoc recens est ; jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.* Vera sunt hæc omnia Lector humanissime ; quia Veritatis æternæ testimoniô firmata ; nec à quoquam sanæ mentis in dubium vocari posse. Ætas nihilominùs nostra (O insipientiam) Sapientum Sapientissimo Salomone plus autumans sapere, ausu temerario tanti ORACULI effato controvenire haud veretur, inquiens : EST SUB SOLE NOVUM. Miramur id, & non parùm admiramur. Pro contestando nihilominùs hocce NOVIZANTIUM axiomate, non erit revera nobis necessum peregrinarum Regionum cum discrimine Vitæ finitimas perquirere Oras ; nec exteras discursando propterea petere Provincias : si vel parumper intra Patrios Lares, quosdam Status, & Ordines curiosiùs contemplari libuerit, reperiemus omni procul dubio, & luce clariùs vanè aliàs decantati axiomatis proba elucebit, quòd videlicet : in perquirendis quibusvis Novitatibus (haud parvo absque dispendio substantiarum) omnis ætas, & sexus sine intermissione etiamnùm desudet adeò ; ut nihil jam indigniùs autumet, quàm laudabili semet ANTIQUITATI conformare. Vulgarem, & perniciosum hunc Ævi Nostri errorem, tam in Politico, quàm & Regulari statu passim grassari, subsequenter demonstrabo.

PARS



PARS PRIMA.

§. I*mus.*

Quantùm Antiquitas præſtet Novitati.

REceptum illud vetus Ungarorum proverbium quotidiano vulgi circumfertur ore: *Obiit Rex Matthias, & perijt Æquitas.* Subnectit quidam, & ait: *Obijt Rex Matthias, & interijt Antiquitas.* Nec abs re, Glorioſiſſimum enim hunc ſimul & æquiſſimum Ungarorum Regem, adeò Patriarum Antiquitatum, & reducendarum veterum conſuetudinum Zelantem fuiſſe ferunt; ut quosvis antiquæ legis prævaricatores ferrô, & igne ulciſci minimè dubitaret. Et exinde REGNUM hocce MARIANO-APOSTOLICUM primæva ſua felicitate, & rerum omnium affluentiâ, magnô REGNICOLARUM emolumentô, Vicinarumque PROVINCIARUM ſumma cum admiratione, reflorebat. At hodie ſplendida illa; ſed execranda, Teutonicæ Gentis Miſeria *NAIMODI*, id eſt: *Conſectatio Novitatum*, in REPUBLICA quoque noſtra in tantùm circumquaque

invaluit, ut ob id plurium Præpotentum REGNICOLARUM Noſtrorum, aurô, & Argentô turgentiâ olim ÆRARIA, penè exhauſta lugere cogamur.

O infelicia ætatis Noſtræ tempora! Quanta nunc, DEUS bone! non ſolùm in Palatiis Magnatum, ſed & in Ædibus quorundam Nobilium, inolevit abuſio. *Ingredere*, ſi lubet, Lector benevole (manuductore Sancto Bernardino Senenſi) *Eorum Curias*, *& perquire cubicula*, *& thalamos*, *ac intuere picturas Vanitatum*, *fœda Monſtra Novitatum*, *abusuſque ſtructurarum*. Circumſpice, & contemplare ibi novarum veſtium ſuperfluitates: hìc videbis indumenta pro feriatis diebus, ibi pro mediocribus feſtis: hic pro ſolemnitatibus certis, ibi pro celebrioribus cunctis. Reperies ibi veſtimenta ſericea, quædam Aurea, quædam Argentea: quædam acu picta; quædam floribus exſuta: quædam æſtiva, quædam hyemalia: quædam diurna quædam nocturna: quædam retorta, quædam diſtorta: quædam lata, quædam ſtricta: quædam curta, quædam caudata, quædam cum alis magnis, quædam cum manicis ſtrictis, quædam ſine manicis ullis. O ridendas Fatuitatis potiùs, quam Novitatis ineptias! Videtur certè jam olim hos præfiguràſſe David in Perſona CHRISTI ore Prophetico loquens: *Dimiſi*, inquit, *eos ſecundùm deſideria cordis eorum*, *ibunt in adinventionibus ſuis* Pſalm. 80.

Ducit quis uxorem moderno rerum ſtatu formâ decoram, *magna ſit lætitia*, *magnus ſit ornatus*, *& apparatus multus ita ſupra citatus Auctor de Delicijs* Cap. 2. Quæ ſi Vicinâ ſuâ inferioris ſit conditionis, invidiâ mota, ſe illi in indumentis æquiparare ſtudet. Sinècontra æqualis ſit genere, & divitiis, donec non ſuperat iſtam in Novitatibus vanis, nunquàm

nunquàm mente quiescit, nec unquàm Maritum in pace permittit. Alia nobilioribus orta Natalibus, sublimis divitiis, mente inflata, corpore elata, si cunctas non superat in immensùm fœminas, *magnam injuriam se reputat facere Creatori*, ait S. Bernard. Nec statui suo convenienter se vivere autumat.

Si casu Maritus, quandóque propter indigentiam, aut penuriosa tempora, vel nonnunqàm propter conscientiam minùs assentit, perdita sunt omnia, lugens lamentationibus oberrat fœmina, præ ira satiari non potest Dalila. *Heu me*, inquit, *infelicem! nuptui tradita sum, maledicta hora! Illa ornatior procedit in publico, NOVA MODA ejus fulget in vertice. Ego misella heu, heu despicior in consortio fœminarum!* Denique tot molestiis, & importunitatibus devictus Maritus, cogitur condescendere postulatis. Si pecuniæ præstò non sunt, mutuô accipit, sub usuris gravia debita subit, fundos, & agros inhypothecat, imò per sæpe hæreditarias suas quóque Possessiones jure perpetuô abalienat. Si demùm his deficientibus Uxor, non ampliùs superstitiosas novarum MODARUM Vestiunculas muliebri sua factione obtinere potest: *Cuncta Mariti Bona decimat, de omnibus, quæ sunt in domo furatur, cumulatque denarios ut vano suo desiderio satisfaciat.* Quid gloriaris O Mulier perversissima in Malitia, Novitate, & Vanitate tua? Nunquid cum Esau hæreditatem tuam pro lenticula Vanæ Novitatis in manifestum præjudicium successorum tuorum alienare licet? O Impudentiam! *pudet* hodie Damicellas *quasdam*, ait Tertulianus, *etiam Nationis suæ, quod non Germanæ, aut Gallæ sint procreatæ.*

Sed quid, amabo, amice Lector, in tantùm unà mecum evanidas fœminarum miraris ineptias, in quibus *oblongum Capillicium* (ut vulgus loquitur) *rectæ rationis decurtat judicium?* admirare potiùs nonnullorum Virorum (Nabuchodonosoris Regis ad instar) effæminatum animum: *eam namque* (attestante Drexelio Cap. 1.) *jam ætatem vivimus, quâ Viri paulatim fœminæ fiunt & veste & crinibus.* Toties enim hodie Maritus vestes in peregrinos aptat ritus, quoties Vetulæ suæ per NOVAM MODAM insanire libet. O Viri, qui caput Mulieris estis! *nescitis quidquàm neque cogitatis* Joannis 11. Quantam vobis ruinam causant fœminæ vestræ Novitatibus suis absorptæ, nec reminiscimini ex reiteratione variata, & variatione iterata NOVARUM MODARUM summum vobis subsequi dispendium substantiarum. Nî quid respicerem, illud certè Scripturæ palàm in vos detonarem: *Multi dementes facti sunt propter Uxores suas.* Esdr. libr. 3. 4. Videmus namque; & lamentabili in dies discimus experimentô, qui prius complures Curias Nobilitares, Prædia, & Possessiones haud exiguas, imò amplissima possedêre Dominia, ad extrema ferè esse redactos. Quæ omnia, non ita pridem (*teste Drexelio*) Nominatissimus quidam Urbis detexit Senator, dicens: *Se, suosque Cives occultâ, sed ambitiosa incredibiliter laborare paupertate, adeò; ut si cui Civium mille antea floreni fuissent, jam nec centenos superesse. Sicque omne auri pondus, & pecuniarum in arcas vestiarias NOVARUM MODARUM abivisse.* Et certè, qui olim cum Divite induebantur purpurâ & byssô, & epulabantur quotidiè splendidè: occinebantque sibi Cap. 12. apud Lucam Evangelistam; *Anima habes multa bona posita in annos plurimos;* Barathro Novitatum absorpti, circumspicientes ad ultimùm, *nihil invenerunt omnes hi Viri Divitiarum in manibus*

suis

ſuis. (Pſalm 75.) Seriò tandem, ſed ſerò lamentantur hi omnes (ſuper irreparabili Bonorum ſuorum jactura,) cum Davide: *infixi ſumus*, inquit, *in limo profundi* (Mundialium NOVITATUM) *& non eſt* ampliùs *ſubſtantia.* In quibus ad unguem verificatur illa Divinæ ultionis comminatio, jam olim per Sophoniam Prophetam Cap. 1. & 3. decantata: *Viſitabo*, inquit, *ſuper Principes, & ſuper Filios Regis, & ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina. Effundam ſuper eos indignationem meam, omnem iram furoris mei.* Æquum proinde, & condignum foret, tandem vel ſcripturæ ſacræ aurem dare præcipienti (Proverb. 22. v. 28.) *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.* Longe nihilominùs in præſentiarum alia ſpectare eſt, apud nonnullos Statûs Politici Sectatores, & Regni Noſtri Indigenas, poſtpoſito enim Patrum, & prædeceſſorum ſuorum Patriô vivendi, ac incedendi More, peregrinis Nationibus, tam in modo vivendi, quàm in quovis veſtitûs genere, prœpoſterè ſe ſe accommodare gloriæ ſibi ducunt. Hinc non mirandum, quòd dilecta Patria Noſtra, olim meritò Regnorum Domina nuncupata, in tot exoticas NOVIZANTIUM ſubdiviſa conſuetudines, amiſſo Avito decore ſuo, miſerè deſoletur. Modo namque (ut cunctis palam eſt) nihil bonum; niſi peregrinum, nihil Pulchrum, nî ſit extraneorum phalerata NOVITATE adulteratum. Quo ex fundamento, haud vanè augurabatur olim Seneca, *Novitates, ac veſtium luxum labentis Reipublicæ ſigna & prænuntia eſſe.* Super quo non abſimiliter commentatur & ipſe Drexelius, *Neminem*, inquit, *egenum eſſe, cum ſuperbarum veſtium negotium agitur.* Supplicant pauperes? *non ſuppetunt nummi.* Corpus NOVARUM MODARUM veſtibus ornari poſtulat? *jam abundamus.*

damus. Opem pecuniariam rogant amici? *jam pridem ipſi egemus.* Novitas veſtium de Gallia, aut Hiſpaniarum finibus allata eſt? *jam turget Marſupium.* Cùm tamen plerumque contingat; ut quis in veſte ſe jactet, quam adhuc Sartori, & Mercatori debet. O cæca igitur, & ingrata Pannonicæ Gentis ambitio! Quæ nihil minus, quam laudabilis antiquitatis jura curat, nihil plus quam damnabili Novitatum adinventione delectatur. O deploranda Ævi Noſtri viciſſitudo! O damnanda nimis, & ultimam usque thulen ablegenda legum antiquarum oblivio.

Hem Religioſe Lector! attonitus memet ſtupeo, ab aſſumpti operis mei ſcopo eò deflexiſſe! id citra intentum proprium factum eſt, nec aliter, velim, tibi perſuaſum habe. Veniam dabitis, & Vos DOMINI POLITICI, quòd iſthæc, parùm fors politicè, paginæ præſenti inſeri fecerim. Regredior, imò recurro velox, & num Status Regularis præſcito ſapientis effato, NIL SUB SOLE NOVUM, in quopiam diſcrepet, impiger perſcrutabor.

Sed proh dolor! vel in limine disquiſitionis meæ à nonnullis Regularibus plenis buccis decantari audio EST SUB SOLE NOVUM. Super quo lachrymantibus pupillis quærulari cogor cum Sancto Bernardo apud Guilielmum Abbatem: O Patres Venerandi! videte ruinam, quâ premimur, & videntes tantæ deſolationi compati ne dedignemini. *Jam enim per ſubreptionem Novitatum non ſolùm Religionis antiquæ virtutem amiſimus, ſed vix ſpeciem retinemus.* O tempora! O mores! Ulteriùs in Operibus S. Bernardini Senenſis poſt fuſiorem ſuper Regulari Vita diſceptationem Mundi, & Religionis: hæc à Mundo Regularibus haud vanè objecta lego.

Anti-

ANtiquis temporibus Regularis Vita
Mirandis Virtutibus erat insignita,
Contenta radicibus, & pilis vestita
Sed ut patet omnibus, modò non est ita.

Degebant in abditis suis primitivi,
Erant pleni meritis cordis excessivi,
Plenè nunc advertimus, quod derivativi
Ab eorum semitis sunt valdè declivi.

Nam cum prodire videris Abbates istorum,
Vadunt cum tot phaleris, & turmis equorum,
Et cum tot armigeris, & turba Cursorum
Principes hos dixeris, & Duces Castrorum,
Non Patres putaveris Monasteriorum.

O utinam falsò isthæc à Mundo, & Mundicolis nobis appingantur! Quæ omnia intimiùs contemplando Tritemius illius temporis, gemma Abbatum titulatus, exclamat: *Heu! heu! defecerunt præ lachrymis oculi mei, super contritione*

 Ordi-

Ordinis mei! Devotio Monaſtica tepuit, honeſtas regularis diſciplinæ ut plurimùm defecit. Heu lugentem me nemo deſpiciat, dolorem meum nemo incuſet, quin potiùs ſuper hoc (pergit ulterius) *O Patres lamentum aſſummite; ſi fortè convertatur DEUS ad veniam, & relinquat poſt ſe benedictionem.*

Rectè ad propoſitum Noſtrum Verſificator quidam ipſum Divum Benedictum plurium Congregationum Patriarcham Sanctiſſimum, pro Religione ſua in hunc modum deprecantem, non inconcinnè introducit,

Maxime Rex patent Cœlum cui terra fretumque,
Omnia qui nutu, dasque regisque tuo.
Cernis ut adverſis agitetur fluctibus omnis
Religio, & nullo milite fulta cadat.
Ille meus quondam teneris bene cultus ab annis
Quò fugit antiquæ Relligionis honor?
Quemque ego tam lata moriens ditione reliqui,
Ordinis heu noſtri, dic mihi fervor ubi?

O bone Paſtor Ovium, & vigilantiſſime Gregis tui Archimandrita Dive Benedicte! quærulofam nimis perſonare audio vocem tuam; ac propterea lachrymanti tibi, toto illachrymor corde. Audio inquam, & cognoſco vocem hanc eſſe Paſtoris, nam & ego Ovis tua ſum, tua; quia in Benedicti gregis tui vota, ritu ſolemni juravi. Deſine proinde Pater ſancte, iterum precor deſine ſuper lachrymabili (ut peroras) Ordinis tui ſtatu tam quærulofa fundere metra; meliora annuncio! Miſeratione namque Divi-

na floret, imò (ut aptiùs loquar) refloret, ipsa primæva sacratissimi Ordinis tui observantia, in sacro Monte Pannoniæ, sub Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Archi-Abbate tuo BENEDICTO SAIGHÓ, honorem Patris sui plurimùm Zelante: ita quidem; ut neque in vitæ austeritate, neque in districta Religiosi cultûs custodia (*oculatus horum testis ego*) memorata Archi-Abbatia quidquàm amisisse videatur.

In hujus Zelosissimi Filii tui laudes, nonnihil excurrere tentarem, nî mihi ejusdem admiranda submissio, & rarissima simul, ac pretiosissima (*Abbatum virtus*) Modestia, id vetaret. In summa, ingenuè & hoc fateri debeo, & lubens fateor, Virum hunc Regnotenùs laudatissimum, collaudare me prorsus incapacem deprehendo. Dignus proninde est Sanctissime Pater titulatus Dominus BENEDICTUS Archi-Abbas, qui à te Sanctissimo Legislatore Nostro BENEDICTO, omni Benedictione Paterna benedicatur.

Sed ut ad primordialia Nostra revertamur, audiamus iterum Tritemium tùm doctrinâ, tùm zelô sui Ordinis Abbatem clarissimum in libro suo Penthico candidè (ut solet) disserentem: *Multa*, inquit, *Cœnobia Regularibus fundata conspicimus, ubi præter nomen, & habitum vix ullum regularis Disciplinæ vestigium videmus.* Super quo iterum commoventur viscera mea, & penè tabescit in me anima mea. Nam cùm antiquum quorundam Regularium observantiæ vigorem, ac Religiosœ Perfectionis decorem, cum flebili eorundem præsenti statu confero, super desolatione, quæ Novitatum

 adin-

adinventione causata censetur, attonitus hæreo, ac ruinæ, quam patiuntur, vehementer condolens vel gemebundus quæro: Eheu quò abiit tam sancta in veterum Patrum fundata Perfectionis Schola? quò recessit nascentis Ordinis ignita charitas? quò desiit antiquorum Anachoretarum admiranda austeritas? quæro inquam, teque respondere cupio: at vice responsi, *suspirare te solum audio*, & meritò. Nisi enim toties reformata, & ad antiquam regularem observantiam reducta fuisset Regularium progenies, nisi, inquam, tot Instauratores habuisset olim Monastica Institutio, Regula ejus proculdubiò jam dudùm abolita foret. Et quæ, amabo, causa tantæ desolationis Domûs DEI? non alia sanè, nisi Sanctæ ANTIQUITATIS incuria. Non parùm proinde laudanda est CAMALDULENSIS RELIGIO Nostra, quæ semper antiquæ Observantiæ æmulatrix vera, atque primæ Institutionis tenacissima observatrix ad præsens perduravit: nec aliquandò suum rigidum nimis Institutum, temporum, locorum, ac personarum habita quavis ratione mitigâsse, moderasseve noscitur; quin potiùs in tot sæculorum curriculis, in tam multiplici rerum varietate, Patres Nostros semel arrepti Propositi, pertinaces fuisse observatores, in comperto habemus.

Quarè consentaneum censui modò fatæ Religionis Nostræ (pro modulo capacitatis meæ) Principium, & Progressum compendiosâ, eaque veridicâ narratione perstringere: ac hujusce Religionis Sanctissimi INSTITUTORIS, compluriumque ejusdem Sequacium, præcelsas virtutes, consimili stylô exarare.

§. II.

§. II.

De triplici Institutione Ordinis Camaldulensis, & Eremorum Ungariæ Fundationibus.

ORDO CAMALDULENSIS tres continet Religiosorum species ipsos videlicet Eremitas, qui in Sacra Eremo, in finibus Tusciæ per Divum adhuc ROMUALDUM fundata, resident: quæ Eremus ab ipso fundationis suæ principio, in hunc usque diem in sua primæva Institutione, jugi perseverantiâ, constantissima mirabiliter permansit; imò cursu temporis, magis ac magis adaucta, roborata, atque stabilita reflorescit.

Secundò. Congregatio Monachorum Camaldulensium, *Sancti Michaëlis Murani* dictorum; hæc quoque ab ipso Sanctissimo Patre Nostro ROMUALDO specialiter pro cura Animarum, est erecta. Quorum salutare Institutum, in observantissimam Societatem redactum maximè floret in Italia, & indies Monasteriis, & alumnis mirum in modum augeri dignoscitur, adeò; ut non tantum Tuscia, & Æmilia Camaldulensibus Monachis reflorescat, sed etiam tota propemodùm Italia, nec mora, usque in Galliam Cis-alpinam, mediteraneasque Insulas, Sardiniam, & alias Provincias extenderit hæc vitis sanctissima palmites suos. Nam & Venetiarum præcelsum Dominium, non uno, aut altero Monasterio, sed tribus voluit suam amplissimam Urbem deco-

decorari. Tanta denique DEUS Omnipotens prosperitate, totque beneficiis Familiam istam, intus & foris candidam, prosecutus est, ut inter alias sui Ævi Religiosorum Congregationes, ampliùs sancto decore refloruerit. In qua vitæ perfectione, tanta fuit in ea constantia, seu perseverantiæ fortitudo, utper annos septingentos, & eò amqliùs laudabiliter, ac sine macula prævaricationis processerit. Differunt à Nobis Eremitis in eo, quòd ipsi carnibus (*quæ Nobis vigore Constitutionum perpetuò vetitæ sunt*) vescantur, vitam mixtam agentes curæ Animarum sedulò incumbunt.

Tertia Congregatio, est Eremitarum S. Romualdi Montis Coronæ per Beatum Paulum Justinianum sacræ Eremi Camaldulensium Generalem erecta. Quæ licet supra laudatis duabus Congregationibus tempore posterior existat, regulari tamen observantia, & Vitæ austeritate, Eremorum pluralitate, ambas supereminet. Magna ergo laude meritò extollenda est, hæc sacra Montis Coronæ Institutio, quæ tales semper sanctitatis cultores aluit, qui per tot annorum spatia continua successione primævum sanctorum Patrum Institutum inconcussè custodierunt, ac sancti Romualdi Pro-legislatoris sui, ferventiumque Discipulorum suorum vestigia fideliter calcârunt. Siquidem hæc Camaldulensis Societas, ab ipso erectionis suæ primordio immobilis, constans, & integra in sua primæva institutione jugiter perduravit. Unde hujus Congregationis Eremitæ quotidiè convenientes in unum ante Aram Deiparæ, præmissis Litaniis Lauretanis in hunc modum orare consueverunt. *Amabilissima Virgo Congregationis Eremitarum Camaldulensium Mater, & Protectrix, qui in tua protectione militant, ac favore tuo regularem Disciplinam observant: Memento hujus minimæ Congregationis*

nis

nis tuæ, quam possedisti ab initio; eam promove, & conserva, nosque, ut clientes tuos respice, Paupertate, Castitate, & Obedientiâ conspicuos efficias, & ab omni malo, præsertim RELAXATIONIS defendere digneris. Mediatrix nostra, Advocata nostra, cuncta hæc pro nobis intercede à Filio tuo dilecto, Domino nostro JESU Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto, vivit, & regnat DEUS in sæcula sæculorum. Amen. Nec id sine effectu; nam in solida semel cœpti rigoris jugi observatione (Magistra, & adjutrice Virgine MARIA) fidelissimè persstiterunt hi Camaldulenses Eremitæ Montis Coronæ.

Huic Congregationi, tres quoque Eremi in Ungaria ad præsens erectæ, subsunt; quamvis, *ut meminit Synodus Pazmaniana*, olim Ordo Camaldulensis, adhuc sub sancto Stephano Rege, Regno huic incorporatus, complura loca habuerit in Ungaria, quæ omnia, proh dolor! per Bellorum injuriam, & Turcici Martis tyrannidem, in cinerem sunt redacta. Placuit tandem, DEO inspirante, Excellentissimo, ac Reverendissimo Domino BLASIO JAKLIN, Episcopo Nitriensi, Locique ejusdem, ac Comitatûs perpetuo Comiti, & Ungarico-Aulico Cancellario, memoratum Ordinem nostrum denuò in suprafatum Regnum reinducere. Qui primus Eremum Zobriensem supra Nitriam, in loco amænissimo, situatam piâ munificentiâ circa annum Domini 1691. fundavit; taliterque impetratô superinde etiam Regiô Consensu, nos eodem loci perpetuò mansuros stabilivit. Insuper Ordo Camaldulensis occasione Diætalis Concursûs in anno 1715. Posonii habiti, ad demissam per nos eatenùs coram Statibus, & Ordinibus factam Instantiam, in hocce Regnum Hungariæ, Partesque eidem annexas, articulariter est receptus. Omissis aliis mentionatæ Eremi memorabili-

bilibus Actis, & præclaris Incolis: unum præterire nec debeo; nec„ volo, Patrem, videlicet, condam Joannem Chrysostomum Urminy, dictæ Eremi complurium annorum Priorem dignissimum. Præfuit igitur piissimus hic Pater memoratæ Eremo Zobor calamitosis disturbiorum temporibus, ubi jam Eremus expilata; jam gravissimis Infidelium incursionibus nimium quantùm exagitata divexabatur; quin imò ipse quoque ab impiis oberrantibus Militibus sæpiùs durissimè est habitus. In hac tamen lachrymabili rerum facie, inconcussæ pietatis, & constantiæ animum ad Superos continuò erigebat: Unde nec auxiliô Divinô eundem unquàm frustratum testantur etiamnùm tot per ipsum funditùs erecta ædificia, quæ in tanta pressura, & angustia temporum, de Benefactorum solùm sollicitè conquisita ope, laudabiliter perfecit. Id certè, quod olim de Moyse dictum est: *hic est fratrum amator, qui multùm orat pro populo, & universa sancta Civitate Jerusalem*, rectè applicaverim„ Venerando in CHRISTO condam Joanni Chrysostomo Urminy, qui re veraa deò filiorum Patriæ extitit amator, ut nullis laboribus; nec gravissimis quibusvis obviis fatigiis cedendum ratus, quoadusque Novitiatum, pro Natione Ungarica Romæ apud Sacram Congregationem elaborâsset; ac in Eremo Zobor, cum fructu multarum animarum, erexisset. Fuit Vir proculdubiò in se religiosissimus, & in observantia regulari exactissimus. Ad Fratres sibi subjectos charitativus, ad sæculares humanissimus, erga intervenientes maximè hospitalis, verbô, omnibus omnia' factus. Reverà, nos omnes Ungaricæ Nationis Eremitæ, huic uni Viro debemus adeptam religiosæ Vitæ felicitatem: Nisi enim ipse superatis innumeris difficultatum obicibus, post varia laudabiliter præstita publica Religionis opera, Eremum Zobriensem Novitiatu

tiatu condecorasset, Nationi Ungaricæ, in Religionem nostram, præclusam viam etiamnùm doleremus. Quarè in perennem tanti Beneficii gratitudinem, quotidianis suffragiis piissimi ejusdem Patris, & Parentis nostri jugiter memores simus.

Secunda Eremus, prope Arcem Lansér Comitatu Soproniensi, supra altissimum Montem, locô sanissimô in mera petra sumptuosissimè est ædificata. Eremus hæc per piissimæ reminiscentiæ Celsissimum condam S. R. I. Principem, & Inclyti Regni Ungariæ Palatinum PAULUM ESTERHASY circa annum Domini 1700. fuit fundata, quæ, ob prææmaturam piissimi Fundatoris nostri interventam mortem, nondum est ad perfectionem deducta.

Tertia Eremus, vulgò RUBRUM CLAUSTRUM, Comitatu Scepusiensi, abstrusa quidem in valle, sed vel ipsa loci constitutione omnem pietatem, & sanctitatis odorem redolente, est situata. Locus maximè solitarius, adeoque Eremitarum Camaldulensium Instituto aptissimus, ac ejusdem Instituti sectatoribus omnibus votis desideratissimus. Kesmarkinô, Libera alias Regiaque Superioris Ungariæ Civitate, tribus germanicis milliaribus abest. Hæc Eremus olim Sacri Ordinis Carthusianorum extitit; sed ob temporum, bellorumque injurias jam ante trecentos annos per dictos Religiosos Carthusienses totaliter desertum; tandem ad manus, & possessionem Laicorum est deventum. E quorum manibus vindicatum, Nobis; unà cum Dominio ad præfatam Eremum ab antiquo spectante, in anno 1705. à desideratissimæ memoriæ Excellentissimo, & Rtverendissimo Domino, condam LADISLAO MATYASOVSKY, Episcopo

copo Nitriensi, locique Ejusdem, ac Comitatûs perpetuo Comite, & Inclyti Regni Hungariæ Aulico-Cancellario, fuit Testamentaliter legata. Cujus Testamenti, & ultimæ voluntatis extractum, de verbo ad verbum, visum est hic annectere, & ejusdem tenor sequitur in hæc verba. *Nono, habeo in Comitatu Scepusiensi Claustrum Lechnicz olim Ordinis Carthusianorum, quod è manibus sæcularium in florenis triginta millibus possidentium redemi. Hoc igitur Claustrum, cum omnibus suis Bonis, ac literalibus documentis, lego Reverendis Patribus Camaldulensibus, ut ibidem juxta suum Institutum jugiter Deo, famulentur, & pro peccatrice anima mea, ad minùs unum sacrum dietim celebrent. Ut autem stabiliores ibidem fiant, Patriæ filios in gremium suum suscipiant, qui tam majorem favorem populi, quàm etiam sedulìorem curam Bonorum Claustri sunt habituri.* Hi fuêre hactenus, lector humanissime, Eremorum nostrarum in Ungaria Fundatores desideratissimi, quorum MEMORIA sit in BENEDICTIONE in perpetuas æternitates.

Postremo (ut ad priora regrediar) sub sacro Ordine Eremitarum Camaldulensium, cum maximo sanctitatis odore, militat Congregatio Monialium Sancti Romualdi. Quarum salutare Institutum fuit confirmatum ab Honorio Papa II. In quo floruerunt permultæ Sanctimoniales Virgines, quæ cum liliis castitatis, sponso JESU Christo accensis lampadibus prudenter obviam eundo, cum illo in æterna tabernacula ingressæ, immortalitatis stolâ perfruuntur. Inter quas laudabili Vitæ meritô, præcipuè enituit Sanctissima Virgo Lucia; cujus miram Vitæ Sanctitatem suô locô descripturi sumus.

§ III.



§. III.

De laudibus solitariæ Vitæ Eremitico-Camaldulensis.

IN immensum propemodùm accresceret moles scriptionis meæ, si cunctas Laudes, atque Encomia Vitæ nostræ Eremiticæ in medium afferrem; à pluribus idipsum jam laudatissimè actum lego; quarè cùm ego parvæ admodùm auctoritatis existam, exindè multùm vereor, ne per me recensendæ Laudum Prærogativæ forsitan vilescant: adducam igitur Magnæ auctoritatis, ac eximiæ Sanctitatis Viros, qui sacrum Ordinem nostrum, suis monimentis, jam olim egregiè commendatum reddiderunt. Et primò quidem; palàm est universis, Vitæ solitariæ Eremitico-Camaldulensis præstantiam multifariis laudum parasangis celebrari posse; tùm ab antiquitate Institutionis, tùm à laudabili, & irrelaxato regularis observantiæ vigore, ac Anachoreticæ Disciplinæ districtione, quæ in ea à septingentis, & ampliùs annis inviolabiliter ad præsens usque perseverat. Tùm denique, ab innumerorum sanctimoniâ præditorum Virorum frequentia. Quod in supremo Ecclesiæ Solio constitutus Clemens hujus nominis Papa IX. taliter contestatus est: *Cum Camaldulensis Ordo in summa puritatis, & Devotionis perfectione, cum bonæ, famæ, ac Virtutum odore, ad ædificationem militantis Ecclesiæ, cooperante Domino per longam annorum seriem, ac exemplari Religiosorum suorum Vita, & sanctimoniâ, semper floruerit, & floreat; hac de causa, &c.* Non absimiliter ab Andrea quoque Magno, celebri, & Syncero scriptore (*Eremi Camaldulensis oculato teste*) candidi hujus Ordinis Nazaræi isthoc encomiô ce-

lebrantur Cap. 13. *Isti sunt, qui zelô Religionis Christianæ accensi, omnia sua facta, dictaque ad metam unam, DEUM puta ipsum, dirigunt. Isti sunt veri agricolæ, sine dolo columbina simplicitate cum serpentina prudentia imbuti, profundæ humilitatis Viri, seque tanquàm omnium abjectissimos reputantes, conscientiâ recti, morum Vitæ disciplinâ inclyti, in victu parcissimi, in vestitu candidi puritatem mentis & corporis denotante. In quibus, tanquàm in speculo crystallino Christianæ actiones omnes relucent.* Ita Vener. Pater Lancicius de Societate JESU scriptor illustris, Operum suorum tom. 1. pag. 76.

Porrò multimoda Dignitas hujus Eremiticæ Vitæ demonstrari potest, à variis bonis, magnisque, ac Divinis muneribus, quæ probis ejus cultoribus cœlitùs data leguntur. Tandem hæc Vita Eremitico-Camaldulensis non parvis laudibus efferri potest, à Sanctissimis Exercitiis, quibus cultores suos admirabiles, æternáque memoria dignos reddidit. De his primò, prodeat in lucem, Sanctissimus Legislator noster, & Patriarcha DIVUS ROMUALDUS, qui sanctitate suâ, quasi unus de Seraphin fulgebat in terris: quippe flammâ Divini amoris ex Eremitica conversatione (*teste Petro Damiano*) sic æstuabat; ut omnes ubicunque gentium, quocunque præsens accederet, sanctæ prædicationis facibus, supra quàm quisquàm existimare, vel explicare posset, incenderet: suavique nectare, & divinâ ambrosiâ omnium mentes, vel ex ipsius Nominis fama demulceret. Tantóque ardore (testatur ulteriùs præcitatus auctor) dignos faciendi fructus Vir sanctus flagrabat, ut plurimis Eremis Monasteriisque exædificatis nunquàm contentus, dùm alia faceret, ad faciendum mox alia se ardentissimè præpararet, adeò ut *videretur* (prout prærecensitus Cardinalis, Scriptor

ptor egregius fideliter annotavit) *totum Mundum in Eremum velle convertere, & Monastico Ordini, omnem multitudinem sociare.* Unde tanta fuit de Sanctissimo Romualdo in tota Europa, dùm viveret opinio (teste doctissimo Augustino libro 1. Hist.) *ut vel nullum sui temporis Cœnobium, nulla Eremi solitudo, nulla denique Religiosarum personarum Congregatio usquàm terrarum fuerit, quæ aut Romualdum Magistrum, & Patrem non habuerit, aut consilium missis legationibus ab illo non flagitaverit, qua nimirùm methodo conversari in sacra Militia deberet, & qualiter Diabolicis impugnationibus resistere posset.* Perspicuè igitur vel ex his apparet, quid, quantùmve Ecclesiæ Dei profuerit Romualdi Virtus, & industria, nec non, quid Monasticæ Religioni augmenti ejus exemplum attulerit: ille namque primus Orientalium Anachoretarum perfectissimæ Institutionis Instaurator, in occiduis verò Regionibus Fundator fuit. Hic Divi Benedicti Regulam; per Monachorum dissolutionem penè collapsam, multo cum sudore instauravit. Ejus nomine, ac Eremiticæ Vitæ suæ methodô, auditis, sanctus Bruno ad imitationem ejusdem suam condidit Carthusiam; unde tam sancta, numerosaque proles exorta hodie conspicitur. O ter, quaterque Beate Pater Romualde, cui ego te Sanctorum similem faciam? tentationibus & pugnis in nullo Magno Antonio cedis, nec quidquàm ille passus legitur, quod tu durissimè non sis expertus. Hilarionem vicisti abstinentiâ, & Vitæ austeritate. Quid ultra? in fervore Charitatis, in proximi dilectione, in laboribus fratrum sufferendis (audacter dicam) Doctori Gentium, Apostolicâ Doctrinâ exceptâ, meritò es conferendus. Nam tu in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis Latronum, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis,

in fame & siti, in frigore & nuditate, spectaculum factus es mundo, Angelis, & hominibus.

Cæterùm, quid quæso fructuosiùs ? quid salutariùs ? quidvè securiùs solitudinis bonô ? In summa, nec deliciarum solitario quidquàm deesse potest; cum illo etenim non injucundè deliciatur, *cujus deliciæ sunt, esse cum filiis hominum.* Expertus hæc omnia in se quàm abundantissimè CAROLUS Romanorum Imperator invictus, qui, ut deliciis, & consolationibus solitariæ vitæ liberiùs frueretur, abdicatis Universis Provinciarum curis, Regnum suum PHILIPPO Filio ultrò cessit; de quo *ANNALES*: *CAROLUM majorem fuisse in sua Eremo, quàm in Imperio.* Sed & PHILIPPUS Imperator ejus Nepos morti appropinguans in hæc verba prorupisse fertur: *Utinam Corona caput non cinxisset! pœnitet fuisse Regem. Melius certè in aliquo Deserti angulo extra mundanorum negotiorum tumultum vixissem.* Nec mirandum: nam apud Isaiam Prophetam sat, superque solatur DEUS Solitarium, his verbis: *Ponet desertum ejus quasi delicias, & solitudinem, quasi hortum Domini, gaudium, & lætitia invenietur in ea.* Et iterum per Oseam Prophetam ait: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Quam dulcem Sponsi Cœlestis allocutionem crebrò auscultans Gloriosus Patriarcha Sanctus Ignatius, suavissima Cœli gaudia quàm abundanter delibabat, inque has mirificas voces erumpebat: *O quam sordet mihi terra, cum Cœlum aspicio!* O Eremus igitur Sanctarum mentium ineffabilis dulcedo! O torrens voluptatis, à fonte æternæ vitæ dimanans! nemo credit; nisì qui sitibundus accedit (*ajebat Divus ROMUALDUS*) quanta ubertate consolationis Cœlestis, cum suavissimo interni gustûs delectamentô, tuos cultores reficis, & inebrias. O amor! O voluptas! quàm beatus,

quem

quem talis amor inebriat, quàm felix eſt, quem tanta dulcedo ſatiat.

Perrexit ſemel Theodoſius Imperator ad quendam Eremitam mutata veſte, cumque apud illum fruſtum panis incognitò comediſſet, dedit ſe cognoſcendum, & dixit: *Beati eſtis vos Eremitæ, qui ſecuri, ac liberati à negotijs ſæculi, tranquillâ, & quietâ perfruimini vitâ, & ſolummodò de ſalute animarum veſtrarum habetis ſollicitudinem, quomodò ad vitam æternam, & æd Cœleſtia præmia pervenire poſſitis. In veritate enim dico tibi; quia in Regno natus ſum, & nunc in Regno dego, & nunquàm ſine ſolicitudine cibum capio.*

Suatocopius item Regum Moraviæ penultimus, cùm aliquo tempore gloriosè Regno præfuiſſet: tandem Arnolpho Imperatori tributum pendere recuſans, commiſſo Prælio, cùm ſe ſuccubuiſſe animadvertiſſet, clam ſe de Caſtris ſubtraxit, atque ut erat mutata veſte incognitus, ſalutem fugâ quæſivit. Cumque aliquot dierum ſpatiô, ad Montem, cui Nomen *Zobor*, vel ut Sylvius ait: *Sambri*, aut *Zoborij* (abjectis armis, & equo dimiſſo) perveniſſet: eadem in Eremo tam diu vitam, pomis ſylveſtribus, & herbarum radicibus ſuſtentavit, donec tres Eremi cultores obvios habens, ijs ſe adjungeret, ſicque uſque ad extremum Vitæ incognitus perſeveraret. Ubi verò mortem propinguam ſenſit, accerſitis Eremitis, quærere cœpit: *Nondùm*, inquit, *quis fuerim noviſtis? Rex ego Moravorum, Prælio victus, ad vos confugi, & Regiam Vitam, & privatam expertus, morior. Nulla Regni fortuna eſt tranquillitati Eremi præferenda. Hìc ſecurus ſomnus, dulces herbarum radices, atque undas efficit. Ibi curæ, atque pericula, nullum cibum, nullum potum, non amarum*

rum reddunt. Quod Vitæ mihi Fata dederunt, apud vos felix peregi: In Regno, quidquid ejus transactum est, mors veriùs, quàm Vita fuit. Sepelite me hic, Moraviamque petentes, Filio meo, si adhuc vivit, hæc nunciate. Ita Ruffinus lib. 3. n. 19.

Non ineptè tandem solitudo tranquillo quoque portui comparatur: ut enim in portu, ita & in solitudine tranquilla sunt omnia. Unde Chaldæus super illa Psalmographi verba: *Ecce elongavi fugiens; & mansi in solitudine*, ita commentatur dicens: *Ecce longe fugiam, commorabor in deserto, semper festinabo, ut salver à spiritu tempestatis.* Non sit ergo nobis grave id sponte deserere, quod vel inviti cogemur derelinquere. Fuge Mundum, fuge, quicunque cupis mundus manere. Ubicunque potes (*suadet Drexelius*) te turbis exime: pessimus Dux est ad virtutem populus. Utique, quò copiosior populus, cui immiscemur, hoc periculi plus est; *Arcta enim est via, quæ ducit ad Patriam, & pauci inveniunt eam, ampla verò, & spatiosa est, quæ ducit ad mortem, & multi intrant per eam.* Vis vincere Dæmonem? fuge hominem. Fugiat Religiosus hominum consortia, si vult Diabolica vitare contagia. Et certè non modicum periculi in hoc situm est; nam ut inquit Sanctus Papa Leo; *Dum per varias actiones vitæ hujus sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam Religiosa corda sordescere.* Multùm sanè erubesco, quoties Senecam (licet Ethnicum) taliter differentem audio: *quid tibi præcipuè vitandum existimem quæris? turbam. Ego certè, confiteor imbecillitatem meam, nunquàm mores, quos extuli, refero: aliquid ex eo, quod composui, turbatur; aliquid ex his, quæ fugavi, redit. Inimica multorum conversatio, nemo non aliquod vitium nobis commendat, aut nescientibus nobis allinit.* Hæc omnia experimentô propriò Asceta piissimus Thomas à Kempis hisce laconicè

conicè confirmat : *quoties inter homines fui, minor homo redy.* Rem Hiſtorica narratione placet illuſtrare. Cùm Sanctus Arſenius *in Vitis Patrum lib. 7. cap. 34.* Vice quadam à Sancto Marco Monacho interrogaretur, eccur tantoperè homines, & ipſos etiam Monachos fugeret, à quibus nihil detrimenti ferret : reſpondiſſe fertur Arſenius. *Scit DEUS, quia diligo homines, ſed cum DEO pariter, & hominibus eſſe non poſſum : ſupernæ enim multitudines, & Beati Cœli Incolæ unius ſunt voluntatis. At homines, diverſas & varias habent voluntates, & ob hoc relinquere DEUM, & cum hominibus eſſe non-valeo.* Undè dictus Arſenius tantam aſſecutus fuit perfectionem ; ut nulla virtus eſſet in reliquis, quam non & ille poſſideret. Verbô, omnes ſuos Co-Eremitas in virtutis, & Sanctitatis ſtudio longô poſt ſe relinquebat intervallô. Erat itidem alter quoque Eremita, qui vehementer captus amore ſolitudinis, hæc tria januæ ſuæ inſculpſerat verba : Neceſſitas. Utilitas. Charitas. Et hoc ea ratione : ut ex eorum lectione meminerit, ex cella, & ſolitudine ſua non egredi ; niſì una ex his cauſis ipſum impulerit.

Vos igitur gyrovagi, qui populoſas Eremis præferendas vanè autumatis Urbes, audite piiſſimum, ſimul & doctiſſimum Eremi Zelatorem, & æquâ lance, quantùm inter Urbium, & ſolitudinis commorationem diſtet, ſedulò appendite! *Ubi* (oro) *cuduntur fraudes ? jurgia fiunt ? juſtitia depravatur ? pietas perit ? adulteria perpetrantur ? opprimitur innocens ? ſupplantatur Sanctus ? peccator laudatur ? dominatur ambitio ? inanis pollet gloria ? ubi denique univerſa regnant delicta ? nonne in Civitatibus ? ubi unusquisque cæteris appetit haberi potentior, facultatibus locupletior, opinione vulgi famoſior, & æſtimari*

mari cupit prudentior. Hinc lites, illinc detractiones vigent, quoniam vix reperitur, qui præesse non desideret. His omninò caret solitudinis locus, quia sanctitate affluit, & Cœlestibus exuberat bonis,

Inferunt tandem nonnulli, & frivolis quibusdam rationibus Ordinem Nostrum improbare nituntur, dicentes. Religionem Eremitico-Camaldulensem austeritatis esse intolerabilis, nam testimoniô Sanctorum Patrum Status Religiosus asseritur esse Jugum Christi, atqui Jugum Christi (*attestante ipso Salvatore*) debet esse suave, quod non habet Camaldulensis Institutio. Ego, inquit, nec per annum viverem in hoc arduo vivendi genere. Minime est hic status attemperatus Patriæ Nostræ, Nos Ungari, genii Socialis, abditum solitariæ vitæ recessum ferre non valemus; nec sumus tam rigidis assueti jejuniis. Si Sanctus Romualdus vixisset in Ungaria, vel tam rigidas abstinentias, tamque diuturna jejunia non præscripsisset, vel certè paucos tam exotici Instituti Sectatores numerâsset. Servate vobis, ait, Institutum vestrum, solitariamque Vitam (pace nostra) laude sua celebretis. O minimùm delicate, Sybaritarumque dapibus enutrite Epulonis primogenite! exoticum tibi videtur una vel alia die abstinere pro Christo, qui pro te quadraginta diebus jejunavit in Deserto. Regnum Cœlorum vim patitur, & prout S. Hieronymus Egregius Doctor Ecclesiæ asserit, *difficile, imò impossibile est, ut & præsentibus quis, & æternis fruatur bonis: & ut hic ventrem, ibi impleat mentem, & de deliciis, transeat ad delicias: ac ut in utroque sæculo primus sit, & in Cœlo. & in terra gloriosus appareat.* Ita præcitatus Doctor in Regula Monachorum. Desineres profectò, O delicatule! talia in vanum profari, si in rei veritate horrendum

dum illud Apocalypsis expenderes: *Quantùm fuit in deliciis, tantùm date ei de tormentis.* Et ab adversò plenâ fide assentireris Doctori Gentium verba æternæ vitæ auribus nostris continuò inclamanti: *Quia leve, & momentaneum tribulationis nostræ, æternæ Gloriæ pondus in nobis operatur.* O proles deliciosa! rigorem Eremitico-Camaldulensis Ordinis asseris toleratu impossibilem, quem tot Reges, Principes, Duces, ac Comites, Cardinales & Episcopi, inter Regales enutriti delicias concupiscenti coluêre animo. *Enimverò Nostra Eremitica Institutio* (ut testantur Constitutiones nostræ Clementis IX. Pontificis Auctoritate confirmatæ) *non periculosa, nec ardua, neque difficilis, ut antiquitùs Anachoretica, comperitur: sed potiùs omni periculò, extremaque difficultate exclusis, securissima, facilis, & fideli cuique Viro securissima. Ac proinde (omni reverentia, & pace aliorum Institutorum) laudabilior, ac securior cunctis meritò dici possit.* Ita Proemium Const. Clement. Papæ auctoritate conf. Non nego Instituto Camaldulensi, quandam inesse austeritatem, nunquid ideô contemnendum, aut ad Indos, & fines Thracios è Pannonico solo ablegandum? quin potiùs vel ideò omni æstimatione dignum meritò censeri debet.

Sed ut ad id, à quo nonnihil digressi sumus redeamus, advertendum est: quod nisì solitudini corporali, adjungatur & solitudo mentalis, parùm, aut nihil opitulatur animæ ad virtutis accessionem. *Quid enim prodest solitudo corporis* (quæritMagnus Gregorius) *si deest solitudo cordis.* Hujusmodi solitudinis curam districtim præcipiunt Constitutiones nostræ, Constit. cap. 1. fol. 17. *Ubique,* ait, *locorum, foris & intra Eremum, atque etiam in propria Cella, non solùm corporales, sed etiam mentales divagationes effugiant Eremitæ, quæ & solitudinis propositum, &*

omne ſpirituale ædificium deſtruere ſolent. Si igitur hactenùs Fratres chariſſimi, ſolitudinis, & Eremiticæ abſtractionis, inſtigante vafferrimo humani generis hoſte, oſores fuiſtis, ſi externa, quæ Mundus offerre conſuevit, ſolatiola anxiè quæritâſtis, redite quæſo ad cor redite; & cum ſæpiùs citato Laurentio Juſtiniano affectu pleno exclamate: O ſolitudo Deo dicata! quàm ardenti deſiderio concupita es ab his qui noverunt, & intimo ſenſu è ſolitudine promanantes Sanctarum mentium delectationes perceperunt, intimique guſtûs inexhauſtas deguſtârunt dulcedines. Meritò tales ſuſpirare coguntur cum Divo Bernardo: *O utinam nullus hominum eſſet mecum exteriùs, ut familiariùs loqui poſſem cum DEO interiùs; ipſe enim & ſecretum quærit, & ſolitarium locum diligit.* Fugiam ergo hominum ſolatia, & exterorum colloquia, ut in ſecreto cordis mei DEUM habitatorem fovere poſſim. O quàm præcelſa ſunt præconia tua ſolitudo ſancta, tutæ divitiæ! ſecura poſſeſſio. Suſcipe, quæſo, me errantem ovem, ac Eremitici Propoſiti prodigum filium, poſt diſſipatum vitæ ſolitariæ Patrimonium: ne me patiaris vagari foras, otioſis inutiliter cogitationibus occupari, deffluere per vitiorum devia, coinquinari in vanis, atque affectu immoderato viſibilibus adhærere. Noli obſecro deſpicere clamorem meum, noli hilarem faciem tuam avertere; nam & ſi te hactenùs minimè colui, ut debui; nequaquàm tamen repellere debes redeuntem ad te, meque emendare volentem. Aperi mihi O amica mea! decora tanquàm Hieruſalem, ſuavis in deliciis, plena venuſtate & gratiâ, jucunditate & jubilô, ſecuritate & ſpe, dilectione & meritis. En ſto ad oſtium tuum, pulſo, & pulſabo quotidie gemens, & lachrymans donec mihi aperiatur, dicaturque: *Veni, veni, de Libano Soror, veni coronaberis.*

§. IV.

§. IV.

De oblocutoribus Vitæ Eremiticæ.

INvenire eſt paſſim homines loquentes perverſa, qui abs- que ullo experimento præſumunt ſolitariorum lacerare Vitam, dicentes eos prorsùs inutiles, quoniam foris raró viſuntur, neque ſe curis ſæcularibus implicant: hac de cau- ſa; (*ut ait Laurentius Juſtinianus*) *illam deſpiciunt, atque ob- trectationibus laniare non ceſſant.* Id ſolùm, quod illis placet, laudant, quodque maleſano eorum ſenſui arridet præconiis commendare non ceſſant, ſtatus omnes deteſtantes præter proprium. O deploranda ævi noſtri cæcitas! quæ recto non ſinit homines uti judicio. Nunquid una eſt Via ſalutis? una Juſtitiæ ſemita? unô tantùm Deo ſervitur modo? Dic, amabo, nunquid apud Deum Eremi cultores inferiores un- quàm habiti ſunt habitatoribus Urbium? Nunquid ſanctior Eliâ Eſaias? aut Hieremias Heliſæô? an David major Joan- ne Baptiſta? in quo cedit Auguſtino Hieronymus, aut An- tonius Nicolao? in quo vincit Hilarionem Gregorius? Et certè, ſi Martyres excipias, nec plures, nec majores dedê- re ſanctos Ungariæ Urbes, cæterarumque Provinciarum Ci- vitates & Oppida, aut in iisdem contenti Vitæ activæ, ac Mixtæ ordines, quàm Eremitica Ægypti deſerta, Nitria, Thebais, & Paleſtinæ ſolitudines. Numera, ſi potes, agmi- na Diſcipulorum Antonii Magni, aut catalogo inſere, ſi nô- ſti, numerum Sanctorum Anachoretarum in Orientis olim nemoribus degentium. Quid moror, nonne Salvator no- ſter JESUS, majoris perfectionis exemplum nobis relinque-

re

re volens, sæpiùs in Montem, sive desertum secessit? Ecquis tandem tam hebes, qui nesciat contemplationi deditos Viros, Actioni vacantibus longe præstare? & MARIAM, quæ optimam partem elegit, Marthæ esse præponendam.

Resipiscat itaque, qui Eremiticæ Vitæ vestem, varietate Virtutum decoratam taliter scindere, & livido dente lacerare non veretur, nam, ut piè Purpurati Ordinis Antistes Divus Laurentius annotavit, quamvis videantur Eremitæ, per exercitationem exteriorem corpori Ecclesiæ minùs proficui; illi tamen multifariè prosunt; ipsum quippe continuis orationibus vegetant, à tentationibus defendunt, pro delinquentibus deprecantur, suisque exemplis temporalia docent esse spernenda. Animat nos ulterius prærecensitus Patriarcha in Prologo Serm. de Vita Sol; dicens: *Securè igitur, & cum exultatione Spiritûs in solitudine perseverandum est, non pertimescendæ sunt oblocutiones malorum, neque Dæmonum formidandi insultus: quoniam de corporali solitudine, consummato hujus peregrinationis cursu, transitur ad Patriam.* Audi Divum Thomam Doctorem Angelicum *cap.* 22. *quæst.* 188. commentantem: *illi*, ait, *qui Vitam Solitariam agunt, multùm utiles sunt generi humano.* Hoc ipsum firmatur authoritate Divi Augustini Hipponensis Præsulis, qui pluribus in locis testatur eos, qui Vitæ contemplativæ dediti sunt, non modicùm Reipublicæ suis orationibus prodesse. Vis experiri amice lector, quantùm solitariè orans sit utilis? Moysen orantem in Monte, dùm pugnaret Israël, aspitito; ejus namque Oratio secreta, Amalecitas prostravit fortiùs, quàm universæ Israëlis copiæ armatæ. Cùm enim levaret manus Moyses (sacrâ testante scriptura) vincebat Israël: sin autem paululùm remisisset, superabat Amalech. Si his minùs contentaris,

& adhuc ulteriùs curiosè ſcrutari velis, quidnam utilitatis ab Eremitis ſperari poſſit, reſpondet vice mei, Juſtinianus è Cæſarum Ordine Legislator piiſſimus Conſtit. 133. *Imperium*, videlicet, *Militiam, agros ipſos, & quidquid boni habent homines ſæculares, per Orationes conſervari Sanctorum Eremitarum.* Vides ergo Zoile quantùm hallucinaris Vitam Ereminticam infructuoſam aſſerendo.

Eja igitur (convertor ad vos) Milites Eremitici Propoſiti, & Chriſtianæ Reipublicæ defenſores præclari, qui per temporalium abrenuntiationem, & remotiorem Vitam in ſolitudine famulari Domino decreviſtis, perceptam Cœleſtis gratiæ prærogativam agnoſcite, in eo quod laudabiliter inchoâſtis, viriliter perſeverate. *Magna* (teſte ſancto Franciſco Seraphico) *promiſiſtis, majora promiſſa ſunt vobis, ſervetis hæc, ſuſpiretis ad illa: Voluptas brevis, pœna perpetua, modica paſſio, Gloria infinita.*

Perversè itaque agis, cujuscunque ſtatûs & Ordinis ſis, qui Statum Eremiticum perfricata fronte convellere, & improbare niteris. Erras, & nimiùm quantùm erras, qui per Vitam laxiorem liberiori aſvetus auræ, ſolitariæ Vitæ Inſtitutum contemnis; æſtimabis certè, ſed ſerò, in Vitæ nempe termino. Ad quod non minùs ſalubriter, quàm argutè alludit *Cornelius Muſius* hiſce Verſiculis.

Vive ut vivis, ſed cùm ægrotabis,
Juſtis lachrymis damnabis
Omnes Mundi Infulas.

Et cùm Morti appropinguabis,
Tunc te, ſed ſerò provocabis
Ad Beatas Cellulas.

O beata Solitudo, O ſola Beatitudo!
Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati
Puri à Mundicolis.

O quàm multi ſuperveniente mortis horâ optabunt Vitam ſuam traduxiſſe in Eremo! multi inter anguſtias amaræ mortis circumſpicientes quærent ex ſe ipſis: ubi Socii mei, cum quibus paulò ante jucundabar, & gratè converſabar? Heu fugerunt, & me ſolum reliquerunt. Ubi conſolationes Mundanæ? ubi Gloria mea, & opes ſuperbæ? ubi grati amici, & conſodales mei? perierunt, quaſi qui non fuerint. O me miſerum! en paucitas dierum meorum finietur brevi, & ſalutis incertus æternitatis viam ingrediar. O æternitas interminabilis, & horrenda æternitas!

Memorabili ſuô hoc ipſum exemplô confirmat Philippus III. Hyſpaniarum Rex: qui morti vicinus, licèt illius temporis Principum fuerit abſolutiſſimum Virtutum exemplar, & Vitam ſuam adeò innocenter traduxiſſet, ut firmiſſimè reſolutum haberet: Malle ſe Regnis omnibus privari, quàm ſcienter Deum vel veniáliter offendere; in agone tamen revolvens animo rationem adminiſtrationis Regni ſui mox reddendam; totus contremuit, & in hæc verba ſuſpirans erupit

pit. *O utinam nuuquam fuiſſem Rex! utinam annos, quos in Regno egi, exegiſſem privatus in Eremo. Utinam ſolitariam cum Deo duxiſſem in Thebaide! quàm ſecurus nunc morerer, & quàm fidenter ad Dei Tribunal pergerem.*

Non abſimiliter rem poſteritatis memoriâ haud indignam lego de Petro Cœleſtino Papa, imò Eremita: qui annos natus viginti, cum Eremicola quodam in Eremum ſeceſſit, per decennium anguſti cujusdam ſpelæi incola. Inde ad amicorum preces Romam ſe conferens, ſuſceptô ibidem Sacerdotiô in Regulam Proto-parentis noſtri Divi Benedicti juravit. Vitæ tamen ſolitariæ amantior (exemplô Divi Romualdi) de Abbatis ſui annuentia reverſus in Eremum, in monte *Morono*, unde & deinceps nuncupatus vulgò *Petrus de Morono*, quinquenniò delituit, expulsô inde ſub adventum peſtilente, totique viciniæ noxiô Dracone; Tandem ejus fulgor ſanctitatis diffuſus undique tantopere animos purpurati Collegii poſt obitum Nicolai IV. Papæ perſtrinxit; ut vota jam per menſes 27. ſede tunc, vacante diſtorta, & ambigua, Patres Conſcripti quaſi momentô colligerent, Petrumque de *Morono*, Pontificem conclamarent. Miſſis igitur ad Neo-electum Pontificem in Eremum Legatis, qui eô nunciô, ceu fulmine perculſus, jam jam fugam meditabatur. Sed ut ex infinito prope Mortalium accurſu, quos rei novitas, Virique ſanctitas advocârat, Divini conſilii argumentum intellexit, reluctari ultrà non valens, oblatos Eccleſiæ ſupremos Faſces tandem admiſit, aſſumptô Cœleſtini V. nomine. Coronâ Pontificali ſublimatus Aquilæ-Aproriorum, quò præter Reges Neapolis, & Ungariæ, ducenta & ampliùs millia hominum confluxerant. At verò cellæ ſuæ Eremiticæ inamoratus deliciis, ægerrimè

tulit negotiorum jactari æſtu; ea propter, quamvis totus populus inter gemitus obteſtaretur, *Pater ſancte, ne nos deſere*, ad Orbis ſtuporem, primus ſine exemplô, Papatu ſe abdicavit, cum necdùm integro ſemeſtri ſediſſet, Deo mox poſtridie Viri ſancti probante factum, dùm ad ejus benedictionem, claudo greſſum reddidit, ſubſecutis deinceps pluribus per ejus merita Portentis. Sed ſiniſtrâ quorundam æmulatione, quod ex ea rerum novitate mali quidpiam videretur Eccleſiæ ingruere, in arce quadam ſtrictæ mancipatus cuſtodiæ, immeritas ærumnas incomparabili vicit patientiâ, carceris ſquallorem illuſtrans miraculis, in eoque hilari mente ſibi crebrò occinens: *Petre cellam deſideraſti, cellam habes.* Superatis in cuſtodia menſibus decem, de fato imminente certus, ac lætus, inter illa pſalmi verba *omnis ſpiritus laudet Dominum*, è corpore, & carcere erupit, evaſit, & in Cœlum abiit. Quem pro Gloria Almi Ordinis noſtri Benedictini, iſthoc Elogiô condecorare libet.

Cœleſtinus Papa, non Papa
Exemplum, ſine Exemplo,
1. Reg. 4. Heli ſummum Sacerdotem
è ſede *cadentem* lego,
cedentem non lego.
Omnibus, qui in *Sede Petri* hucusque *ſedêre*,
Seſſio placuit, non *ceſſio*.
Anteceſſores multos Cœleſtinus habuit,
Succeſſores non paucos,
ceſſorem neminem

Ceden-

Cedendo, quàm *ſedendo* quietior,
Cedendo, quàm *poſſidendo* beatior.
Non *vacabat* Cœleſtino hìc *diu ſedere*
fecit igitur *vivus*.
(Quod ſolent Pontifices aliàs nonniſi *poſt mortem*)
Sedem vacantem:
eodem ſpiritû è *Sede* reductus in deſertum,
quo è *deſerto* ductus *ad Sedem*.
Conclave mutavit cum *cella*,
Malens *Celleſtinus*, aut *Cœleſtinus* dici,
quam *Petrus*,
fortè, ne *Petrus*, *Primus* Apoſtolicæ *Sedis* Princeps,
ſecundum haberet in terris.
Diutiùs, atque *tutiùs* ſedit in *Eremo*,
quàm in *Vaticano*,
Purpuratorum votis *dignus ævô*,
medio vix præfuit *annô*:
Tiaram Pontificiam
alienô arbitriô, ſibi *impoſitam*
ſuomet depoſuit,
felicior ſibi viſus,
cum honores *ſponte* poſſet deſerere,
quàm cum invitus *cogeretur* aſſumere.
Jam ante Papatum dignus,

 ut

ut *ſua Sanctitas* appellaretur:
eò faciliùs deindę è *Sancto*
factus *Sanctiſſimus*:
Quem titulum ſervavit etiam dimiſsô Papatu,
Beatiſſimi tamen nuncupatione
viſus offendi,
quod ſe crederet *infelicem*
In ea regiminis *ſuprema felicitate*,
cuperetque ipſe magis *ſedere*
cum *MARIA ad pedes DOMINI*,
quam videre *ad pedes* ſuos procumbere
Orbis Chriſtiani *Dominos*.
Itaque ad *quietem* priſtinam
compoſitò ſe *compoſiturus*.
Purpuram *poſuit*, Pontificem exuit,
& poſtquàm ſediſſet *menſes quinque*
Poſt *menſes bis quinque* in *pace quievit*:
evocandus rurùs majori olim gloria
ad *ſeſſionem* aliam in valle Joſaphat,
ubi *ſedendi jus* ſibi vendicavit
relinquendo omnia, quod ſolent multi:
& deſerendo Papatum,
quod hactenus nemo.
Sic nempe *Cœleſtini* faciunt,
Humana negligunt, terrena deſerunt,

quæ

quæ ſurſum ſunt ſapiunt,
Cœlum cupiunt, capiunt, rapiunt.
Non habuit *Petrus Cœleſtinus Papa*
annos Petri in votis,
ſed annos æternos in mente: *Pſalm.76.*
quinque duntaxat in regimine *menſes*,
& *bis quinque* poſt regimen menſes
feliciter *emenſus*
Sponte *dimiſit*, quod invitus admiſit,
primus inter Papatûs Ceſſores
ſine ſecundo.
Ceſſit, deceſſit è vivis *Cœleſtinus*,
poſt vitam in terris *Cœleſtem*,
Cœleſtinis Beatis aſſertus in *Cœlo*
beatior quam hìc,
lucidas poſſidet *ſedes*
quæ nunquam amplius *vacare* poſſunt
in æternum.

Non pigeret hìc alios quoque binos Ordinis Noſtri illuſtres Cardinales benevolo Lectoris obtutui ſiſtere; nî prolixitatem ſtyli mens vitandam dictaret: quorum alter ſummi Pontificis illius temporis aures gemitibus inennarrabilibus vellicare non ceſſabat; donec ſibi abdicatô Cardinalatu in Eremo dilectæ Rachelis amplexibus frui liceret. alter antrum Palatio, ſolitudinem Urbis ſplendori longe

præ-

præferens, Purpuram cum virga Prælationis generosè abjecit, ac propterea centum annorum sibi à Pontifice impositam pœnitentiam gaudens peregit.

Pauci nunc, & revera pauci, ita sentiunt de Solitudine. Vitam namque Eremiticam, plerique ingloriam, tetricam, & contemptibilem reputant, cupientes magis in publicis, iisq; gloriosis negotiorum concursibus comparere Ubi pro vanitatis aura laboriosè desudant, publica Officia si non ambiunt, saltem non recusant. omnem felicitatem in hoc sitam esse autumantes. Qui errorem suum politicô palliolô contegere satagunt, dicentes: *Ratio status hæc exigit à Nobis.* Sed utrum hæc non petita excusatio, cùm rationem statûs ipsorum æquitatis Judex, ad rationem districti examinis scrutatus fuerit, probabitur justa excusatio, vel incusatio sui ipsorum, venturo Judici discutiendum relinquo: *qui cum acceperit tempus, etiam justitias judicabit.* (*Psalm* 74.) *Propterea monet Divus Paulus in Actibus Apostolorum Cap.* 20. *Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam aquisivit sanguine suo; non enim de vestra* (subdit Joannes Chrysostomus) *tantummodò salute, sed de universo Orbe vobis ratio est reddenda.* Ita S. Joan. Chry. hom. 15. in Mathæum.

Te nihilominùs super his lector benevole præmonitum volo, me isthæc non typo superbiæ, & calumniæ; aut in quempiam (quod absit) statûs tui contemptum protulisse; neque omnes hac commentationis meæ censurâ comprehendere mens est; sed illos solùm, quos S. Prosper lib. 2. acri suô calamô jam olim perstrinxit: *qui, videlicet, magna prædicant, nec faciunt, accusant Vitia, nec deponunt: publicè sibi displicere* simu-

ſimulant, quod occultè committunt, magni ſtudent magis videri, quàm fieri. Ita S. Proſper locô citatô.

Reperire tamen eſt, ſignanter, in hocce Mariano Regno noſtro pleroſque Viros Eccleſiaſticos Zelô Apoſtolicô ferventes, qui memores muneris ſui, ſcitè & fideliter ſacris & Aris operantur. Sunt, inquam, qui ad exemplum Salvatoris noſtri ſemet bonos Paſtores exhibent, populumque pabulô verbi Divini ſalubriter nutriunt: quibus unicè in votis eſt, plebem ſibi commiſſam, & animas pretioſo Chriſti ſanguine redemptas lucrifacere. Hi, cùm poſuerit Dominus rationem cum ſervis ſuis, proculdubiò probabuntur fideles diſpenſatores myſteriorum Dei. Tales plauſum, & popularem ſtrepitum fugiunt, &, ut aſſerit Divus Gregorius; *pro laboribus ſuis recipere laudes humanas nolunt. Hi nimirum gloriam ſuam non in ore hominum ponunt, ſed intra conſcientiam contegunt.* Da veniam Lector humaniſſime, quòd à propoſita materia nonnihil, deflexerim, Religioni duxi, his quoque te commonere.

Adhuc ampliùs quorundam deteſtabilis malitia palliolô Hypocritici Zeli obvelata graſſatur, qui non verentur etiam ipſos Candidatos noſtros (quod per experientiam didici) ab amplectendo ſacro Inſtituto noſtro avellere, dicentes; permitte Fili hunc ſtatum: eſt ſtatus privatus, in eo ſepelies talenta tua. Iſti ſunt abſtracti nimiùm, ac contra humanitatis jura, naturalemque æquitatem, ſoli ſolis, ac ſibi ipſis viventes infrugiferam ducunt Vitam. Exigua, vel penè nulla apud eos Ariſtotelicæ ſubtilitatis exercitatio, debebis rationem reddere talentorum tuorum; poteris tu, in quocunque alio ſtatu evadere, ac tibi, & aliis in multis deſervire. Ne timeas, neque ſcrupuliſes: Nam Vocationem; præſertim in tam exotico ſtatu, ſequi, non eſt præcepti; ſed

ſed ſolùm conſiliis: id circò conſilium in melius ſemper mutare licet. O execrandam Acherontis vaffritiem, & ſubtilem Animarum ruinam! en quos ſtyx ipſa diuturnis machinationibus ſuis corrumpere deſperavit, hæc Diabolicæ factionis inſtrumenta proſternere laborant. Quos non absre comparaverim caudæ Apocalyptici Draconis; quia ſicut ille, hac ſuâ caudâ tertiam partem ſtellarum è Cœlo traxit: ita hi perditiſſimi Acherontis Advocati, magnam partem juvenum, ab amplexu ſacri Ordinis noſtri deterrentes, ſecum in abyſſum Inferi præcipitant. Et hi plerumque ad oculum nobis amiciſſimi, Ordinis noſtri Inſtuta laudant, Obſervantiæ regularis exactam cuſtodiam ſuſpiciunt, ſecuritatem Statûs in ſummo deprædicant; ſed ficte. De quibus Propheta Regius imprecabundus ait: *qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum, diſperde eos Domine DEUS noſter.* Væ qui viſcera Neronis, vultum geſtatis Catonis! Væ vobis Hypocritæ, væ vobis ſcioli ſolùm ad detrahendum, qui ex eò vos doctos oſtentare cupitis, ſi proborum Vitam lacerare poſſitis. *Væ, qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobismetipſis prudentes. Iſaiæ 5. 21.* Nolite errare O impoſtores perverſiſſimi; DEUS non irridetur; ille in corde, vos videtis ſolùm in facie. Veniet tempus, cùm detectâ hypocriſi veſtra condignas impietatum veſtrarum dabitis pœnas, nî pœniteatis, & ſapientûm Sapientiſſimum Salomonem Proverbiorum 4. v. 42. audiatis: *remove à te os pravum, & labia detrahentium ſint procul à te.*

His ſuccedunt alii, prioribus in Vafritie haud inferiores, qui ſuperbiâ, & vanâ ipſorum æſtimatione tumentes, candorem inculpatæ Vitæ Eremiticæ obfuſcare nituntur; eis iterum ſanctam ſimplicitatem exprobrantes ex eò; quod

in publicis disputationibus non compareant, quòd honoratiora officia minimè appetant, nec honorum culmina quæritent. Denique, quod apud Mundanos homines, & status Politici sectatores, parvæ admodùm forent opinionis. Isthæc nîl prorsùs miror, nam infelicissimo moderno rerum statu, facillimè deritetur Justi simplicitas asserente Divo Gregorio. *Nunc enim hujus mundi Sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc, inquam, justorum simplicitas deridetur ideò, quia ab hujus mundi Sapientibus, puritatis Virtus, fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul dubio stultum putatur, & quid quid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat.* Hæc sapienter Gregorius. O quantùm hallucinantur hi temerarii Pestilentis Scholæ Pædagogi! quos enim ob laudabilem, & sanctam simplicitatem nunc contemptibiles reputant, comperient aliquandò dubio procul de numero eorum esse: quos elegit Dominus in charitate non ficta, quosque inæstimabili gratiæ suæ donô eripuit de hoc sæculo nequam, misericorditerque transtulit in hæreditatem sanctam, & incontaminatam. Quod, cum Dominus ad judicandum venerit, cunctis temerariis eorundem oblocutoribus manifestè apparebit. Qui (ut testatur Sapiens) *videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ Salutis; dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia Spiritûs gementes. Hi sunt, inquit, quos habuimus aliquandò in derisum, & in similitudinem improperij: nos insensati, Vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore, ecce quomodò computati sunt inter filios DEI, & inter sanctos sors illorum est!* hæc sunt verba Spiritûs Sancti per os sapientis prolata. Audite itaque hæc filii Belial candidæ synceritatis irrisores, & si ullus in vobis

ſenſus eſt, horrete! ac dùm tempus eſt reſipiſcite, longanimitatemque patientiæ Dei ſuper vos diſtricta ſatis animadverſione vindicandam credite. Experiemini aliquandò O perditiſſimi ſanctæ ſimplicitatis oſores! experiemini, ſed cum inevitabili damno veſtro, quod nîl vana hujus ſæculi prudentia, nîl damnabilis Mundi aſtutia prodeſſe poſſint ad ſalutem. Hinc S. Auguſtinus profundiſſimus Doctor Eccleſiæ cultores ſanctæ ſimplicitatis (qua ſe immaculatos cuſtodiunt ab hoc ſæculo) contemplans exclamavit: *quid agimus? ſurgunt indocti, & Cœlum rapiunt, & nos cum Doctrinis noſtris ad inferna demergimur.* Et revera, *hæc eſt unica, & ſumma Sapientia, per contemptum Mundi tendere ad Regna Cœleſtia. Ita Doctiſſimus Aſceta.*

Nondùm ceſſat Phariſaica hæc impiorum turba dente canino nobis oblatrare; ob taciturnitatem nempe ſanctam, nos paſſim mutos Monachos, vulgo *Néma Barát* vocitando. Nec ſatis, adhuc ultrà ſine ratione ratiocinantur in hunc modum: O ſtatum Melancholicum! eccur tanta diſtrictio ſilentii? non præcepit id DEUS. Ego delirarem in hoc ſtatu: Et certè *quisquis es, hæc effutiendo deliras.* O contumelioſum Calumniatorum genus! Audi perpetuum Detractorum vindicem Drexelium: *Te ipſum* inquit, *inſpice, ut noris quàm ſit tibi curta ſupellex.* Quid oculos perdis in alienis, tua tu cura. Et quæſo, quis te cenſorem conſtituit in Vitam, mores alienos? inquire tu potius, an

Ædibus in propriis prava, aut recta gerantur.

Præ-

Præsumptor in omnibus, non est modus æquus,
Quod sic Eremicolas obloquaris mœchus,
Nunquid de coloribus judicabit cœcus?
Aut de saporibus disputabit pecus?

Non est Vita aliqua, nec aliquis status,
Qui per Appstolica jura sit probatus,
Quin in mente Divina sit præordinatus,
Quin ducat ad Cœlica, quin sit DEO gratus.

At pace mea, carpant hi insipientes taciturnitatem nostram, modò Deus probet vitam nostram. Profectò obmutescerent hi impertinentes psitaci, si inæstimabilem virtutis silentii noscerent fructum: ait enim Joannes Bona S.R.E. Cardinalis; *ad Divinitatem propiùs accedit, qui multa audire scit, & pauca loqui.* Rem testatissimam ad propositum nostrum refert R. P. Abraham illustris olim Cæsareus Ecclesiastes: fuisse, videlicet, Virum quemdam, ut Nobilitate, ita scientiâ insignem, nomine Apollonium: hic à pluribus sui ævi Sapientibus importunè requisitus, ut ediceret: Quinam hominum sint optimi? *Qui in dicendo brevissimi*, respondit. Econtrà, qui longas, & superfluas Sermocinationes facere consuescunt, magnam audientibus nauseam creant, seque penitùs prostituunt. Nec sine ratione: Sapiens enim verbis innotescit paucis. Propterea prudenter informat nos toties citatus Purpuratus Justinianus: *quicunque Sapientiæ Verba utiliter fari desiderat, in silentio prius discat intus, quòd postmodùm viva voce loquatur foris. Re quippe vera, nullus scit fructuosè loqui, qui ignorat prudenter tacere. Taciturnitas namque benè loquendi principium est.*

Errant


Errant insuper summoperè obtrectatores garruli nos extremo silentio damnantes; longè namque aliter est, quàm hi de nobis fabulentur: Sanctissimus enim Legislator noster Divus Romualdus discretissimam hujusmodi (*quod notari velim*) nobis Silentii sancivit legem, part. 1. de Silen. *Taciturnitas*, inquit, *sacro sancta est, dummodo justitiæ metas non excedat, quæ tacendi, loquendivè tempus docebit.* Statutis igitur diebus è propriis egredimur cellulis UTILITATIS, NECESSITATIS, & CHARITATIS causâ convenientes in unum: ubi de rebus necessariis, de animæ profectibus, de Conscientiæ casibus, de miseria Vitæ præsentis, de periculo humanæ peregrinationis, de Diaboli fraudibus, de vitiorum abominatione, de Virtutum ornamentis, ac de mortis inevitabili necessitate, magno cum animarum lucro sermocinamur. Sic etenim nostros quoque Sanctos Patres, eximios Silentii sectatores, egisse in comperto habemus.

Est insuper silentium quoddam (quod nobis vigore statutorum vetatur in summo (silentium nempe à Laudibus Divinis, à Gratiarum actione, & ferventi oratione. Ab hoc silentio Regius quoque Propheta nos seriò inhibet dicens: *Vos qui reminiscimini Deum, ne taceatis, & ne detis silentium ei.* Ergo vide Zoile, quàm totô Cœlo erraveris nos extremo silentio damnando. Ac Proin nostræ sanctæ Taciturnitatis leges (tot Viris sanctitate conspicuis usitatas) noli deinceps impugnare, multò minus contemnere. Nam si tibi vel semel daretur Silentii, & solitudinis spirituales experiri delicias, procul dubio ex abundantia suavitatis earum in hæc verba prorumperes cum Propheta: *Ecce quàm bonum, & jucundum est sedere, & tacere, & levare se super se*, Præstolando adventum dilecti Amici JESU CHRISTI.

VITA

VITA
MAGNI
ANACHORETÆ,
ET
GLORIOSISSIMI
PATRIARCHÆ
DIVI
ROMUALDI
IN COMPENDIUM QUIDEM REDUCTA,
SED
OMNIGENIS ASCETICÆ VITÆ CHRISTIANÆQUE PERFECTIONIS VIRTUTIBUS ADEO REFERTA;
UT EX EA
SUPERIORES MODUM REGENDI, SUBDITI NORMAM AD PRÆSCRIPTUM STATUTORUM SUORUM CONVERSANDI; CUNCTI DENIQUE FIDELES, ABSOLUTISSIMAM SIBI SALUBRITER VIVENDI METHODUM FACILE DECERPERE POSSINT.

Laudemus Viros Gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua. Multam (*enim eis*) Gloriam fecit Dominus Magnificentiâ suâ à Sæculo. *Eccl. cap. 44.*



CONSTITUTIO CLEMENTIS VIII. PONTIFICIS MAXIMI DE FESTO SANCTI ROMUALDI.

PIa Mater Ecclesia ad hoc Sanctorum cum Christo regnantium memorias à Christianis populis frequentari instituit, ut nos, quos uti Filios Deo quotidie parere satagit, tantorum Patrum exemplis provocati, eorum sectemur fidem, imitemur virtutem, gloriamquè paribus vitæ lineamentis, aut invenire, aut exquirere studeamus. Ad hæc; ut eorum invocatione sentiamus ipsos qui ex hac vita discesserunt,

 haben-

habentes adhuc erga nos, qui in hoc Mundo relicti sumus, charitatem; curam de nobis gerere, suisque precibus atque interventu apud Deum nos juvare; cumque de propria salute, & immarescibili gloria sint securi, de nostra multiplici miseria sollicitos existere.


In his sanè reponendum esse imprimis judicamus gloriosum Anachoretam Romualdum, Patria, Familia, Vitæ Sanctitate, & divinarum rerum contemplatione, Ordinisque Camaldulensis Fundatione, Illustrem: Cujus tanta fuit in Deum Religio, & Pietas, ut in Cœlis solummodò ejus conversatio esse videretur, ab hominum conspectu, & accessu remotissima, Sanctorum verò, & Beatorum consuetudine, quorum apparitione & intuitu sæpissimè dignatus est, acceptissima: tanta erga proximos charitas, ut oratione, & lachrymis suis, Parentem suum Religioni & Cœlo aquisiverit; Multos clarissimos etiam Viros, Reges, & Principes suô exemplô ad humiles casas in Eremo habitandas, & fulgorem purpuræ cum vili tunica commutandum allexerit; plurimos à corporis, & animæ infirmitatibus, ac imminentibus vitæ periculis, signo crucis eripuerit; collapsamque in Italia Eremiticam disciplinam restituerit, ac mirificè propagaverit: tanta verò sui humiliatio,

liatio, & contemptus, ut Spiritûs Sancti, qui super humiles requiescit, domicilium effectus, sacrarum Scripturarum intelligentiam, & prophetiæ donum, consecutus sit; & quò magis humilitatem coluit, eò amplius à Deo exaltari meruerit, longitudine in terris, immortalitate, & Sanctorum gloria in Cœlis coronatus.

Ut autem tam insignis Dei miles debitâ ab omnibus veneratione & cultu honoretur, assiduisque precibus invocetur Vir dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione est: Ejusdem Sancti Romualdi Nomen & diem Festum in Calendario Romano, quo nunc utimur, die 7. Februarij, quo die ejus translatio facta est adscribendum & celebrandum esse, auctoritate, & tenore præsentium perpetuò decernimus, & statuimus; Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ &c. &c. Non obstantibus, &c, &c. *Ita Clemens Papa VIII.*



CAPUT



CAPUT I.

De Solemnitate S. Romualdi, Virtutibus, & illustri progenie ejus.



ADest dilectissimi Sancti ROMUALDI Patris, & Legislatoris nostri præclara Solemnitas, quæ dum fidelium multitudinem ex diversis in unum partibus convocat; Nos etiam, ut insigne præconium pro modulo nostro non taceamus, invitat; Sed quasi reperto totius Ordinis communi thesauro, communiter in Christo gaudere debemus; tantoque propensiùs spiritualem lætitiam alacri debemus mente concipere, quantò non ignoramus & ipsum humanæ salutis inimicum amariùs suspirare. Gaudebat namque Diabolus, sperans Romualdum vincere suis machinationibus; Sed victus ab eo, graviùs nunc gemit, & ruinæ suæ dedecus, quod succumbendo pertulit, gemebundus agnoscit. Hæc est enim dies, in qua S. Pater Romualdus triste hoc sæculum deserens, deposuit sarcinam carnis, & stolam adeptus est Angelicæ charitatis. Hodie triumphato mundo & Diabolo, palmam gloriosi certaminis ad Imperatorem cœlestis militiæ reportavit. Hodie alternantibus undique hymnidicis Angelorum cœtibus vexillum peractæ victoriæ regnis Cœlesti-

Cœlestibus intulit, & diadema aureolæ de manu Domini accepit. Idcirco Fratres dilectissimi, exultate, & lætamini, quia hodie nobis gaudia sanctæ lætitiæ seminantur, tam de Patris nostri gloriosa victoria, quàm de hostis antiqui ignominiosa ruina. Hodie inquam S. Pater noster deposito corpore, quo solo præpediri ab introitu Gloriæ videbatur, tantò altior, quantô expeditior penetravit in Sancta, æterna Redemptione inventa. Gaudete itaque Fratres dilectissimi, iterum dico gaudete, quia hæc est dies Cœlestis lætitiæ, quam fecit Dominus. Exultemus in ea, in qua relicto mundo supra mundum mundi victor ascendit; & jam pausat miles, ex meritis, ac post labores, sudoresque sacræ militiæ feliciter exantlatos, in Cœlo collocatur sublimiter coronatus. Nam ipse in terris habitavit, ut nobis esset exemplo; Sed jam in Cœlum levatus, est, ut nobis esset patrocinio. Hodie itaque Sanctus Pater de novissimo loco, quem sibi ex consilio Salvatoris elegerat in mundo, ipso summo Patre-Familias invitante, tanquàm verus Amicus jam ascendit superiùs; & est ei Gloria coram Angelis, & omnibus Sanctis simul discumbentibus. Hodie inquam ex longinquis partibus multitudo fidelium ad sepulchrum S. Patris confluit, ut Miracula per eum divinitùs facta conspiciat, & de tam glorioso Patrono Bonitati divinæ grates immensas referat. Quantô putamus hodie gaudiô utriusque sexus multitudo tripudiat, & ob Sancti Patris immensam Gloriam mirabiliter exultat?

Gaude & tu dilecta NITRIENSIS EREMUS, quæ Sacro TANTI PATRIS Discipulorum incolatu (*teste Damalevicio Scriptore fidelissimo*) jam olim sanctificata, hodie haud minùs, quàm clara illa Ægypti NITRIA, sanctis Eremitarum moribus exornata, reflorescis. Agedùm, & in cœpta Virtutum persiste semita; *Lætaberis* in brevî (haud vanus cum Isaia sum Augur Tibi) *& florebis quasi Lilium, germinans germinabis, & exultabis*

exultabis lætabunda, & laudans. Consolabitur enim Dominus ruinas Tuas, & ponet Desertum tuum, quasi delicias, & solitudinem tuam quasi hortum Domini. Isaiæ 51. & 35.

Applaude ad extremùm tu quoque TELLUS UNGARICA, cujus confinia (adhuc regnante Sancto tuo PRO-REGE STEPHANO) Sacris PATRIARCHÆ hujus sunt calcata pedibus, decorata Virtutibus, dotata Benedictionibus, adaucta Sanctissimis Ejus Discipulis.

Sed dùm Patris nostri ROMUALDI communia gesta percurrimus, nonnulla conversationis ejus Insignia describere debemus. Habemus namque dilectissimi: in vita Patris nostri S. ROMUALDI, & quod dignè miremur, & quod salubriter imitemur. Tutiùs tamen æmulantur solidiora, quàm sublimiora, & quæ magis virtutem redolent, quàm Gloriam. Studeamus proinde ipsius conformari moribus, cui in miraculis assimilari, & si volumus, non valemus. Fecit namque Sanctus Pater noster in vita sua magna stupenda, & eximia miracula; Sed primum & maximum miraculum ipsemet erat. Quid enim potest esse mirabiliùs, quàm videre tam S. Patrem in Gloria humilem, in divitijs pauperem, in deliciis castum, in injuriis mitem, in opprobriis mansuetum, in plagis & verberibus patientem. *Sed & si miracula nulla fecisset, mirabilem vitam ducens, minori veneratione dignus non esset:* Neque enim Joannes Baptista miracula fecisse legitur, quo majorem nullum inter natos Mulierum Veritas increata testatur. Et sic inter cæteras Festivitates, S. Romualdi Celebritas præclara est, affectu delectabilis, memoria dulcis, experientia suavis, fructu perennis, jucunditate peromnia felix. Nam si ulla est, in sanctis distantia membrorum, si superni Patris in domo mansiones multæ, si denique stella differt à stella in claritate, tantò differentiùs S. ROMUALDUS præfulget in Cœlis, quantò syncerior conscientia, clarior virtus gloriosior ejus VITA fulsit in terris.

terris. Erat namque Sanctus Pater elector quietis , contemptor voluptatis, appetitor laboris , patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia , dives in conscientia, humilis ad merita, semper in virtutis exercitio, semper in compunctionis desiderio. Nulla illi cura familiarior, nisi de Deo, in lectione atque sermone, aut cum Deo in oratione: quia gestans contrita jejunio ossa , solebat de adversario longo triumphare Martyrio. Nam etsi ipsum gladius persecutoris non tetigit, dignitatem tamen Martyrij non amisit. Et quia sanctum Patrem Romualdum diu contigit in corpore vivere, necesse fuit etiam longiora carnis & diaboli, ac malorum hominum tentamenta perferre; sed quia adjuvante Christo Virtutem patientiæ fortiter servavit, dum in sancta pace vixit, Martyrij coronam à Deo promeruit.

Nam pro cibo & potu hæc secum incessanter ruminando revolvebat: *fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum* dicitur mihi quotidie ubi est Deus tuus ? & illud : *satiabor, cum apparuerit gloria tua;* ad quam gloriam, quia semper corde anhelabat, & continuis suspirijs ac gemitibus diurnis ac nocturnis illam desiderans, pio luctu ad superna gaudia sublevando se anima sancta pascebat.

Sed ut benevolus lector, pleniorem de tanto sancto notitiam habere possit; opere pretium duxi sequenti capite de Patria, natalibus, ac conversione ejusdem nonnulla exarare.

CAPUT II.

Romualdi Patria , Natales & causa Conversionis.

ROmualdus igitur Ravennâ illustri Italiæ Urbe oriundus, Sergio Patre ex nobilissima, & Regali Longobardorum ducum styrpe, vulgo *de Sassi* fuit progenitus. Quæ fami-

lia Fori Julij, & Beneventi insignes Ducatus, & partem Tusciæ possedit; ac amplissima Lombardiæ, Apuliæque Regna gubernavit. Et consanguinitate propinqua cum Imperatore Othone primo, ac per consequens cum alijs duobus gaudens, ex illustrioribus, ac ditioribus Europæ prosapijs originem duxit. Romualdus sub sui cursus juvenilis initio per lubricum callem incedere cœpit (vigesimum namque jam eòtùm ætatis suæ agebat annum) & ad mundi vanitates non parum propendebat. Mente tamen Deo devotus frequenter se tentabat erigere, & hujusmodi Mundanarum deceptionum laqueos declinare satagebat. Nam & si aliquandò se ad studium venationis accingeret, ubicunque per sylvas amœnum locum reperire poterat, totus ad Eremi desiderium accensus, in Eremiticas laudes prorumpebat, dicens intra se: *O quàm bene poterant Eremitæ in his nemorum recessibus habitare! O quàm optimè solitarium hic ædificari posset eremitorium! quam congrue possent in hoc recessu Eremitæ ab omni sæcularis strepitus perturbatione securi quiescere.* Vaticinabatur jam vel tum pius Juvenis hujusmodi deserta, & solitudines pro domicilio sibi futuras. Pater ejus nomine Sergius Dux Ravennæ, Mundo vehementer intentus, & sæcularibus negotijs, cumulandisque divitijs nimiùm quantùm immersus. Qui dùm adversùs quendam consanguineum suum exortis simultatibus, atquè controversijs pro possessione cujusdam prati inimicitias exerceret: videns filium suum Romualdum à contentione alienari, crimenque fratricidij medullitùs formidare, minari cœpit exhæredem facere, si in eadem sententia diutiùs permaneret, dicens: *Romualde notabilem in te, & affectûs filialis erga Patrem, & animi, ac generositatis defectum experior, degenerando non parvo cum dedecore à Regij sanguinis, ex quo originem trahis, nobilitate. Quasi inimicitia cum consan-*

guineo noſtro adverſario te non tangeret. Nos tangendo, tuum honorem, exiſtimationem, & tuum pingue patrimonium convellere laborat. En amittuntur prata, & tu ſiles. Quæ inſania hæc? quaſi ego non eſſem tuus Pater, & tu paternæ hæreditati ſuccedere non deberes, te geris. Heu! non debet reputari meus Filius, qui non nutrit ſenſus meo ſanguini, & generoſo ſpiritui conſimiles. Jam dudum cum nimia patientia ſuffero ſuper hoc adeò magni momenti negotio tuum teporem. Non ampliùs habeo pectus ad te tolerandum: aut te omninò in omnibus me ſequi reſolve, aut abſolutè (ut brevi complectar;) paternâ hæreditate privabo? cum non debeat agnoſci pro filio, qui in tam æquiſſima cauſa proprio Patri deficit. Saniori igitur mente, quæ dixi, percipe.

Hæc effatus Sergius, biliqúe tabeſcens, revolvit aliò paſſus. Quid plura? tandem ambæ inimicantium partes ex Urbe ad conſtitutum duelli locum progrediuntur, arripiunt arma bellum ſociale comittunt, & dum cominùs hinc inde pugnatur, repente manu Sergij adverſarius, & conſanguineus occiditur. Romualdus autem, licet nullum perempto vulnus inflixerit, quia tamen duellationi vel invitus inter fuit, pœnitentiam tanti reatus ſponte ſibi indixit, moxqúe ad Claſſenſe Monaſtetium B. Apollinaris more homicidarum diebus 40. permanſurus in luctibus, properavit.

CAPUT III.

Miranda Romualdi converſio.

ILlic autem diſtrictâ pœnitentiâ ſe jugiter macerans, cœpit cum quodam Fratre quotidianum habere colloquium, erat namqúe prædictus frater ejus obſequijs deputatus, qui per ſæpe ſalutaris exhortationis verba in aures Romualdi ef-

 fundebat,

fundebat, dicens, *Romualde, si adhuc in tuæ floridæ juventæ initio, Mundus te adeò barbare & inhumaniter tractat, quid ab eo tractu temporis sperare poteris?* Nunquid non occasione duelli Divitiarum tuarum, honoris, vitæ, & paradisi periculum subivisti? quemadmodùm namque adversarius tuus, præacuto Patris tui gladio necatus est, poteras & tu (nisi Deus ex sua infinita misericordia præpotentem manum suam in tui defensam extendisset) dira inimici tui manu consimiliter perimi. Et quid sunt hæc omnia? nisi benevola Cœli admonitio, cui promptas exhibere te aures oportet. Hæc & alia pius Frater frequenter Romualdo proponebat, admonebatque sæcularem vitam omninò postponere, & ad sanctæ conversationis ordinem suadebat festinare. Sed ad hoc mentem ejus inflectere diu non poterat, contigit autem aliquando intra discursum inferre: si, inquit, ego tibi B. Apollinarem: (cujus sacrum corpus in eadem Ecclesia quiescebat) corporali specie, ita ut, eum manifestè videre possis, ostendero, quid à te præmij reportabo? Ad hæc Romualdus, firma inquit, & inviolabili fide me obstringo, *quia, mox ut beatum Martyrem videro, in sæculo ulterius non manebo.* Hortatur ergo Frater, ut ipsa nocte Romualdus somno abstineret, & una secum intra Ecclesiam in orationibus vigilaret. Cumque nocturno silentio ambo longanimiter in oratione persisterent, ecce circa medium noctis Beatus Apollinaris, his duobus manifestè videntibus, exiit de sub Altari, quod in medio Ecclesiæ ad honorem B. Virginis Mariæ cernitur esse exstructum. Visus est autem exire ab orientali parte, illinc videlicet, ubi marmor porphyreticum jacet. Confestim verò tantus splendor totam replevit Ecclesiam, ac si sol fulgoris sui radios intra ipsos parietes cohiberet.

Tunc beatissimus Martyr sacerdotalibus indumentis mirabiliter

rabiliter adornatus, aureum in manu portans thuribulum, cuncta Ecclesiæ incensavit Altaria, & hoc peracto, statim unde exierat, rediit, & mox omnis ille splendor, eum prosequens, disparuit.

Cœpit itaque memoratus Frater Romualdo durus nimiùm exactor vehementer insistere, & ut impleret, quod ultro promiserat, anxiè postulare. Cumque Romualdus petito ejus nequaquàm assentiret, sed eandem visionem cernere denuò flagitaret, alia nocte similiter in oratione persistunt, & B. Martyrem per omnia, sicut prius, aspiciunt. Unde etiam postmodum, si de corpore prædicti Martyris aliquando quæstio oriebatur, Romualdus per omnia affirmabat in ipsa Ecclesia esse reconditum; & quamdiu Vir sanctus vixit, hoc proferre testimonium non cessavit.

Habebat quoque Romualdus consuetudinem ante præcipuum Altare Ecclesiæ orationi frequenter incumbere, ibique postquàm Fratres abscederent, multis Deum satagebat gemitibus exorare. Dumque hoc quadam die post visionem faceret, tanto mox divini amoris igne mentem illius spiritus sanctus accendit, ut in fletum repente prorumperet, uberesque lachrymarum rivos restringere non valeret, monachorum se pedibus prostratus ad volveret ac tradi sibi monasticum habitum in ennarrabili desiderio flagitaret. Monachi verò dum Patris ejus ferocitatem metuunt, conversioni illius aditum pandere non præsumunt. Honestus verò, qui tunc Archi-Episcopalem cathedram possidebat, olim Classensis Cœnobij Abbas extiterat; hunc ergo Romualdus impiger adijt, eique omne sui cordis desiderium patefecit. Qui alacri animo, castæ concupiscentiæ exhortationis stimulos addidit, Patribusque ut eum suo collegio incunctanter asciscerent, imperavit. Hujus itaque Antistitis patroci-

nio

nio suffulti Cœnobitæ, Romualdum intrepida securitate suscipiunt, eique sanctæ conversationis habitum tradunt.

CAPUT IV.

Romualdus ob monasticæ disciplinæ zelum, Mortis periculum incurrit.

SEd cum ibi cerneret nonnullos per lata gradientes remissiùs vivere, sibi autem arduam perfectionis viam, quam mens dictabat, arripere non liceret; quid sibi agendum esset, sollicitè in semetipso cœpit inquirere, multisque cogebatur cogitationum fluctibus æstuare. Cœpit tamen Romualdus miro virtutum suarum exemplo, atque dulcibus & charitativis persuasionibus discolos Fratres adhortari; sed cernens sua verba, & exempla parvi pendi, Zelo domus Dei armatus ad palàm reprehendendum exorbitantium fratrum licentiosam vitam se resolvit, sæpe namque ipsis cum emphasi dicebat: *Cur Fratres, in Christo dilectissimi promissis Christo factis non paretis? ad quid Mundo terga vertistis, si in ipso vitæ Religiosæ sanctuario sæculariter vivere non erubescitis? Quid prodest Benedictinus habitus & nomen, si leges à sanctissimo Patriarcha præscriptas contemnitis? hæ sunt illæ regulæ (codicem manutenendo) Fratres, quæ ab omnibus ejus Cœnobitis sunt adimplendæ, quarè non observantur, cur despiciuntur? qualiter sanctam observantiam violare audetis? quæ Religionis est anima, amissa namque illa, perit & ista. Transacta sunt jam quatuor sæcula, quibus Monastica vita, cum tanto Patrum nostrorum sudore propagata fuit, quam vos cum indisciplinatis moribus extremè ruinare non refugitis.* Corripiebat eos non rarò, noverat quippe; quod si de sacro Conventu correptionum, & rigoris

rigoris censura subtrahitur, disciplinæ vigor funditus enervatur, & sic Religio tota destruitur.

His alijsque creberrimis correptionibus conabatur Romualdus Fatres suos de via perditionis reducere, sed in cassum; quò enim ipse vehementiùs in eorum redarguendis vitijs insisteret, eò amplius illi tanquàm junioris verba contemnebant. Tandem correptiones ejus non ferentes, dum propriam emendare vitam despiciunt, de corripientis morte tractare cæperunt. Solebat Romualdus de nocte cæteris Fratribus maturius surgere, & si Oratorij adhuc janua clausa esset, intra ipsum dormitorium in orationibus excubare. Erat autem prædictum ædificium more Solarij altè ædificatum: hoc itaque invenerunt Filij Cain, diabolo dictante consilium, ut dum Romualdus ante alios solito more surgeret, ipsi eum per Solarij fenestram, verso deorsum capite præcipitarent.

Quæ res postquàm Romualdo per conscium conspirationis innotuit, ille jam de cætero intra cordis cubiculum clauso ostio, orans Patrem suum, imminens periculum devitavit. Hoc itaque modo, dum sibi cavit præcipitium corporis, Fratribus, ne in animarum mortem ruerent, barathrum clausit iniquitatis.



CAPUT V.

Romualdus Monasterio Classensi valedicit, & Eremum intrat.

Cumque in animo Romualdi perfectionis religiosæ amor in dies magis ac magis incrementum summeret, certior

tior factus quod in Venetiarum partibus, loco remoto, pariter ac devoto, ab humanis tumultibus per omnia sequestratus Vir quidam non minus natura ſimplex, quam moribus candidus degeret nomine Marinus. Qui alium Magiſtrum non noverat in ſua Eremitica vita, niſi divinum illum Spiritum, à quo in deſertum ductus fuerat, quo afflante licet Marinus ad eminentem virtutum perfectionem aſcenderat, pauco tamen poſt tempore ex Magiſtro feliciſſimus Romualdi diſcipulus factus ad ſublimiorem perfectionis ſpiritum pervenit, & ſe deinceps in exactiſſima, & cæca obedientia exercuit, quam ante hac ſolitariè vivens, non ſolum in praxi non habuit, ſed nec quidem cognovit.

Indulgebatur illis temporibus noſtris Monachis Benedictinis pro aſſecutione majoris perfectionis ſolitarius Eremi receſſus Romualdus igitur conſenſu ab Abbate, & Fratribus facillimè impetrato ad prædictum venerabilem Virum pergere, ſeque ferulæ ejus ſubdere decrevit. Rationabiliter ergo, & conſultò Romualdus, ut omnigena pace, tranquillitate, ac ſecuritate Deo famularetur, ſe à Monaſterijs disjunxit, & totaliter deſertis ſacravit.

Quod & temporibus noſtris à nonnullis laudabiliter practicari clarum eſt: Nec ſunt audiendi, qui hac in parte controvenire, vel hujusmodi pium conatum evertere nituntur; audiamus namque D. Petrum Damiani egregium Eremiticæ vitæ zelatorem libro ſexto Epiſtolarum ſuarum ſic differentem: Porro, quia jam manifeſtè docuimus, quod S. Benedictus alienum Monachum in Eremo ſuſcipi non prohibuit, oſtendamus nunc qualiter, ut hoc fieret, hoc eſt, ut Monachus de Monaſterio feſtinaret ad Eremum, etiam provocavit. Commentatur namque Sanctiſſimus Patriarcha noſter in regula ſua *Cap. 1.* Secundum inquit genus eſt anacho-

anachoretarum, id eſt Eremitarum horum, qui non converſionis fervore novitio, ſed Monaſterij probatione diuturna, didicerunt contra Diabolum, multorum ſolatio jam docti, pugnare: & bene inſtructi Fraterna ex acie, ad ſingularem pugnam Eremi, ſecuri jam ſine conſolatione alterius, ſola manu, vel brachio, contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante ſufficiunt pugnare. Ex quibus (pergit ulterius præcitatus auctor) utique manifeſtè colligitur, quia Doctor almi ficus de Monaſterio Fratrem quemlibet ad Eremum conſcendere non modo non prohibuit, verum etiam monuit, & docuit, inſuper etiam quibusdam perſuaſionibus incitavit. Auctoritatem quippe dat, diuturna prius probatione Frater in Monaſterio diſcat, qualiter in Eremo contra callidi tentatoris argumenta confligat. Hic enim pugnare multorum ſolatio fretus inchoat, ut illic poſtmodum ſola manu, vel brachio infatigabiliter ſe, & indeſinenter exercens, carnis ingruentibus vitiis, vel cogitationibus non ſuccumbat. *Hic Tyro, illic Magiſter, & Miles perfectus.* Hic rudis & tener qui ſub campi Doctore certaminibus aſueſcit, illic roboratus jam cominùs dimicat, & ſingulare certamen Chriſti non recuſat. Sic ergo iſti non in hoc quod faciunt animi intentionem figunt, ſed in alium procul dubiò tendunt; ſic nimirum; ſic Monachus, quem tamen ætas, vel ægritudo non aggravat, & in Monaſterio corporaliter degere, & ad Eremum toto deſiderio debet medullitùs anhelare; quatenùs illic per intentionem mentis velut nobilis arbor radicitus hæreat, hic ſe ad tempus ſub obedientiæ regularis exerceat diſciplina, ut videlicet Monaſterii converſatio non aliud, quam Eremi ſit præparatio, & altiori propoſito totus militet, ad quod ſe prius in Monaſterio conſtitutus exercet. In illis itaque Sanctæ regulæ verbis, quæ ſupra poſuimus perſpicuè de-

claratur, quia S. Benedictus, *dum in Monasterio hominem ponit, ad Eremum dirigit. Hic quidem collocat, sed illuc cohortatus invitat. Hic spiritale certamen incipere, illic edocet consummare. Hic admonet tyronatûs arma summere, ut illic noverit phalangas hostium, vitiorumque barbariem non enerviter obtruncare.* Sed ne forte dicatur, quia nos Sancti Viri verba ad nostræ voluntatis arbitrium violenter inflectimus: & potiùs argumentis innitimur, quam in hac interpretatione verborum nobis suffragetur veritas. Inquiramus adhuc beatissimum Virum Benedictum, ut quod super hujus disceptationis articulo sentiat, enucleatiùs elucescat: & illa quidem verba, quæ supra posuimus, in ipso sanctæ regulæ reperiuntur exordio, videamus nunc, quo eandem regulam fine concludat: *Regulam autem, inquit, hanc descripsimus, ut hanc observantes in Monasterijs, aliquatenus vel honestatem morum, aut initium conversationis nos demonstremus habere. Cæterum qui ad conversationis perfectionem festinant, sunt Doctrinæ Sanctorum Patrum, quarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis.* Vides igitur, quia Doctor insignis in Monasterio quidem constituit bonæ conversationis initium, sed post ad sublimioris Vitæ in sancta Religione provocat institutum; ut illic honestè vivere, moresque componere, velut in convalle primæ conversationis incipiat: deinde jam spiritualibus exercitiis roboratus, tanquam à lacte ad solidum transiens cibum, verticem perfectionis ascendat. Porrò autem, cùm ipsa Cœnobitarum regula perfectionem se non habere perhibeat, sed volentem perfici ad Eremi instituta patenter transmittat; cur nos ad perfectionis arcem conscendere floccipendimus, & quidem, ne ad meliora proficiant, semper aliis invidemus? ita loco citato memoratus S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Ostiensis, postea Eremi Crucis, avellanæ dictæ

(Con-

(Congregationis Eremitarum Camaldulensium) ad præsens florentissimæ, Prior.

Cernens itaque Romualdus se non jam importuna hominum conversatione, sed tantùm plantis & arbustis circumdatum, non ampliùs Gentium voces, ac strepitus, sed gratum Zephiri sonitum, & per amænum avicularum cantum audire; sæpius in solitudine illa, solitarij Hieronymi in sacra Eremo Bethlehemitica commorantis replicabat verba: *O Desertum, floribus Christi vernans! O solitudo in qua nascuntur lapides, de quibus Civitas Regis magni exstruitur! O Eremus familiarius Deo gaudens!* Et jam tum videbatur ipsi anticipata Paradisi beatitudine frui; in cujus meditatione ad sustinendos quoslibet labores, perferendas quasvis adversitates, adque suum corpus in servitutem redigendum se animari sentiebat. Cùm suo Magistro Marino, in mentali oratione, totiusque psalterij psalmis quotidie decantandis horas sanctè, ac religiosè occupabat, & dum paulisper refocillandi animi causa per illam nemorum latitudinem spatiarentur, nunc sub ista arbore vicenos, nunc sub illa tricenos, vel quadragenos psalmos concinnebant. Marinus tandem suum novellum in via Dei discipulum, psalmodiæ disciplinam instruebat, nonnunquàm verò Romualdus parumper aberrabat, ad quem vis errorem, veniam rigidus Magister non admittens, virga, sinistram ejus capitis partem in tantum percutiebat, quæ postea per repercussionem continuam, adeo offensa & tumida evasit, ut jam jam auditum perderet. Sanctus autem, & patientissimus discipulus, auditus præjudicium sentiens, gravi admodùm necessitate compulsus, humiliter ait; *Magister, si placet, à dextro me deinceps tempore percute, quia jam levæ auris auditum funditus perdo.* Tum Magister in se reversus, tantam ejus patientiam admiratus, non solùm in discre-

tæ ſeveritatis temperavit diſciplinam, verùm ex ea hora Romualdum ſuum Magiſtrum, ſe verò obedientem ejus diſcipulum palam profiteri cœpit, unde poſtea ad eminentem ſanctitatis gradum perveniens, Martyrii palmam gloriosè aſſecutus eſt.

Glorioſus itaque ſanctus Pater noſter Romualdus dum in hac peregrinatione Mundi ſolo corpore eſſet conſtitutus, cogitatione tamen ſemper in illa Cœleſti Patria eſt converſatus: quia huic Mundo crucifixus ac mortuus, quid quid in hac vita laboravit, ad ſupernam transſtulit, & ſe de ſiniſtra ſemper ad dexteram miſit, atquè in Cœlo ſudores ſuos repoſuit, quoniam tanquam bonus paſtor ſuper gregem ſuum vigilavit, & ſæpè pro Ovibus animam ſuam poſuit. Vere fidelis ſervus, & prudens, quem Dominus ſuper familiam ſuam poſuit, & ipſe conſervis ſuis tritici menſuram in tempore dedit, id eſt, pro captu audientium menſuratè, & opportunè divini verbi pabulum miniſtravit, dum in ſe divitias Cœleſtium munerum aperuit, & de armario ſuave olentium virtutum aromata ſanctificationis, & gratiarum ſuarum ſuper Camaldulenſem Eremum, ac ſui Ordinis Eccleſias, copiosè effudit. Ideo à Domino audire meruit: euge ſerve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui. O Romualde ſanctiſſime, tu verè fuiſti Iſraël, id eſt videns Deum, euge, quanta eſt hodie inter Confeſſorum agmina gloria tua, cùm veſtigia tuæ rigoroſæ abſtinentiæ, & vitæ auſteriſſimæ vigeant etiamnum in tua ſacra Eremo Camaldulo! hæc enim Eremus vere eſt ſcala Cœli perſeverantibus in ea, perquam à terra uſque in Cœlum multitudo Monachorum albeſcentium videbatur aſcendere. Vere immortalis eſt Pater ſanctæ memoria tua, quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines, & in perpetuum triumphat coronata.

Imite-

Imitemur ergo Fratres dilectiſſimi Patris noſtri ſancti Romualdi victum ſobrium, affectum devotum, & manſuetum ſpiritum. Imitemur cordis caſtimoniam, oris cuſtodiam, & animi puritatem, diſcamus frœnum ponere in ore, modum linguæ, dormire parciùs, & orare frequentiùs, commonere nosmetipſos pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus, diebus jungere noctes, & divinis laudibus occupare. Æmulemur chariſmata meliora, & diſcamus ab ipſo, quòd mitis & humilis corde fuerit, jucundus ad hoſpites, liberalis ad pauperes, patiens ad peccatores, & benignus ad omnes. Ut enim taceamus interiorem hominem ejus, cujus fortitudinem, puritatem & pulchritudinem ſatis indicabant mores ipſius. Nam ipſum exteriorem hominem ita uno ſemper modo decentiſſimo, & honeſtiſſimo geſſit, ut nihil prorſus appareret in eo, quod poſſet offendere intuentes, & quidem, *qui non offendit verbo, hic perfectus eſt Vir.* At verò in S. Romualdo quis unquàm deprehendit otioſum, non dico verbum, ſed nutum? quis manum vel pedem moventem fruſtra? imo quid non ædificans in ejus aſpectu, habitu, & vultu? deniqùe vultûs hilaritatem nec fuſcavit mœror, nec levigavit riſus. Totum in eo diſciplinatum, totum inſigne virtutis, totum perfectionis forma fuit. Erat namqùe per omnia ſerius, non auſterus, remiſſus interdùm, diſſolutus nunquàm; negligens nihil, & ſi pro tempore multa diſſimulans, quietus ſæpè, ſed nunquam otioſus. In his forma eſt, cui imprimamur, in miraculis gloria, quàm miremur: illa lætificent, iſta ædificent, moveant illa, iſta nos promoveant. Et quia facilius ad operis ſui gratiam favor inclinatur auctoris, & grandis etiam hominis prærogativa monſtratur; nam hominem glorioſum, virtuteqùe pretioſum reddit imago. Licet S. P. Romualdus inclyti Ducis Ravennæ Nobilis natus

natus fuerit, moribus tamen magis ornatus, & virtutibus ampliùs decoratus esse studuit. Macerabat se semper jejunio, indutus omni tempore cilicio, pulcher facie, & aspectu, sed pulchrior opere & sensu. Erat in vigilijs sedulus, & in oratione devotus, in eleemosynis largus, & in conversatione sanctissimus, synceritatem mentis, vultûs sui synceritate monstrabat & lenitate Sermonis, & quid quid ad salutem potest pertinere æternum non minùs implebat opere, quam Sermone. O Virum per omnia DEO dignum! eminebat in ipso habitu animi pulchritudo in specie exterioris hominis, ut ipsam putares expressam imaginem sanctitatis. Erat enim reverendus bonitate, venerandus benignitate: censuramque austeritatis, temperabat mansuetudo humilitatis. Delinquentibus namque minabatur frontis austeritas, sed blandiebatur cordis serenitas. Erga bene agentes Petrus apparebat in vultu, sed erga delinguentes Paulus in spiritu. Internorum autem bonorum suorum formas & species sicut nemo potuit ad plenum aspicere, ita nemo sufficit explanare. Quas sicut ille studuit excolere, ita laboravit occultare, & cum vellet augeri, nolebat agnosci. Sed quia hæc est natura justitiæ, ut quanto studiosius abscondi optat, tanto clariùs innotescat, & occultatio ipsa prædicatio fiat; dum per omnes populos tantorum bonorum fama volitabat, eminebat in admiratione omnium, velut Civitas supra Monte situata, nec lucerna latere poterat supra candelabrum posita.



CAPUT

CAPUT VI.

Sancti Romualdi exemplum efficax. Ratio regiminis. De Diabolo Victoria.

SPargitur enim paulò post opinio Sanctitatis gloriosi Patris nostri Romualdi per proximas Regiones, & in odorem virtutum ejus multi homines undique concurrunt Nobiles & illustres amplis contemptis palatiis, arcta sibi Eremitoria construunt, atque pro Christo in cinere & cilicio vivere magnam gloriam ducunt. Concitatur nihilominus ad Monastica certamina juvenum impetus, & ad mundi sperenda ludibria per infirmioris ætatis exempla, fortia provocantur. Plures denique matrimonio juncti, mutuò consensu continentiam lege vincientes, Viri ad ordines, mulieres ad Monasteria transeunt, omnes æmulo fervore Christo servire desiderant, omnes hujus vitæ Angelicæ, quæ per Romualdum innotuit, fieri participes optant, Innumeri homines Romualdi famâ excitati, dùm ad claustralem vitam transire non prævalent, in propriis Domibus sine regula, regulariter vivere student. Tantos hic sanctus Pater suis parturiebat exemplis, ut in eo videretur divinum eloquium impleri: *Jam* inquit, *vocaberis Abraham, quia Patrem multarum gentium constitui te.* Interea ne cœlestis hujus benedictionis vena breves intra Italiæ terminos occludatur, sic divinæ providentiæ derivatur in amnem, ut fluminis impetus totam Ecclesiæ lætificet Civitatem. Nam tantarum novitas rerum longè lateque transibat in orbem, & ubique animas cœpit lucrifacere Christo. Clausus manens Romualdus in cella, toti mundo clarescere incipit, & laudum titulis præclarus refulget.

fulget. Replet fama virtutum ejus ultra-montana duorum Imperatorum palatia, & ipsorum Principum penetrat quoq; penetralia. Regum flectitur nobilitatis apex ad Romualdi sectanda vestigia, & à superbi sanguinis genere sancta humilitate degenerat. Nonnulli Ducum ac Comitum Romualdi invitante præconio arctam pœnitentiam faciunt: & qui potentes erant in sæculo Romualdum pro Christo pauperem suo modulo imitantur. Ornantur Monasterijs innumeræ alpes, ipsa quoque campestria hujus cœlestis ædificii fabrica decorantur. Multiplicatur Religionis cultus in sæculo, Romualdusque sanctissimus, & canditus Ordo Camaldulensis in floridum Ecclesiæ hortum implantatur. His beatis vivis floribus, quos Romualdus parturivit, feliciter hodie vernat Ecclesia, cum quibus & vita Eremitica in Eremo Camalduli à Christo sublimatur.

Igitur dum veterani mundi senecta vergente fidei caligabat visus, morum notabat gressus, & marcebat bonorum operum fortitudo; quinimo fœces temporum, fœces comitabantur vitiorum; tunc amator hominum DEUS, ex suæ pietatis consilio arcano sacrorum Ordinum suscitans novitatem per eos providit, & fidei fulcimentum, & reformandis moribus disciplinam. Dixerim certà sanctum Patrem Romualdum cum suis discipulis luminaria orbis, viæ ductores, vitæ magistros, in quibus meridianus fulgor mundo advesperascente surrexit, ut lumen videat, qui in tenebris ambulat. Suscitavit præterea pius Dominus sanctum & gloriosum Romualdum, atque in eo clarissimam Monachis & Eremitis lucernam accendit. Erat quippe Vir sanctus velut lucerna, quæ non sub modio curæ carnalis, sed super candelabrum purissimæ, ac DEO dilectæ conversationis fuit ponenda. Verè potens in terra erat semen ejus, & idcirco gene-

generatio rectorum benedicitur. Nam potens in terra erat sanctus Romualdus, quia Dux & Dominus Ravennæ extitit; sed quia Ducatum suum pro Christo reliquit, Fundator Ordinis Camaldulensis esse meruit; Semen quoque sanctorum Eremitarum in terra reliquit, & generationem rectorum, id est, Prælatorum Monachorumque Camaldulensium benedixit. Iste Pater sanctus Camaldulensis Ordinis lapis primarius, ac nobile Fundamentum, in fundamento sanctæ humilitatis, virtutum omnium fabricam ab ipso principio studuit collocare. Vigesimo namque post conversionem suam anno nomen & Officium Abbatis declinans, humiliter subesse voluit potiùs quàm præesse, & inter Christi famulos servire libentius voluit, quam serviri: sed petente universo Collegio Classensis Cœnobii, & cogente Othone secundo Imperatore, ac jubente Sergio Papa tertio, suscepit tandem regimen Fratrum, ac præfati Cœnobii, de quo suo loco dicturi plura. De hocce igitur regimine in corde suo timor non tumor exoritur, nec libertas, sed servitus augmentatur. Quo enim aliqua Prælationis specie altior cernitur, eò reputatione propria vilior, obsequioque promptior, & cultu despectior reperitur. Nullos jam famulorum respuit actus, adeò ut plerumque deforis revertentium pedes ablueret, & abstergeret, invitus valdè aliis præciperet, spontaneà verò ipse faceret: magis eligens per seipsum facere, quàm Fratribus imperare. Ipse lavabat, ipse tergebat, suo illo nobili spiritu, nec sordida fugiens nec fœda perhorrescens. Mos ei erat ad Matutinum prævenire Fratres, quos per signa simulanter excitans provocabat ad laudes. Sæpè cæteris dormientibus, ipse lampades accendebat, sæpè campanam propriis manibus pulsabat, nullus erat corpori, nullus in suo Monasterio desidiæ locus, ubi orandi, & Deo serviendi pigritiam aspera invectio stimulabat.

Verè Sanctus Pater Romualdus ſic erat in carne præmortuus, ſic à mundo penitus alienus, ut continuè ſacris orationibus, & divinis laudibus eſſet occupatus. Ferventiſſimam interni deſiderii aciem fixerat jam in lucem, & qui globum tranſcenderat terrenorum voluminum, ſinum mentis latiùs expandebat imbribus lachrymarum. Longis poſt Completorium tractibus cum Fratribus orat, & lachrymarum profluvia dum in ipſo proruptim abundant, in cæteris excitantur, Poſtquàm verò cæteri feſſa membra ſuis abibant refovere cubilibus, ipſe Pater ſanctus in oratione pervigil manebat & invictus, ut tunc venas divini ſuſurri furtivè ſuſciperet, quando ſopor cæteros occupaſſet. Sæpiſſimè ad orationem proſtratus in faciem, terram perfudit lachrymis, oſculisque demulſit, quaſi ſemper ſuum JEſum tenere videretur in manibus, in cujus pedes lachrymæ illæ fluant, & oſcula imprimantur.

Lachrymanti ſemel profunda nocte, aſtitit angelus tenebrarum in forma horribili, cæpitque ſancto viro immenſum horrorem incutero, & cum nimio furoris impetu mortem intentare. Sed Romualdus imperterritus JEſum inclamabat, & mox Sathan aufugiens ipſum cellæ parietem tanto furore percuſſit, ut maximam fagi arborem unius cubiti ſpatio per medium fiderit. In pariete ergo Dæmon oſtendit, quanta adverſus Romualdum crudelitate exarſit.

Sed Pater Sanctus quantam ſui mutationem in ardore ferventis orationis accipiat, quantum ſibi in illa fruitione divina bonitas dulceſcat, ſolita indicia probant. Cùm enim ab oratione Pater ſanctus cum jucunditate redibat, callida verba, quæ fratrum pectora ſuccendebant, de igne Altaris divini reportabat. Mirabantur namque quandam dulcedinem ex ejus ore procedere, & clariorem ſolito faciem apparere. Paverat certè pauperem in dulcedine ſua Deus, & men-

mentem, quam in oratione lux vera repleverat, exterius corporaliter prodebat. Sic mundo labili, & Jesu Christo amabili conjunctus non labitur, sed continuè in supernis deliciatur. Sic in rota versatili, virtute tamen stabili, fultus carne in imis, mente tamen semper per manet in excelsis.

CAPUT VII.

Sedata à sancto Romualdo tempestas, affectatæ, & delicatæ vestes improbatæ.

LIbet hic orationum ejus manifestare magnalia, sicut veritate fidelissima, sic & veneratione prædigna. Habitabat S. Pater Romualdus prope Civitatem Parmensium duobus annis in cella reclusus: & ecce Eremitæ, qui morabantur in solitudine, quæ Bifurcum dicitur, miserunt nuntium ad virum sanctum, flagitantes ab eo consilium, qualiter in Eremo conversari deberent, qualiterque diabolicis tentationibus resistere possent.

Ad hæc Pater sanctus respondit; *Ego, inquit, nunc libellum de pugna dæmonum nunc scribo, quem vobis cum redieritis dabo, vel certe ipse vobiscum forsitan venio.* Hoc illi audientes protinus in faciem se prosternunt, & ut cum illis ire dignaretur importuna supplicatione deposcunt.

Adveniente autem primæ lucis crepusculo, dixit Pater sanctus cuidam Fratri, nomine Ingelberto, respice, inquit, procul in pelagus, & videbis duas naves de longinquo ad nos venientes. Qui egressus ad mare vidit duas naves eminùs venientes, & præ nimia adhuc distantia, quasi totidem volucres apparentes. Quibus tandem subeuntibus portum, interrogati nautæ, utrum Romualdum cum

ſuis vellent ſuſcipere, nova repleti lætitia beatos fore ſe profitentur, ſi tam pretioſæ Margarithæ munere fruerentur. Tota ergo nocte ſequenti navigantes, cum circa diluculum ſubito venti ſæviunt, tempeſtas oritur, Mare ab imo fundo verſatur. Jam verò furentes undique procellæ ipſos quoque remigantes penè transvolant, & navim hinc inde concutientes, totas fere tabulas laxant. Videns itaque ſanctus Pater Romualdus jam ſibi cum omnibus imminere Mortis exitium, illico reclinato paululum capucio, & capite in gremium curvato, orationem cum lachrymis fudit ad Dominum. Mira res ſtatim aura datur grata, tempeſtasque fit ſedata, & quievit Pelagus. Et abſque ullo humano ſtudio ipſa ſe navis ſola dirigit, & in portum Capreolæ Civitatis delapſa celeriter ſubintravit. Tunc omnes, qui ad erant, Deo & ſancto Romualdo grates referunt, & ad voluti pedibus ſe manifeſtè ereptos de mortis faucibus ejus meritis profitentur.

Veniens itaque Romualdus Bifurcum, viſis omnium Eremitarum Cellis, quia nimis pompoſæ videbantur & ambitioſæ in nulla earum habere voluit hoſpitium. Vir ſiquidem ſanctus mirabilis abſtinentiæ, ſectatorque Chriſti, & Paupertatis Evangelicæ, cellam ſibi ad B. Hilarionis exemplum, vix unquàm longiorem fieri quatuor cubitis permittebat: viliſſimisquè tectus veſtimentis duo ſemper cilicia habebat: quas quidem veſtes & cilicia nunquàm lavari permittebat, maximam aſſerens ſtultitiam Monachum & Eremitam in vili veſte & cilicio extraordinariam quærere, vel appetere munditiam, ſed propter naſcentem corporis importunitatem, ipſa ſua cilicia projiciebat ad imbrem, quæ poſt triginta dies mutare conſueverat. Nunquàm caput ſuum lavit, nec novacula radere permiſit, ſed ipſe ſibi ſolebat excrementa capillorum, & barbæ forficibus attondere,

re, ut poſt futuris diſcipulis daret bonum exemplum ſanctæ humilitatis. Quia nemo eſt qui dubitet, quantùm omnipotenti Deo placet in Monachis & Eremitis vilis & aſpera veſtis. Cùm Rex Ninive purpura indutus propriæ Civitatis excidium meruit; coopertus verò ſacco, divini furoris motum veſtis humilitate placavit. Ezechias quoque Rex cultu Regio decoratus terribiles Regis Aſſyriorum minas tremefactus audivit; ſed mox cilicio & ſacco contectus, ab Iſaia Propheta optatæ proſperitatis oraculum reportavit. Quæ nimirùm promiſſio, ſcriptura teſte celerem pervenit ad exitum. Nam ecce Angelus Domini centum octuaginta quinque millia una nocte percuſſit, & ipſum Senacherib Regem filiorum gladio dignè trucidavit. Quid dicam de Achab Rege crudeliſſimo? cui Helias Propheta ajt, *Hæc dicit Dominus: in loco iſto, quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lingent quoque tuum ſanguinem.* Tunc Achab Rex ſcidit pretioſa veſtimenta ſua, & induit ſe cilicio, dormivitque in ſacco. Et ecce ſermo Domini ad Heliam: vidiſti, inquit, Achab in ſacco & cilicio humilitatum? propter hoc non inducam in eum malum quod locutus ſum. O verè beata vilis & aſperæ veſtis humilitas, quæ tam faciliter iram Dei placas! vides ergo quantum veſtis mollis, & pretioſa diſtet à veſte vili & aſpera, perpende; quia quem iratum experiri pretioſa & mollis veſtis meruerat, vilis & aſpera veſtis Deum Judicem placat: & quem puniendum illa reddiderat, venia dignum iſta commendat. Quanti autem meriti apud Deum vilis aſperaque veſtis exiſtit, ipſe Dominus in Evangelio teſtatur: cum dicit, *quid exiſtis in deſertum videre, hominem mollibus veſtitum?* ac ſi patenter dicat: Joannes præcurſor mens dilectus in deſerto habitans, mollibus non fuit indutus, ſed pilis Camelorum aſperrimis erat veſtitus, quia qui mollibus veſtitur, licèt corpore in Eremo habitat,

mentem

mentem tamen ejus illuſam dæmon crudeliter poſſidet. Nemo enim induitur pretioſis veſtibus, niſi ut videatur ab hominibus. Erubeſcat ergò Monachorum ſuperbia, confundatur Eremitarum mens miſera vanæ gloriæ peſte corrupta, dum Sanctus Romualdus amicus Dei, & templum Spiritûs Sancti, non dubitavit vilia & aſpera veſtimenta deferre. Infelix ille Monachus, qui nec ullum meruit divinæ gratiæ indicium, & ſuperſtitioſum laciniosæ veſtis affectat ornatum. Quid namque agit ſuperbia in ſcapulari, & cuculla? Quæritur non nunquàm à Monachis hujus temporis veſtimentum, non quod frigus repellat, ſed quod ſuperbire compellat. Non denique juxta regulam quod vilius poteſt comparari, ſed quod pulchrius, imò vaniùs poſſit oſtentari. Sæpè ex eodem panno partiuntur ſibi & miles Chlamydem, & Monachus cucullam. Et jam vix in toto Regno apud Mercatores poteſt inveniri pannus, quo dignetur veſtiri Monachus, ſed contra regulam pannos exterarum Provinciarum molles, & pretioſos comparant, quos contra conſcientiam deferentes, animas ſuas damnant. Quilibet namque ſæcularis Dominus, etiamſi Comes ſit, vel Baro maximus, jam non horrebit Monachorum veſtimenta, ſi ſuo ſibi fuerint modo aptata. Ita ſanè dum illud veſtimentum ſuperbiæ à Deo deſpicitur, etiam Monachus, qui illo induitur, conſequenter à juſto Judice damnatur. Diſcat ergò encæniatus Monachus quàm malè mereatur, quia undè pulcher apparere hominibus appetit, indè proculdubiò ante oculos Dei ſordeſcit; & undè impenſiùs ab hominibus honoratur, indè graviùs à Deo damnatur. Cùmque in admirationem ſui intuentium oculos provocat, ab omnipotenti Deo elongatus ſe ipſum condemnat.

CAPUT

CAPUT VIII.

Sancti Romualdi abstinentia, Gula Monachis, & Eremitis perniciosa.

SOlebat etiam Sanctus Pater Romualdus contra peccatum gulæ acerrimè disputare, & ad virtutem sanctæ abstinentiæ verbo suo, & exemplo volebat discipulos suos provocare, Ideò ipse Pater Sanctus ante curam regiminis habitans in Eremo cum tribus discipulis, quotidie jejunabat in solo pane & aqua, quindecim annis nunquàm ante solis occasum solvebat jejunium, manducans non plus quam dimidium libonem parvulum, nihil gustans exteriùs, nec pomorum, nec pulmenti, nec alicujus rei cibum. Ideo Dux Dalmatiæ & Venetorum Petrus dictus Urseolus, qui relicto Ducatu factus erat sancti Viri discipulus; quia multis deliciis educari solitus fuerat, jam jam sub tam districti jejunii pondere succumbebat. Hic se ad pedes Beati Romualdi humiliter prostravit, jussusque ut surgeret, necessitatem suam cum verecundia proposuit, dicens: Pater sanctissime, quia magnum habeo corpus ex hac menestræ medietate me sustentare non possum. Romualdus igitur fragilitati ejus piè compatiens, consuetæ mensuræ quadram superaddidit, & labenti jam Petro, ne omninò deficeret, misericordiæ manum tetendit, & ad prosequendum benè vivendi iter, quod cœperat, confirmavit.

Postquàm verò Sanctus Pater Romualdus officium Abbatis suscipere coactus, quotidie ad communem mensam veniebat cum Fratribus, sedens autem ad mensam, unum quidem

quidem pulmentum comedebat, poſtmodùm verò lectioni cum lachrymis vacabat. Siquando verò aliquem eſculentiorem cibum Fratres ſibi obſtuliſſent, mox illum ad manus accipiens, ori & naribus apponebat, & ſolùm captans odorem dicebat: *O gula, gula, quantum te delectaret iſte cibus? ſed væ tibi miſera, quia ex eo nunquàm guſtabis:* & ſic intactum ad coquinam remittebat. Quadrageſimali verò tempore ſemper in Eremo, & cella jugiter permanebat.

Dùm igitur quadam vice appropinquante quadrageſima locum habitandi per ſylvas quæreret, repente aquis undique circumfluentibus ita cum duobus diſcipulis concluſus eſt; ut nec ipſi exire, nec aliquis ad eos venire poſſet. Cumque dies Dominicus ad veniſſet, & nulla ſpes alicujus cibi eſſet, Pater Sanctus, ut erat ſemper hilari vultu, fidenter ait: *Quia niſi ſibi DEUS cibum mitteret, ipſe nullatenus herbas manducaret.* Duodecima igitur hora diei, ecce tres Juvenes onuſti vino & aliis cibis adveniunt, qui ſe à DEO miſſos aſſerunt. & Beato Romualdo cibos tradunt, ſicque diſparent. Tunc Romualdus cum Fratribus DEUM benedicunt, & repleti gaudio cibum pariter capiunt. Verè fidelis Dominus in verbis ſuis, qui dixit: *primum quærite regnum DEI, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Quid ad hæc dicituri ſunt Monachi, & Eremitæ modicæ fidei, qui contra regulam (quod nefas eſt vel dicere) ſani incolumes audent ſe à conſueta abſtinentia exemptos facere, delicatoribus appetunt veſci eſculentis, & generoſo cupiunt potari vino, non ut poſſint corporis infirmantis ruinas reficere, ſed ut poſſint carnis delectationes, & malam concupiſcentiam perficere? nemo enim poteſt carnis luxuriam extinguere, niſi priùs ſtudeat ſaturitatem gulæ ſuperare. Naſcitur quippè luxuria de gula, ſicut naſcitur de

Matre

Matre Filia. Quid enim peccavit Soror tua Sodoma, ait Propheta, nisi quia panem in saturitate comedit & in abundantia? & quia per abundantiam panis Sodomitæ carnis ardore fuerant succensi, justo Dei judicio igne sulphureo sunt cremati. Quòd si illos sola panis satietas, ad tam præruptum Ægyptiorum præcipitium impegit, quid censendum de Monachis erit, qui vegetato corpore, in immoderata libertate esum diversæ speciei carnium, & delectamentorum, ac potum variorum vinorum præsumunt frequentare; non quantùm imbecillitas exigit, sed quantùm delectatio suggerit. Quæ delectatio dùm primos Parentes nostros ex illo prohibito cibo infausta deceptione corruptos manducare compulit, perpetuæ ultionis pœna perplexos, transgressionis culpam in posteros transmisit. Scriptum quippe est: *Et vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculisque delectabile, tulit de fructu ejus & comedit deditque Viro suo.* Esau quoque dum de agro rediens, oppidò se conqueritur lassum, damnosum valdè pepigit cum Fratre commercium, dumque imò deratam gulæ rabiem in se sævire permisit, magnum primogenitorum decus, pro vili lenticulorum ferculo alienavit, sicut sacra testatur historia: *Quia juravit Esau, & vendidit sua primogenita, & accepto lentis edulio comedit, & bibit, & abijt, parvipendens, quod primogenita vendidisset.* Sic nimirùm Monachus, qui gulæ deditus seipsum deserit, postea corpus & animam damnatus amittit. Quid dicam de Nabuzardan Principe Cocorum Regis Babylonis, qui primus templum Domini succendit, vasa sanctuarij abstulit, & captum populum in Babylonem duxit? Sic nimirum gula, quæ arte Cocorum principatur Monachis, prima in eis succendit templum corporis, & omni eos spoliat merito sanctitatis, atque vinctos catena malæconsuetudinis perducit in barathrum æternæ confusionis.

E Nec

Nec ſufficit falſa gulæ excuſatio ad excuſandas excuſationes in peccatis, dum quidam falſi Monachi, ut poſſint continuè exquiſitas carnes, perdices, & phaſianos vorare, nituntur gulam ſuam ſub ſpecie medicorum excuſare. *Legumina, inquiunt, ventoſa ſunt, & caſeus gravat ſtomachum, lac capiti nocet, & potum aquæ pectus non ſuſtinet, caules melancholiam nutriunt, porri choleram accendunt; piſces de ſtagno, aut lutoſa aqua, noſtræ complexioni non congruunt, & ova bullita ſanguinem faciunt.* Quid hoc eſt Fratres? in omnibus fluvijs, agris, hortis, Cellariisque vix poterit reperiri, quod hodie Monachi comedere velint. Puta te quæſo, monachum eſſe, non medicum. Nec te Chriſtus judicabit de complexione. ſed judicabit te de tua profeſſione; quia non Hypocratis, Galleni, aut Epicuri dicta debes curare, ſed Chriſti & diſcipulorum ejus præceptis, debes obedire. Hypocras namque & Epicurus, alter voluptatem carnis, alter ſanitatem corporis ſervare docet; ſed Chriſtus Magiſter noſter utrumque damnat, cum veritatis ſententiam profert in Evangelio dicens; *qui amat animam ſuam, id eſt vitam animalem, perdet eam.* Sæpè namque animales Monachi dùm ſedent ad prandium, quantùm fauces dapibus tantùm aures paſcunt detractionibus, quibus totaliter intenti modum neſciunt in edendo. Interim ferculis fercula apponuntur, & ſæpè carnium pinguia corpora duplicantur. Cumque prioribus fuerint ſatiati, ſi ſecundas attigerint, videtur eis necdùm guſtâſſe primas. Tanta quippè accuratione, & Cocorum arte cuncta aptantur, quatenùs tribus, aut quatuor ferculis devoratis, prima non impediant ultima, nec ſatietas minuat appetitum. Venter quippè dùm neſcit, oneratur, ſed varietas ciborum tollit faſtidium: quia dùm gula adulterinis quibusdam provocatur ſaporibus, tranſitur qui-

quidem meta necessitatis, sed necdùm delectatio superatur voluptatis. Ipsa denique qualitas rerum ita deforis pulchrè aptatur, ut non minùs aspectus, quàm gustus delectetur.

Jam verò de aquæ potu quid dicam? quando nec quidem Vinum admittitur aquatum. Facilè hodie à Monachis quoque illud helluonum subscribitur proverbium: *Vinum lymphatum perturbat viscera fratrum.* Et quod sequitur; nec quidem audire dignantur: *Lymphatum crescit, dulcescit, lædere nescit.* Omnes ex quò Monachi sumus, infirmos stomachos habemus, & contra legem regulæ vinum ad satietatem bibimus. Pudet scribere, sed non pudeat emendare. Vidi ego uno in prandio ter vel quater amphoram semiplenam reportari, quatenùs diversis vinis magis adoratis, quàm potatis, nec tam haustis, quàm gustatis, sagaci probatione, illud quod melius, & fortius est eligitur ad prandium; non propter stomachi infirmitatem, sed ut ampliùs bibatur, & delectabiliùs glutiatur. Sed jam cùm venæ toto capite palpitantes fuerint ingurgitatæ, surgenti à mensa quid aliud libet, nisi dormire? si autem indigestum ad Matutinum surgere coegeris, non cantum, sed planctum ab ipso extorquebis. Cum verò ad lectum redierit, requisitus incommodum plangit, non crapulæ peccatum quod fecit, sed quod adhuc manducare non possit. Quis in principio, cùm ordo incæpit Monasticus ad tantam crederet Monachos crapulam devenire. O quantùm distamus ab iis, qui temporibus Sanctissimorum Patriarcharum nostrorum Benedicti & Romualdi exstiterunt Monachi! illi namque cùm se invicem reviserent ex charitate, tanta ab invicem aviditate panem animarum percipiebant, ut corporis cibum penitùs obliti, jejunis ventribus, sed non mentibus totum sæpè diem transigerent. Nobis autem convenientibus in unum,

 jam

jam nullus est, qui panem animæ requirat, nullus est, qui eum tribuat: nihil de scripturis sanctis, nihil de salute animæ agitur, sed nugæ & risus, crapula & potus, & verba in ventum proferuntur; ita, quòd jam potatio, abusivo nomine vocetur collatio, dum non à conferendo, sed à collo lauto, collatio derivatur. Rogo, iterumque rogo, quæ est ista ignavia O Monachi Milites Christi? plures certè sæculares bona opera agentes, & mandata Dei servantes, vitam aquirunt æternam, & vos delicatos cibos amantes, innumeros noctu diuque scyphos evacuantes, ac taliter carni vestræ servientes, salutem perditis sempiternam.

CAPUT IX.

Sancti Romualdi miracula. De dæmone victoria. Sitriensium Discipulorum suorum sanctitas.

DEtestabatur quoque Sanctus Pater Romualdus Monachos & Eremitas vagos, & instabiles, & frequenter admonebat discipulos suos dicens: noverint monachi vitio vagationis dediti, quia nisi è mundo pedem retrahant, & ad serviendum Deo in loco remotiori perseverent, nec perfectionis culmen attingere, nec ordinis sui sancita poterunt custodire. Ideò ipse quoque sanctus Pater Romualdus, veniens in Eremum quæ Sitria dicitur, damnato ostio in cella recluditur, atque per annos 7. sic perseverans continuum silentium inviolabiliter tenuit.

Interea Vir quidam phreneticus erat, qui ex organorum alteratione, seu capitis perturbatione stultus factus multos læserat. Hunc Parentes, & Amici ligatum funibus cum clamore, & strepitu ante Viri sancti cellam adduxerunt.

runt. Sanguis inerat oculis, ſpumabat os, & volubilis lingua de ore prodibat, ac ſuper omnem terrorem clamor, & rugitus horribilis rabiati hominis perſonabat. Quem videns Sanctus Romualdus, intimè homini miſerrimo compaſſus eſt; nec tamen ſilentium ſolvere voluit, nec cellam egredi aquievit, ſed per feneſtram cellulæ, pacis oſculum inſano homini dedit, (rem loquor inauditam) mox ut labia ſancti Viri phreneticum attigerant, perfectæ redditus fuit ſanitati, DEUM & Sanctum Romualdum laudans. Mirabantur omnes qui aderant, poſt tantam ferocitatem & inſaniam, in tantam ſubitò mutatam ſapientiam, & manſuetudinem. Referebat autem poſtmodùm ille, qui curatus fuerat, dicens: quia dùm ſacra Beati Viri labia tangere merui, ſtatim prodire ex ore ejus quaſi vehementis odoris ſpiritum ſenſi, qui totam faciem meam, & ipſum ſinciput capitis mei perflans, omnem cerebri æſtuantis ardorem protinus fugavit. Quod poſtquàm inauditum eſt, & longè lateque percrebuit, certatim ad eum diverſorum languorum infirmi confluebant. Ipſe autem ſanctus Pater inviolato ſilentio, oleum aut panem benedicens infirmis porrigebat, & omnes ſanitati priſtinæ reſtituebat.

Taliter autem tunc in Eremo Sitriæ vivebatur, ac ſi ex ſimilitudine non ſolùm nominis, ſed etiam operis altera denuò Nitria videretur. Omnes ſiquidem Eremitæ, nudis pedibus incedentes, omnes malè veſtiti & pallidi, ac nimia omnium rerum extremitate contenti, nonnulli verò damnatis januis clauſi, ita mundo videbantur mortui, velut jam in ſepulchro poſiti. Vinum nemo bibebat ibi. Sed quid ego de ipſis Eremitis loquor, cum & ipſi Monachi, & Monachorum famuli, ipſi quoque cuſtodes pecorum jejunarent, ſilentium tenerent, diſciplinam inter ſe invicem facerent, & de quibuslibet otioſis verbis pœnitentiam flagitarent.

Sed

Sed cum jam Sanctus Pater Romualdus multitudinem Fratrum ſecum habitantium cerneret, & turbas infirmorum non ſuffertet, quotidiè flebat, & incredidili deſiderio majorem ſolitudinem deſiderabat. Interrogatus autem à fratribus, quid haberet, & cur ſic amarè fleret, tandem reſpondit, quia rurſus ad ſæculum redij, & recepi jam mercedem meam in vita mea. Servabatur ergo à fratribus ne fugeret; ſed ipſe poſt modicum clandeſtinè receſſit, & ad Claſſis prædium, ubi erat ſancti Martini Eccleſia, quæ dicitur Inſula migravit.

Ibi verò quodam die, dùm recluſus in Cella completorium caneret, quia antiquum illic Cœmeterium fuerat, ut ſæpè fit, cogitare de mortuis cæpit, moxque ejus animum magnus phantaſticæ illuſionis horror invaſit. Et ecce maligni ſpiritûs repentino impetu cellam ejus ingreſſi, protinus eum in terra proſternunt, & immani eum cæde conficiunt, exhauſtisque longo jejunio membris, duriſſimos ictus illidunt. Tandem Romualdus inter ipſa percuſſionum vulnera, viſitatus divina gratia, in hanc vocem erupit: *Chare JESU, dulcis JESU, quare me dereliquiſti? nunquid omnino me manibus inimicorum tradidiſti?* Ad hæc omnes iniqui ſpiritus divina virtute fugati ſunt. Et continuò tanta divini amoris compunctio Romualdi pectus accendit, ut totum cor ejus in lachrymas, quaſi cera liqueſceret. Mox ſanus & validus de terra ſurrexit, & licet impediente adhuc ſanguine, ad eundem pſalmi verſum, quem reliquerat redijt; nec propter hoc cellam egredi voluit: Sed tanquàm fortis miles Chriſti, aſueto bello robuſtior, inſultabat dæmonibus, dicens: *Ecce paratus ſum, venite, & ſi quæ in vobis eſt virtus, oſtendite. Nunquid jam omnino deficitis? nunquid jam victi infelices receditis?* In ingreſſu, igitur dæmonum maligno incutiente ſpiritû feneſtra ſuper frontem ejus decidit, in qua mani-

manifesta postea circatrix occaluit, quæ evidens vulneris indicium, quamdiu Vir sanctus vixit, ostendit. Videns ergò diabolus, quia per semetipsum contra Dei famulum prævalere non posset, ad callida argumenta conversus, quocunque Vir sanctus ibat, discipulorum ejus animos adversùs eum in malitiam excitabat; ut quia retentari eum ab accenso sui fervoris impetu impossibile fuerat, saltem ab alienæ salutis cura compesceret, & quia ipse ab hoste minime superari posset, vel ex aliis victoriam ne præpediret.

CAPUT X.

Monachi Romualdum sanctissimum Magistrum suum dirissimè verberant, qui à DEO condigne plectuntur.

ALiquandò namque ad locum, qui Balneum dicitur, qui videlicet in Saxenati constitutus est territorio, transijt; ubi etiam non pauco tempore commorans, Monasterium ad Beati Archangeli Michaëlis honorem construxit, à quo non longè cellam in ea habitaturus intravit. Illic autem Hugo Marchio, septem sibi pro necessitate misit aureorum libras; quos ille, ut benè prodigus misericorditer dispensaret, accepit. Audito itaque quòd Monasterium Palatioli fuisset igne consumptum, sexaginta solidos deprædicta pecunia Fratribus in adjutorium direxit, reliquam autem, ut in simile opus expenderet, reservavit. Cognito hoc Monachi sancti Michaëlis, belluino contra eum furore commoti sunt, tùm quia pravis eorum moribus contrarius jam extiterat, tùm quia, quæ illi deferebantur, non eis omnia, sed quæ-

quædam alijs magis indigentibus erogabat. Facta conſpiratione unanimiter cellam ejus cum ſudibus, & phalangis irrumpunt, verberibus eum multis afficiunt, & direptis omnibus turpiſſimè dehoneſtatum de finibus ſuis expellunt.

Cum ſic eliminatus abiret, & nimia triſtiæ vis in mentis ejus jam interiora deſcenderet, hoc apud ſemetipſum deliberat, ut jam de cætero ſua contentus, alienæ ſalutis curam omnino poſtponat. Poſtquàm cogitationem, tantus animum ejus terror invaſit, ut ſi in eo quòd mente conceperat, obſtinatè perſiſteret, periturum ſe damnandumq; divino judicio nullatenùs dubitaret. Monachi autem compotes diu deſideratæ ultionis effecti, & quaſi projecto gravi onere levigati, hoc, quod in Dei famulum egerant, multis inter ſe laudibus efferunt, & in immoderatum ludum, atque cachinnum ſe lætitia lenocinante reſolvunt: deinde, ut tanti gaudii ſolemnitatem quodammodò jucundiſſimam faciant, ſumptuoſas deliciarum epulas ſibi ad convivium parant. Erat verò tunc temporis hyems, quæ non ſolum viciſſitudini temporum, ſed frigidis quoque eorum mentibus aptiſſimè congruebat. Unus autem ex eis, qui in Beatiſſimum Dei famulum ſævior fuerat, mel aquirere, unde mulſum epulantibus faceret, ſatagebat. Cùmque Sapin fluvium hoc ſtudio transmearet, offendentibus in plancas pedibus, ſubitò de ponte dejicitur, & fluviali voragine funditùs abſorbente raptatus, extinguitur.

Juſto Dei judicio turbida illum aqua ſatiavit ad mortem, quia in eo, quod flere debuerat, mellis dulcedinem ad vitæ concupierat voluptatem. Nocte verò, dum alii omnes ex more quieſcerent, deſcendente crebra nivium multitudine, repente tota communis ædificii ſuper eos fabrica corruit, & alteri caput, alteri brachia, his crura, illis alia contrivit membra, ſicque nefandæ temeritatis ſuæ condignas dedêre pænas.

CAPUT

CAPUT XI.

Evagatio Monachis, & Eremitis, turpis & noxia.

DIsce & tu Monache, ſi vis dæmones ſuperare, ſi vis focum carnis, & incentiva libidinis extinguere, aures tuas & oculos à negotiorum ſæcularium vanitate firmiter obſtrue, carnalium hominum deſtructioni magis, quàm ædificationi profutura contemne; quia vera eſt Salomonis ſententia: *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* Stabilitatem in cella tene, receſſum ſolitudinis inquire, cunctis corporis tui ſenſibus cenſoriæ diſciplinæ repagula appone. Fons enim, qui circumquaque ne effundatur, concluditur, undis ad alta profluentibus elevatur. Econtrà qui per plures rivos hinc inde deducitur, mox per æſtum ſolis exſiccatur. Denique ſi ambulanti David in ſolario domûs Regiæ, clauſæ feneſtræ obſtitiſſent, in Bethſabeæ concupiſcentiam nullatenùs exarſiſſet. Sed qui oculum ſub cuſtodia non tenuit, ipſe quoque poſt eum in immane ſceleris barathrum totus in præceps ruit: lubricatis enim greſſibus, totius ſui lapſum eſt expertus, dum ſolius frœnum laxavit obtutus. Cui videlicet illud Jeremiæ aptiſſimè congruit, *deprædatus eſt*, inquit, *oculus meus animam meam.* Si ergo tam ſublimis columna David, propter ſolam oculorum evagationem, graviſſimè corruit, quid de Monachis gyrovagis ſentiendum erit? qui per mundum vagantes, continuè diſcurrunt, & viſu atque auditu, omnibusque ſenſibus ſuis in mundi vanitatibus occupantur.

Quæ autem ſit differentia inter Monachos, qui ſtabilitatem diligunt, & eos, qui per exteriora ſe diffundunt. Duobus Sancti Iſac filiis edocemur: ſcriptum namquè eſt; *Eſau Vir gnarus venandi, Jacob autem Vir ſimplex habitans in tabernaculis.* Sed iſte prudenter ſimplex Patris benedictionem accepit, ille fatuitate gnarus, quia gladio viveret, & fratri ſuo ſerviret, audivit. Iſte niſi intra domeſtici laris ſepta ſe comprimeret, ſingularis privilegii, principatum non accepiſſet; ille verò niſi ſe inſtabilem per exteriora diffunderet, nequaquàm Benedictionis Paternæ myſterium amiſiſſet. Iſte domeſticæ quietis ſtabilitatem tenuit, & divina largiente gratia in aliena jura ſub intravit; ille venandi labore confectus, & hoc quod jure ſibi competebat, amiſit. Ut autem Monachi non poſſint ſcutum excuſationis opponere, qui per mundum vagantes dicunt, ſe obedientiam facere; non ignorent; quia & Eſau venatum prodiens paternis juſſionibus paruit, & tamen optatæ benedictionis præmia non accepit. Sic Monachus, qui aliquam rem propriæ voluntatis libenter exequitur, peccat graviter, etiamſi Prælati ſui mandatis ſpecie tenùs obedire videatur. Qui ergò vagando deforis propriæ voluntati ſatisfacit, & tamen ſe obedire Prælato aſſerit; noverit Deum, non tam coloratis verbis credere, quàm de occultis hominum juxta conſcientiam judicare. Deſinat ergo Monachus cum Eſau de Monaſterij ſui clauſura frequenter erumpere, deſinat cum eo, ſub obedientiæ ſpecie cauſis ſe ſæcularibus implicare; ne aliquandò cum ipſo lugeat ſe divinæ benedictionis extorrem, quem noxiæ vagationis ſequitur auctorem. Cum Jacob ergò ſe domeſticum præbeat, cum Jacob in tabernaculis ſtabiliter vivat, quatenùs Deo, qui verè eſt Pater electorum boni operis edulium paret.

Sed

Sed inter omnia hominum à ſuo propoſito deviantium genera, illud Deo non mediocriter diſplicet: quòd ipſis ſanctiſſimis Eremitis quidam videntur admixti, quos idem peſtifer vagationis morbus exagitat, & dæmon inſtabilitatis vexat. Quia videlicet hujusmodi eremitæ per publicum diſcurrentes; ſicut ſiniſtræ opinionis apud populum ſunt habiti, ita de ſæculo redeuntes, à lumine Divinæ gratiæ ſunt alieni. Quis quis enim deſiderat ad illud inacceſſibile lumen acie mentis attingere, neceſſarium ſibi eſt interiores oculos per diuturnam ſtabilitatem ab omni mundanæ actionis labe purgare, ne dùm ad ſumma contemplanda oculos elevat, terrenæ converſationis pulvis obſiſtat, & magis tenebras Mundi, quas reliquerat, videat: quàm lumen ad quod nititur, apprehendat. Tantò namque vita ſolitaria fit auſterior ipſi eremitæ, quantò retrahitur inolita vagandi conſuetudine, ita ut diſtrictio Eremitica, ſit graviſſimæ difficultati, & cella ipſa videatur horrori. Conſuetudo enim facit eremitæ cellam dulcem, vagatio videri facit horribilem. Vagantibus eremitis cella carcer eſt, permanentibus verò eſt ſuave cubiculum.

Silentium ſtabilem eremitam reddit vigilem, deforis autem venientem opprimit ſomnus. Confabulatio crebra in mente Eremitæ cæcitatem parit, ſecreta verò remotio animam illuminat & cuſtodit. Sæcularium negotiorum relatio, eremitæ animam paſſionibus mali deſiderij facit obnoxiam: Sacri eloquii aſſidua meditatio mundo reddit extinctam. Paupertas eremitæ, ſecuritas eſt mentis; ſecuritas autem Mater eſt puritatis. Econtrario abundantia rerum temporalium aculeos parit ſollicitudinis, ſollicitudo autem radix eſt anxietatis. Pedes non loti, manus neglectæ, cæſaries inculta, quaſi quædam anchora eſt eremitæ in cella jugiter

giter permanendi. E diversò bona & nitida vestis, ac delicati corporis compositio, fomes est & occasio in publicum prodeundi. Quis quis ergò vult; ut eremitica Vita dulcescat ei, profectò necesse est, ut in ea constanti animo jugiter perseveret, si suave jugum Domini vult portare quietus. Vita namque eremitica continuata quidem est refrigerium, intermissa autem videtur esse tormentum. Remotione quoquè continua illuminatur anima, vitia deteguntur, & quid quid eremitam de semetipso latuerat, aperitur: quia cum piscis de aqua extrahitur, confestim emoritur, sic eremita extra cellam positus, coram Deo in anima mortuus censetur.

Sæpe namque eremita servus Christi per dæmones decipitur, dùm ad aliqua Eremo profutura importunè invitatur; imminens namq; periculum, & commune discrimen nisi foras egrediatur, dæmones exaggerant; quòd si foras exierit, cuncta ad suæ voluntatis arbitrium, atque ad felices exitus profutura falsè asseverant. Antiquus enim hostis videns militem Christi, in præcinctu sancti certaminis positum non aliter posse à sui fervore propositi tepescere, machinatur uberioris eremi fructus superficie ipsum fallaciter decipere, ut dùm lucrum eremi magis attenditur, bonum animæ ad tempus quasi dispensatoriè postponatur. Sed qui mendaciorum diaboli consuetudinem frequenter expertus est, prudenter novit & vana suggerentium commenta respuere, & se ab infructuosi laboris exercitio custodire. Nam apud sæculares absentis eremitæ authoritas gravis est; Si autem præsens fuerit, nullius sæpe judicatur esse momenti. Quia apud sæculares eremita quisque velut pictura est, pictura autem si procul absit, cum aviditate prospicitur, siverò propè sit contemptibilis plerumquè judicatur. Et eremita quisque:

que, sæcularibus absens est timori, præsens autem videtur esse despectui. Sed antiquus hostis quos vagandi mala consuetudine velut assessor equitat, eosdem importunis calcaribus urget, ut & ipsi ad sæculi vanitates redeundo pereant, & alios secum ad inferni tormenta trahant.

Ex hac namque instabilitatis venenata radice tot peccata oriuntur, ut in quocunque vigere comperitur omni monasticæ professionis fructu velut arbor arida denudatur. Hoc namque vagationis peccatum tantæ est violentiæ, ut de ipso omnia vitiorum portenta credantur erumpere. Nam ut pauca referantur ex multis, Monachus in via tenere jejunium nequit, quia hospitialis ei humanitas non permittit, non psallit sapienter; quia ambulantium loquacitas sociorum eum impedit: Nocturnis non insistit excubijs, quia secretum deest singularitatis: flectendis genibus non insudat, quia sanctæ devotionis studio labor viæ non concordat: nequaquàm sub silentii censura constringitur, quia emergentibus causis etiam invitus per multiloquia effrænatur: quid dicam, quia lectioni & orationi non vacat, quem terrena tractare imminens necessitas invitat? Charitas in eo minuitur, quia mens, quæ tot actionum sæcularium ventos recipit, ab amoris Dei fervore tepescit. Suum quoque castitas mentis dispendium patitur, quia concupiscentiæ bello confligitur per fœminarum speciem, quam exterius contemplatur. Robur etiam patientiæ frangitur, cùm repentini casus obviant, quos non æquanimiter portat. Sobrietas non servatur, quia dùm lautioribus cibis hospitalis sedulitas exhibetur, & dùm inhumanum putat invitantium precibus non condescendere, delectat eum sub charitatis specie ventri molliter indulgere. Lachrymarum compunctionem, quibus peccata defleat, non habet; quia mens arida,

arida, & terrenarum affectionum cœno plena, rore sancti Spiritûs perfundi non meretur, imo arescit, & nullas per oculos lachrymas fundit. Mœret in sæculo, anxiatur & anhelat; sed quia hanc sui miseriam flere non potest, acriori amaritudinis dolore contabescit. Sic infelix vagus Eremita, cum & se flebilem videat, & tamen flere non valeat, quam remotus sit à salute animæ, ex ipsa cordis duritia cognoscat. Cum etenim flere sola sit via, qua peccator ad indulgentiam possit pervenire; ergo cum Eremita reatum suum plangere nequit, videtur sibi, quòd necdum quidem in via pedem posuit, quà pervenire ad indulgentiam possit.

Quòd si forsan aliquandò multis hominibus deforis prædicat, sed repente vana gloria subrepit, & quasi ex insidijs prodiens, Eremitam, qui alios curabat, occidit. Si autem hoc præcavens sub silentio se custodit, nihil eorum posse perficere, quorum gratia venerat erubescit. Si morosæ gravitatis, ut dignum est, speciem servat, valde pertimescit, ne ex hoc hypocrysis peccatum incurrat; si autem à suæ mortificationis rigore, se in levitatem resolvit, hic etiam multò minùs securus est, ne suo exemplo alios destruat. Si quandò inter discordes pacis vult formare concordiam, rectè veritatem dixerit, nunquàm eos concordabit: quòd si mendacio uti aquiescit, mox in peccati barathrum cadit; & cum voluerit peccantes arguere, sciat omnium contra se odia concitari. Videre autem & tacere, nihil aliud est, quàm malè agentibus consentire. Tantis namque insidiarum tendiculis iste mundus densatus est, ut quis quis Religiosus desiderat innocenter vivere, debeat se ab ipsius processu abstinere, cujus si sæpè viam terit, procuratos insidiarum laqueos non evadit. Cum verò ad Claustrum revertitur, mox illum quasi turba omnium, quæ vidit foris & audivit,

comi-

comitatur, & præcipuè si orationi vacare cœperit, ecce phantasmata cogitationum, ecce imagines quas in mundo viderat, rerum; ita ut in quovis angulo constitutus videatur sibi ludis sæcularium interesse, vel inter litigantes residere. Et cum miser Eremita vanis cogitationibus, & mundanis phantasijs renititur, & quasi circumvolantes musas abigere conatur, illæ mox ut abscedunt, protinus redeunt, illico, ut repelluntur, præstò assistunt, ut quasi fugitivum suum capere, & in propriam servitutem velint reducere. Tunc infelix Eremita discit, quàm malè fecerit, quòd se per mundum inanirer vagare relaxavit: dùm in modum lapidis obdurato corde nec lachrymas valet prorumpere, nec lumen post tenebras valet videre Anhelat virtutem, qua posset ad summa contendere, sed mundanarum cogitationum phantasijs gravatus, cogitur desperatus in terrenis jacere; quia eremitæ, qui spretis divinæ Militiæ cellulis, ad mundanæ vertiginis molam revertuntur, quanta mala damnationis agant, quàm infeliciter vivant, referant qui volunt, mihi consultiùs videtur (quia expertus) eos piæ compassionis lachrymis deflere, quam execrandæ conversationis ipsorum gesta ulterius calamo describere.

CAPUT XII.

Proprietas in Monachis & Eremitis à Sancto Romualdo damnata.

ET quia hæc est veræ charitatis, & fraternitatis regula, ut ita Prælati, Priores, & quicunque superiores subditos

ditos suos mutuæ dilectionis amore confoveant, quatenùs, siquid in eis reprehensibile invenerint, correctionis manum non abscondant. Illa quippe authoritas probatur esse utilis & honesta, quæ dum cuncta producit in medium, & quod corrigendum est, corrigit; & quòd bonum atquè sanum reperit mutuo puritatis amore custodit: sicque fit, ut dùm subditorum culpa corrigitur, Prælato corrigenti maxima à DEO gratia cumuletur. Ideo S. Pater Romualdus, dùm Classensi Monasterio præesset, officiumque Abbatis ibidem teneret, cordis sui oculos in Cœlum figens, *ut Deo in omnibus placeret, non timebat subditis displicere;* sed transgressores ordinis, omnesque proprietarios Monachos durè reprehendebat, & acrius corrigebat, ac ad ipsorum confusionem præcepta regulæ in testimonium vocabat. Cùmque redarguendis eorum vitiis vehementer insisteret, illi autem Patris verba nihili facerent; tandem correctionem non ferentet dùm propriam emendare vitam despiciunt, de Patris corripientis morte tractare cœperunt.

Sed Pater sanctus nìl mortem metuens, sed nè tam grave peccatum facerent præcavens, sapienter eos dereliquit, & resignato Abbatis officio solus spontè recessit: veniensque ad territorium Balnei, ibi non pauco tempore commoratus est, ubi etiam Monasterium in B. Michaëlis Archangeli honorem construxit, in quo ordinatis Monachis & Abbate, ipse non longe à Castro Vargarethæ reclusionem in parva cellula intravit. Sed dum præfati Monachi sancti Michaëlis per lata gradientes in proprietate viverent, & regulam promissam non servarent, Pater Sanctus eos per nuntios, & literas piè redarguebat, & ut pecuniam non servarent, sæpiùs increpabat. Illi autem facta conspiratione contra Patrem sanctum una noctium omnes simul cum baculis cellam

cellam ejus effringunt, & projecto ſene in terram, crudeliſſimis plagis eum percutiunt, ac ſemi mortuum hyemis tempore extra cellam projiciunt. Cumque ſic ſemivivo relicto ad propria rediiſſent, tunc Pater ſanctus apertis oculis neminem videns, collectisque viribus vix de terra ſurgens amariſſimè flere cæpit, dicens: *Habe tibi Romualde, id quod quæſiiſti Equidem juſtè hoc pateris, quia non contentus ſalute tua, ſemper pro ſalute aliorum ſollicitus fuiſti.* Sícque plangens & lugens lachrymisque nivem per fundens nudis, ut erat, pedibus indè nocte receſſit. Sed nequiſſimos illos Monachos grandis mox divina ultio ſecuta eſt. Et quia ſuper hoc plura ſcribere dolor non permittit. Ad cautelam ſolùm eorum hæc breviter adduxi, qui Magiſtrum ſuum etiam temporibus noſtris (à quo laborioſam ſollicitæ educationis curam experti, arrham religioſæ ſecuritatis perceperunt) non ſolum grata (ut dignum eſſet) veneratione non proſequuntur, ſed affulgente quavis occaſione in faciem ei reſiſtere, illum impudenter deſpicere, ac vice gratitudinis gravi contumelia, & injuriis afficere, non verentur. *O Novitij perverſi, quam cito ſitis in malitia profeſſi.* Si jam alias Magiſtri veſtri ſalutares damnabiliter reſpuiſtis præceptiones, vel unius (velim) memineritis verbi, *pœnitere.*

Tandem ſanctus Pater Romualdus ad ſolitudinem rediens conſtructa ſibi cellula ſolitarie cœpit vivere, & magnis miraculis coruſcare. Nam quidam comes ſuperbus, ac tumidus, miſſis paraſitis ſuis, vaccam rapuit cujusdam pauperis, cujus carnes convivaturus præparari ſibi fecit ad prandium cum magna gulæ aviditate. Et eccè pauper ille agricola cellam B. Romualdi feſtinus ingreditur, jacturæ ſuæ caſum clamoſis vocibus vociferatur, ſpem ſuam & ſuæ domus ablatam eſſe conqueritur. Sanctus itaque Romualdus

ad eundem Comitem nuntium dirigit, & ut pauperi Rustico animal suum reddat, humiliter deposcit. Quod si non fecerit ultionem divinam absque dubio sustinebit. Cujus preces superbus Comes respuit, & strata mensa cum suis hospitibus prandio assedit; & eccè in ipso edendi principio Comes frustum vaccinæ carnis abscidit, & in os misit, quod repentè ejus gutturi ita immobiliter inhæsit, ut nec deglutire posset, nec ullo pacto ejicere valeret; sicque inter servorum ac convivarum manus crudeli morte est necatus, & qui contemptis servi Dei precibus gulam carnis suæ satiare voluit, justo Dei judicio carnalem vitam adhuc jejunus amisit. Post cujus obitum sanctus Pater Romualdus volens Monachis & Eremitis exemplum paupertatis relinquere, tribus annis continuis cum Joanne grademio discipulo suo terram ligone fodiens, triticum proprijs manibus seminavit. Quod postea demetens, & baculo excutiens, de manuum suarum labore vixit. Qui licèt in agriculturæ duris laboribus se infatigabiliter exercebat, pondus tamen, & rigorem jejunii sibi dupplicabat.

Nos verò Monachi & eremitæ proprietarii, qui Mundi abrenunciatores dicimur, cur ad mundum iterùm, velut canes ad vomitum, revertimur? cur non veremur pecuniam repetere, quàm prius nullus vetuerat possidere? porrò nos spontè fecimus ut à nobis pecunia prævié possessa, jam nostra non fieret, & quæ nostri juris erat, in comune translata quotidianæ omnium indigentiæ serviret. Quale hoc consilium? quòd soli in tam periculosum nosmetipsos certamen adducimus, & contra regulam, ac sacri Evangelii sententiam dimicamus? quis, rogo, Ananiam & Saphiram rebus propriis abrenunciare coegit? sed quia partem pecuniæ ex legali alias (ut sibi videbatur) ratione, sustentandæ

quasi longioris vitæ, retinuit, neuter subitaneæ Mortis sententiam evasit. Et quia nequaquàm juxta renunciatorum regulam fuerant vivere contenti, juxta prævaricatorum pænam sunt infeliciter expirare coacti. Et quidem illi, ut pote rudes, & ad fidem noviter venientes, simpliciter peccaverunt; districto nihilominus; sed piô Dei judiciô, sola ut credimus corporum Morte, & non animæ puniti sunt. Nos autem qui cuncta præcepta Evangelii novimus, & vivere secundum regulam promisimus, quid ante tribunal Christi dicemus, aut quod excusationis genus invenire poterimus? Nam si adhuc Marsupio nostro denarius includitur, si ad injuriam Dei quantumlibet pecuniæ reservatur, quid in die judicii audituri sumus, nisi illud terribile verbum, discedite à me maledicti in ignem æternum?

Nàm & si pro futuris nostris indigentiis ad cassam quospiam numulos reponimus, dum nobis providentes imposterùm pecuniam tenemus, thesauro fidei nos vacuos esse Monstramus, & dùm professionem, quàm cùm Christo pepigimus, frangimus, violatæ fidei potiùs tormenta timere, quàm præmia de nostra Religione possumus sperare. In professione enim pactum, quod inter duos fit, vox ex utraque parte procedit, ut qui transgressus fuerit, pænam violatæ Professionis sustineat æternam. In professione autem nostra, qua cum Deo pactum fecimus, vox nostra hæc proculdubiò fuit: quia Christum sequentes, mundum relinquere, & paupertatem servare promisimus. Divina autem vox ad ista consequenter respondit: amen dico vobis, omnis qui reliquerit Patrem aut Matrem, aut agros propter nomen meum contuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Ecce audivimus, quod perfectis Monachis & Eremitis non qualiacunque munera promittuntur, sed Cœle-

ſtes divitiæ, & vita æterna pollicentur. Nimirùm decebat, ut hæc mutatio dexteræ excelſi fieret, quatenùs qui pro Chriſto effecti ſunt pauperes, jam cum ipſo divites facti, in vita æterna regnent Cœleſtis Curiæ Senatores. Qui verò ad terrena, quæ reliquit revertitur, ſicut alienus à ſæculo, ita alienus erit à Cœleſti Regno: fatuus nimirùm Viator, nec illuc reverti poteſt, undè receſſit, & quò ire diſpoſuit, non pertingit.

Enim verò per ſacram Profeſſionem toti Mundo renunciamus, proprietatem noſtram Deum eſſe conſtituimus, & nos illius proprietatis effecti ſumus, ut & ille ſit portio noſtra, & nos hæreditas ſua; dicimus enim in ſcriptura, *Portio mea Domine*, & ille nobis: *opus manuum mearum tu es, hæreditas mea.* Nam de hæreditate terrena ſcriptum eſt: hæreditas adquam in principio feſtinatur, in fine benedictione carebit.

Si ergo portio noſtra ipſe omnipotens Deus eſſe dignatur, quod ergo divitiarum genus tali theſauro præponitur? theſaurus namque Deus talis eſt, ut ſi ſolus ſit, omnes in eo divitiæ valeant poſſideri. In pectore itaquè Domini noſtri JESU Chriſti omnes theſauri ſunt abſconditi. Si verò Monachus cum Chriſto pecuniam ſervare voluerit, ſtatim Deus indigni conſortii impatiens, dum retineri putatur, amittitur, atque hoc modo fuſtrati recedit de manibus poſſeſſoris. *Nemo enim poteſt Deo ſervire & mamonæ.* Quapropter O Monache proprietarie, ſi vis in arca cordis recondere Chriſtum, excute prius denarium; neque enim in uno receptaculo convenienter ſociantur Chriſtus & denarius. Nam ſi utrumque ſimul incluſeris, alterum ſine altero, vacuus poſſeſſor invenies. Quantò quippè in pecuuia ditior fueris, tantò graviora tormenta in Inferno ſuſtinebis. Quia

Mona-

Monachus habens obulum, non valet obulum. Ergo obulus ſi tibi ſit, in aliena protinùs jura cedat, ut vacuam tui pectoris arcam Chriſtus inveniat. Magnus quippe hoſpes Chriſtus Deus quærit in tui cordis arcam deſcendere, atque ibi ſolus vult ſine accola habitare. Quem enim Cœli & terra non poſſunt capere, quopacto in exiguo cordis angulo vis illum cum pecunia habitare. Cedat ergò, & recedat pecunia terreſtris, ubi admittitur theſaurus Cœleſtis. Quæ enim ſocietas lucis ad tenebras, aut quæ conventio Chriſti ad mamonam iniquitatis? Abjiciatur ergò pecunia ærugini, tineæ & furtis obnoxia: vacet arca cordis tui, quæ Cœleſti theſauro poſſit impleri. Ubi enim theſaurus tuus, ibi & cor tuum. Quia multò ſalubriùs erat habitam in ſæculo pecuniam poſſidere, quàm abjectum cum peccato in Monaſterio conquirere. Pudeat ergò te O Monache Miles Chriſti, peritura pecunia in Clauſtro diteſcere, ne cogaris in inferno nudus & inops perpetuo igne ardere, & qui pauper noluiſti in Monaſterio cum Chriſto vivere, dives absque Chriſto, ſed ſervus pecuniæ cogaris cum diabolo perpetuò interire. Audiſti ergò numicola Monache, quid tibi avaritia paret, audiſti ad quem finem te avaritia perducat. Juſtum quippe eſt, ut cujus mens nunc ardet per avaritiam, poſtea corpus ipſius & anima comburatur in æternum. Igitur quis quis deſiderat futuræ paupertati occurrere, veras divitias debet appetere. Illum pretioſum theſaurum JEſum Chriſtum Dominum noſtrum ſtudeat toto corde quærere, qui & vita eſt hominum, & perennitas Angelorum: hunc inquam in arca cordis tui reconde, in illum omnem tuæ neceſſitatis ſolicitudinem projice, in ipſo per aſſiduæ orationis colloquium delectare, in ipſo te jugibus lachrymarum epulis refice. Ipſe tibi cibus, ipſe tuum erit indumentum.

Si autem contigerit, ut alicujus commodi exterioris indigeas, nihil hæsites, nihil de ejus firma promissione diffidas, quâ pollicetur, dicens: *primum quærite regnum DEI, & omnia adjicientur vobis.* Qui enim sitienti populo ex arida petra uberes aquarum rivos jussit effluere, & qui esurientibus Cœleste Manna per annosa temporum spatia potuit ministrare, putas uni Monacho suis obsequiis jugiter insistenti non poterit necessaria vitæ providere? & qui per quadraginta annorum curricula infinitæ illius turbæ vestimenta servavit illæsa, difficile sibi forsan erit attritis veteribus nova tibi præparare?

Nos certè modicæ fidei, compellamus DEUM esse tenacem, quia pusillanimorum diffidentia facit pauperem Christum. Sed plena fides divitem illum & largum in exhibendis muneribus experitur. Satage tantummodò Monache in iis te exercere quæ jussit: & nulla prorsus ex illis maneat dubietas, quæ promisit. Sit securus exactor, ubi ad solvendum promptus est debitor. Sine causa diffiditur, ubi ille promissor est qui nunquàm mentitur. Cæterùm in illa veræ Beatitudinis vita, quanta tibi dabuntur, & quàm pretiosa, non est, fateor, mearum virium disputare, nec est meæ facultatis enumerare. Hoc tantùm ad compendium inexplicabile meritorum referre sufficiat, quia hoc accepturi sunt boni Monachi, qui Mundum reliquerunt, & proprium in Claustro non habuerunt, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Monachis diligentibus se.



CAPUT

CAPUT XIII.

Prælatorum, Priorum, ita & Superiorum reprehenſa negligentia & Luxus.

QUid ad hæc mali Prælati, negligentes Priores, & inobſervantes Superiores dicturi ſunt, qui ad mundana negotia, diſperſi, aliud ex honore Prælationis ſuſcipiunt, atque aliud in opere faciunt? Ecce ſubditi eorum DEUM offendunt, & tacent; in malis actibus jacent, & correctionis manum non extendunt. Quotidiè per multas iniquitates pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter aſpiciunt. Sed quomodò quæſo mali Prælati, Priores, ita & Superiores corrigere poſſunt ſubditorum vitam, qui negligunt & ſuam? quia pompis ſæcularibus, & deliciis carnalibus intenti, tantò graviùs damnabuntur in inferno, quantò delectabilius vivunt in hoc Mundo. Debent enim Prælati delinquentium ſubditorum vitia non diſſimulare, ſed increpare, non ſuſtinere, ſed corrigere: ut quos divinus timor non revocat à malo, temporalis ſaltem pœna cohibeat à peccato. Quia ſicut benedictione digni ſunt, qui culpas ſubditorum corrigunt, ita absque dubio maledictioni obnoxii, qui peccatoribus blandiuntur. Nam & facti ſiquidem culpam habet, qui, quod poteſt, negligit emendare. Et dùm increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio Prælatus tacendo occidit.

Hinc eſt quòd ipſe Dominus, cum omnis Iſraëlitica plebs non diſpari crimine teneretur obnoxia, de populo quidem tacuit; ſed adversùs ſolos Prælatos in furorem ſe dignæ animadverſionis erexit, iratus enim ait: *tolle cunctos*

Prin-

Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus à vobis. Sed quid in his omnibus datur intelligi, nisi quod Prælatus, & quiscunque superior subditorum peccata corrigit, & ulciscitur, pacem Dei, & gratiam non modò sibi, sed etiam subditis absque dubiò promeretur. Unde divina vox: *Phinees, inquit, avertit iram meam à filijs Israël, quia zelo meo commotus est contra eos, ut non delerem eos.* Et subdit: *ecce, inquit, do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini ejus pactum sacerdotij sempiternum; quia zelatus est Israël pro DEO suo.* Quid dicam de Rege Achab, qui dum iniquo Regi Asyriorum Benadad inordinata pietate pepercit, divinam adversùs se sententiam provocavit? Unde sermo divinus ad Achab ait: *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus, pro populo ejus.* Meritò enim debet Prælatus superni Judicis subire vindictam, qui negligit in subdito exercere disciplinam. Unde & Dominus per Prophetam sanguinem subditorum in peccato morientium de manu Prælatorum minatur esse requirendum.

Sed cur moderni Prælati, Priores atque superiores subditorum peccata fovent, & non reprehendunt? nisi fortè, si ausim (pace vestra) dicere; nemo fidenter in alio reprehendit, in quo se esse reprehensibilem cognoscit? siquidem humanitas est omnium, in quo sibi quisquè indulget, aliis non vehementer irasci. Nam vita Prælatorum subditis debet esse in exemplum, Sed quomodò Deus bone jam lux mundi obscurata est! quorum nobis vita, via vitæ esse debuit, dùm malum exemplum in suis actibus ostendunt superbi, cæci facti sunt duces cæcorum. Quale enim hoc exemplar est humilitatis, in tantis delicijs vivere, & cum tanta pompa incedere, ut non dicas, si videas nonnullos hujus

hujus temporis prælatos incedentes, Patres Monasteriorum, sed Dominos Castellorum, non rectores Animarum, sed Principes Provinciarum.

Unde hanc illis exuberare æstimamus rerum affluentiam, decorem vestium, mensarum splendorem, congeriem vasorum argenteorum, nisi de bonis Crucifixi? quod enim sine miserabili gemitu non est dicendum; Christi JESU opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem & mortem; hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, & profundunt in aquisitionem turpis lucri, ac pretium universitatis suis marsupiis includere festinant, hoc solo à Juda Ischarioth differentes, quòd ille horum omnium emolumentum denariorum numero compensavit, isti voraciori ingluvie infinitas exigunt pecunias, his instabili desiderio inhiant, pro his ne amittant solliciti timent, & cùm amittunt desperatè dolent, harum in amore quiescunt, animarum verò sibi commissarum, nec casum, nec profectum omninò curant. Sed cùm sint de Crucifixi patrimonio, nimiùm incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritionem Joseph. Gloriantur itaque quidam moderni Prælati, quod sint Ministri Christi, & serviunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui honorem Domino non deferunt.

Indè is, quem hodie videmus in aulis eorum histrionicus habitus, & Regius apparatus: indè aurum in annulis, & sericum in lectis. Quæ dementia hæc, egregius quærit Prælatus, Petrus Damianus: *dùm lectus tam operosis decussatur impendijs, ut ornamentum sacro sancti cujuslibet, vel etiam ipsius Apostolici præcellat Altaris? & quam videtur absurdum (ait ulterius) ut stratus ille diligentius excolatur, ubi corruptibilis caro soporis quiete resolvitur, quàm ara Crucis, in qua videlicet ho-*

ſtia Dominici corporis immolatur. Indè menſæ ſplendidæ in delicatis cibis & plenis ſcyphis; Indè commeſſationes & ebrietates, indè Cythara, & tibia omnisque generis profana Muſica, indè redundantia torcularia, & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud: indè dolia pigmentata, indè referta marſupia. Complures propter iſta, non propter Chriſtum volunt eſſe Prælati, Abbates, Priores, Præpoſiti & Decani.

Sed væ Eccleſiæ ſanctæ DEI à fermento ſcribarum & phariſæorum, id eſt malorum Prælatorum, ſerpit hodie putida tabes per omne corpus Eccleſiæ, & quò lautiùs eò deſperatiùs, eoque periculoſiùs, quò interiùs. Nam ſi contra Eccleſiam inſurgeret manifeſtus Hæreticus, mitteretur foras & areſceret: ſi violentus Paganus, abſconderet ſe forſitan ab eo. Nunc verò quem ejiciet, aut à quo ſe abſcondet? omnes Prælati ſunt, quaſi amici, & omnes ferè ſunt Eccleſiæ inimici, *quia omnes, quæ ſua ſunt quærunt, & non quæ JESU Chriſti.* Ideò lugens & dolens clamat ſancta Mater Eccleſia: *Et ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Amara prius à Paganis in nece Martyrum, amarior poſtea in conflictu hæreticorum, ſed hodie amariſſima in malis moribus Prælatorum. Sed cur dicit in pace? quia hodie eſt pax, & non eſt pax. Eſt pax à Paganis, pax ab hæreticis; ſed non eſt pax à malis Prælatis. Unde vox plangentis Eccleſiæ: *filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Spreverunt, & maculaverunt à turpi vitio, à turpi quæſtu, & à turpi commercio. Superba enim nonnullorum Prælatorum mens improvida periculi ſemper majorum Dignitatum appetit aſcenſum, nec niſi poſt factum terretur ex deſcenſu, atque ruina; quia quantò altiùs ſpe vanitatis ad gloriæ aſcendunt triumphum, tantò graviùs, & profundiùs deſcendunt in Infernum.

Domi-

Dominus enim posuit Prælatos Ecclesiæ suæ custodes, & ovium suarum pastores, & vult ab eis de singulis ovibus reddi rationem. Qui si unam perdiderint, statim eos Diabolo venundatos in carcerem detrudi jubebit Inferorum. Ideo, cum beato Petro oves suas Christus committeret, quàm attentè ter ipsum admonuit, dicens: *Petre amas me, pasce oves meas*; quasi diceret: nisi ames me plusquàm tua, plusquàm tuos, plusquàm te, nequaquàm suscipias curam hanc, nec te intromittas curam gerere de ovibus meis, pro quibus utique sanguis meus effusus est. Terribilis sermo, qui posset etiam superborum quorumvis convertere corda. Propterea attendite vobis Prælati, quicunquè pascendas oves Christi suscepistis; pascite eas necesse est, in pascuis scripturarum, & in lege mandatorum Dei. Sed sunt mandata, quæ duris, atque carnalibus animis imponuntur ex lege vitæ & disciplinæ. Et sunt olera dispensationum, quæ infirmis, & pusillis corde ex respectu Misericordiæ apponuntur. Et sunt consiliorum solida & fortia, quæ proponuntur sanis, & qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni vel mali. Parvulis namque tanquàm agniculis adhortationis potus datur non esca.

Ad hæc boni solicitique pastores impinguare pecus non cessant, bonisque exemplis, suis magis, quàm alienis reficere student. Nam si alienis exemplis, & non suis, ignominia est eis, & pecus non proficit. Si enim Prælatus apponit, id est subditis, Moysis mansuetudinem, Jobi patientiam, Samuelis misericordiam, & Jeremiæ sanctitatem: ipse impatiens, immitis, & minimè sanctus; sermo ejus minùs sapiet, & subditi non capient verbum. Quodsi Prælatus ignarus, & idiota fuerit, quomodo quæso in pascua divinorum eloquiorum greges dominicos educabit? Sed et si doctus

ctus quidem fuerit, non sit autem bonæ vitæ, verendum est, ne mala vita plus noceat, & oves Christi destruat, potiora enim sunt exempla, quam verba. Studete ergò O Prælati, Priores, sic & Superiores, quatenùs subditos vestros, quos officio Prælationis superatis, etiam vita bona præcedatis. Bona quippè doctrina est, subditis necessaria alimenta providere, providentem verò in rigore jejunii persistere. Optimè ille Prælatus vigilare docet, qui primus surgens pulsando alios excitat. Eloquentissimè, dùm Prælatus orat & tacet, silentium cum oratione fratribus commendat. Fructuosè Prælatus de extremitate vestium disputat, qui se vili indumento de format, utiliterquè Prælatus observantiam regulæ commendat, quando ipse primus totam regulam observat.

Postremò (*ad solatium subditorum loquor*) si aliorum Ordinum Prælatis erga subditos suos hilares, ac benevolos se demonstrare convenit, crebrò eos ad serviendum Deo, cum promptitudine ac lætitia animando; nostræ Congregationis superioribus id absolutè est necessarium: quatenùs vitam subditorum suorum, quam inter nemora, & solitudines cum rudibus & paucissimis cibis, vigilijs, ac molestis exercitijs ducunt, magis anxiam, asperam & melancholicam (qualis in seipsa est) nimia sua serietate non reddant. Memores sint, velim: quod Religiosorum superiores Patres esse debeant, non domini, juxta auream Divi Bernardi sermone 23. in Cant. Canticor. doctrinam: Erudimini, qui judicatis terram; discite subditorum Matres vos esse debere, non Dominos. Studete magis amari, quàm metui, etsi interdum severitate opus sit, paterna sit, non tyrannica. Matres fovendo, Pa-

tres vos corripiendo exhibeatis; mansuescite, ponite feritatem suspendite verbera, producite ubera; pectora lacte pinguescant, non typo turgeant. Id est præ dominio & authoritate non intumescant. Ante omnia veri Pastoris (monente sancta Regula) officium expleant, & ita se secundùm uniuscujusque qualitatem conforment, & aptent, ut non solùm detrimenta gregis sibi commissi non patiantur, verùm & in augmentatione boni gregis gaudeant. Advertant bene omnes superiores, ut in recipiendis subditis, pia eis blandimenta, & exvisceratos amplexus monstrent; quatenùs confidentiùs in suis tentationibus, ac debilitatibus ad eos recurrere valeant. Væ ipsis, si eos exasperatos abire sinunt, & paterna viscera non ostendunt; nam si ideò subditus morietur, vel in via perfectionis retardabitur, aut pejor fiet (uti contingere solet) Deus rigorosissimam rationem à superiore expetet; attestante sancto Propheta Ezechiele 3. 18. *Ipse impius in impietate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Ex his clarè desumitur religiose lector, quanta sit superiorum obligatio; & quàm gravis incumbat eis bene agendi ratio; dicit enim scriptura Sap. 6. *Quoniam judicium durissimum fiet in eos qui præsunt.* Quotiescunque igitur & ipse in memoriam mihi revoco injunctam ratione superioratûs mei non tam onerosam, quàm periculosissimam, ipsisque Angelicis humeris formidandam animarum curam, toties in synceritate cordis lachrymabiliter ingemiscere cogor; novi enim, & indubiò assentior Divi Legislatoris nostri comminationi Cap. 2. expressati: *Qui suscipit, inquit, animas regendas, præparet se ad rationem reddendam, & quantum sub cura Fratrum se habere sciverit numerum, agnoscat pro certo;*

quia

quia in die judicij ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem. Et iterum : *Sciat Abbas, culpæ Pastoris incumbere, quidquid in ovibus Paterfamilias utilitatis minùs poterit invenire.* Onus certè & grave, & periculosum pro ammabus multorum rationem reddere, cùm vix unsquisque pro semetipso valeat respondere. Ob eam rationem salubriter unum quemque nostrum admonet Divus Laurentius Justinianus Cap. 1. *Nemo, precor, primatum ambiat, nullus alijs præesse desideret : cæteris quippe negotijs magis periculosum est regimen animarum, atque ad illud, prout oportet, ministrandum, difficile quisque reperitur idoneus.* Cui plus datum est, plus requiretur ab eo. Hæc & alia serio expendens. Abbas Clarevallensis ad Eugenium Epist. 137. audenter scripsit : *Considero inquit gradum, & casum vereor ; considero fastigium dignitatis, & intueor faciem ruentis deorsum, attendo celsitudinem honoris, & è vicino periculum reformido damnationis.* Sed ô Cœcitatem filiorum Adæ! non solùm non ambimus hodie Superioratuum onera, verùm etiam ad quas vis Prælaturæ curas cum maximis non tædet nos currere curis.

E converso antiquitùs complures æterna salutis pericula, quæ Prælaturas non rarò comitari solent, intenta mente considerantes, omnem prælationis honorem cane pejus & angue fugerunt, & ad Dignitates violenter evecti, suam in iis miseriam, & infelicitatem amarè deplorarunt. Nos verò non solùm non ploramus, sed exultamus potiùs ad currendam arduam dignitatis viam, & imparia viribus nostris affectantes, tantùm abest nos duplici honore dignos esse, ut potiùs duplici contritione conteramur, & cum Phaëtonte, qui Paterni currûs regimen affectans, pœnam sibi pro munera poposcit, in abyssum Inferi præcipites ruamus. Ac proinde Abbatialem quidam diu animo versans Dignitatem

tatem exclamârat olim: *O splendida servitus! ô onerosus honor! ô tribulationum, radix! ô animorum corporumque perditio infelix dignitas! quô infortuniô ad tuas unquam deveni manus! pereat dies illa, in qua dictum est mihi, Prælatus creatus es, lugenda dies, & nigrô signanda lapillô, tanquàm origo omnium miseriarum.* Sed quantùmvis gravia, & importabilia sint onera Prælatorum, incomparabiliter tamen ampliùs subditorum male morigeratorum ingratitudo eorundem exasperat animas, nam vice gratitudinis non raró murmura, oblocutiones, convitia, calumnias, detractiones, ut cætera taceam, sustinere debent: *quibus*, ait Hieronymus Hirnhaim, *scicut centrum expositi sunt ad sagittam.* Duriores sanè bolos interdum concoquere debent, quàm sint pabula struthionum. In quorum tale quale solamen elegiacum cujusdam Abbatis rythmum hic attexere libet.

O Prælati onus grave!
Quis quis ambis tibi cave
Ne te pondus opprimat.
Cùm vel ipsos id Gigantes
Fortiores quam Athlantes
Mole sua perimat.

Audi semel de tortura
Quam occultat Prælatura
Hæc pauca, quæ defleo.
Nam de damnis animorum
Quæ vix ullus Prælatorum
Plenè vitat, sileo.

Est

Eſt Prælatus , non Prælatus
Sed (ſic dicam) eſt poſtlatus
Imò eſt mancipium.
Quem nî DEUM pure quærit
Nihil juvat , imò lædit
Impenſum obſequium.

Dicat , agat quanta poteſt
Et impendat quid quid prodeſt
Ut abſit obloquium ;
Vel in uno ſi defecit ,
Nil valebunt , quæque fecit ,
Reus erit omnium.

Durus audit ſi inſiſtit ;
Nimis lenis , ſi remittit ;
O genus ſupplicij !
Dormit ? reus eſt neglectûs ,
Eſt ne vigil ? eſt ſuſpectus
Siniſtri judicij.

Indiſcretus proclamatur ,
Si quoscunque metiatur ,
Uno ſemper pondere.
Partialis , ſi ſoletur
Quemque magis , ut videtur
Charitas expoſcere.

Si condonat, timorosus
Erit autem rigorosus;
Si mendosa corrigit.
Est avarus, si frugalis;
Sin è contra liberalis;
Claustri bona prodigit.

Levem dicunt gratiosum,
Despectorem & morosum,
Si se gravem praebeat.
Legum tenax accusatur
Quod honores aucupatur
Praesul esse studeat.

Est severus? condemnatur,
Est suavis? adulatur,
Venditque blanditias.
Quid quid bibit, quid quid edit
Raras turba fratrum credit
Has esse delicias.

Si nitatur mente recta,
Promovere, quae perfecta,
Imperfecti iminent;
Si ut illis obsequatur,
Viâ laxâ gradiatur,
Perfecti non sustinent.

Quis tam prudens hæc vitavit,
Cum nec Christum liberavit
Sua Sapientia.
Quando namque nil haberent
Jus, & æquum, quod morderent
Habebit Invidia.

Si amicis se privabit
Væ! abundat? conjurabit!
Quid misellus faciat?
Ah quis onus hoc tremendum,
Velis, remis fugiendum,
Nisi stultus ambiat.

Alius quoque Abbatialibus pressus curis, hisce per intervalla relevabat animum.

LUget, plorat, lamentatur
Sancta nunc Ecclesia
Cùm suorum tanta datur
Abbatum miseria.
Nullus pene Abbas modò
Volet esse Monachus,
Qui eorum contemplatur
Diversa pericula.

Spiritaliter Abbatem
Volunt fratres vivere,
Et per causas sæculares
Cogunt illum pergere,
Per tam multa, per diversa
Quis valet in cedere?
Delinquentes dum emendat,
Omnes clamant impium;
Si quandoque illis parcit,
Dicunt esse tepidum.
Quis portare, rogo, valet
Vulgus tam ambiguum.
Et si velit de maligno
Quidquam loqui vitio
Monachorum intestina
Oritur seditio,
Et ocultè statim ejus
Tractatur perditio.
Si quandoque vel jejunat
Vel tenet Silentium:
Vanæ laudi mox Abbatem
Dicunt esse deditum.
Si sermonem facit Abbas
Denotatur garrulus;
Et si tacens nîl loquatur
Simulatur fatuus,

Huc ſe vertat illuc pergat
Semper erit anxius.
Intus foris, ſi contingat
Quælibet adverſitas
Hoc in curiæ Abbatis
Fratres omnes deputant:
Illum rodunt, & perrodunt
Et appellant inſcium.
Domus ſancta ſi non creſcat
In Abbatem invehunt:
Si decreſcat mox Abbatem
Velut hoſtem impedunt;
Ut incudem, ſic Abbatem
Simul omnes feriunt.
Quanta mala DEUS bone
Intus Abbas tolerat!
Exterorum namque foris
Simul portat onera,
Anxiatur & triſtatur
Quòd ſic premant omnia.
Noctem namque curis preſſus
Verboſus dimidiat,
Et auroram ut loquatur
Sæpiùs anticipat,
Totum diem in loquendo
Poſtmodùm continuat.

Hæc & alia Prælatus
Sustinet quamplurima;
Sæculares foris pungunt,
Intus Fratres vulnerant;
Illi corpus persequuntur
Hi corrodunt viscera.
Dic Prælate, rogo, chare
Quæ est ista dignitas?
Intus dolor, foris labor;
Hinc inde calamitas:
Corpus, fateor, his malis
Perditur & anima.
Quis Abbatum; rogo, valet
Ferreo nunc tempore,
Inter tot calamitates
Virgas ferre fertiles?
Prælatorum certe modò
Sunt honores steriles.
Quibus precor, ô Abbates
Venerandi cedite;
Grave pondus, & inane
Ultrò jam abjicite
Sicque vobis, in quiete
Ac securi, vivite.

CAPUT XIV.

Institutio Eremitarum, præsertim tyronum.

COnvocatis itaque S. Pater Romualdus omnibus, & singulis Eremitis, docebat eos, ut per totum anni circulum tribus diebus in septimana solo pane & aqua jejunarent, psalterium cum canticis quotidiè dicerent, silentium inviolabiliter servarent, disciplinas flagellorum in cella facerent, metamas ac genuflexiones frequentantes sæpè cum lachrymis orarent, & vilissimo panno induti, mundi vanitatem fugerent. Ipse verò sanctus Pater, ut suo exemplo Fremitas ad pœnitentiam provocaret, semper nudis pedibus in cella reclusus, asperrimo cilicio erat indutus, & excepto die dominico in pane & aqua quotidiè jejunabat. Sic alternatim sibi dies penuriosæ refectionis, & dies acerbæ mortificationis invicem succedebant, & jejunium perfectæ abstinentiæ post Vesperas solvebatur modico panis & aquæ, frangebatque disciplinæ flagellis corporis sui alabastrum, ut tota Eremus Camalduli repleretur fragrantia unguentorum, ubi quàm gloriosè conversatus sit, tunc demùm admirabitur, si doctrina ejus, qua eremitas docuit, referatur.

Tribus itaque in hebdomade diebus, singuli Eremitæ conveniebant ante Viri Dei cellam, quos Pater sanctus docebat per fenestram, dicens: quis quis ex vobis Patres & Fratres in Domino JESU charissimi, cellulam cum Diabolo dimicaturus ingreditur, & in campum spiritualis prælij ferventi animo incitatur, ad hoc totam suæ intentionis mentem dirigat, ut delectationes carnis nec ad momentum quidem

dem admittat, ſed ſibimet ſimul & mundo mortuus vivat: ad tolerandas inſuper calamitates & miſerias animum præparet, morique pro Chriſto diſponat; ac ſibimetipſi aſpera & dura proponat, ut cùm evenerint, non pavidus concidat; ſed omnia æquanimiter ferat. Nec prorsùs dubitet, quia ſi primæ tentationis pugnam vicerit, paulo poſt roboratus, terga vertentibus adverſariis prævalebit. Idcircò inſidiator Diabolus, totum fel ſuæ Nequitiæ circa novum Eremitam effundit; quia non ignorat, quoniam ſi novum eremitam ſuperare non poſſit, ruinæ poſtmodùm ipſe ſubjacebit, & qui rudi adhuc & inermi (ut ita dicam) eremitæ non prævalet, exercitato poſtea ſuccumbet.

Tria autem Vitæ eremiticæ ſunt valde neceſſaria, videlicet: *quies*, *ſilentium*, *atque jejunium*. Unde non fruſtrà antiqui Patres noſtri anteceſſores, dixerunt Sede in cella, linguam tuam retine, ventrem tuum reprime, & ſalvus eris. Venter ſiquidem reprimendus eſt, ne dùm ipſe immoderatè repletur cibis, cætera quoque membra inficiat vitiis. Lingua etiam jure reſtringitur, quia dùm indiſciplinatè laxatur, anima quoque divinæ gratiæ vigore evacuatur. Ideò quicunque in Vita eremitica manus ad confligendum cum diabolo præparas, mentem tuam ab omni ſollicitudine terrena cuſtodias, memorans illud Apoſtolicum: *omnem ſolicitudinem projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis*; Unum quippe è duobus verus eremita tenens: ut videlicet, *ingredientibus tentationibus ſemper obſiſtas, aut jam ingreſſas eliminare ſtudeas*. Sed faciliùs eſt hoſtiles impetus in veſtibulo frangere, quàm jam admiſſos extra mœnia propulſare. Ergò ſollicitus eſto ſemper, ut tentationis principiò velut armatus occurras, & parvulos cogitationum motus, ad petram, qui Chriſtus eſt, allidas. Veſtibus vilibus,

libus, & paucis ſemper eſto contentus. Quod certè in principio non ſine labore fit, ſed procedente conſuetudine, dùm quaſi in naturam vertitur mortiſicatio abjectæ veſtis, facilè toleratur. Porrò extremitas veſtium, ciborumque frugalitas omnem avaritiam de corde eremitæ expellit; quia taliter concupiſcere terrena opus non erit, quod nec alimentis, nec indumentis, accreſcit. Igitur exiguitatem veſtium, lecti duritiam, ciborum aſperitatem, aquæ potum, panem durum, grave cilicium, plagas flagellorum incipientes non ſine quadam formidine perhorreſcimus, perſeverantes autem, & longanimiter inſtantes facilia prorsùs & tolerabilia admiramur. Aſperitatem quippè frequentia mitigat, & rigorem conſuetudo commendat. Quapropter obſecro vos filii mei dulciſſimi, ſi quandò è ſæculari habitu aliquis converti voluerit ad eremum, nolite ei ſtatim juxta eremi normam ardua quæque, dura, vel aſpera cum terriculamentis proponere; quia adhuc fragilis mens à rigore eremiticæ vitæ faciliùs frangitur, etiamſi levis adverſitatis aut injuriæ occaſio præbeatur, & ſic quem in afflictione jejunii, in cenſura ſilentii, in abjectæ veſtis aſperitate quotidiana ſarcina gravat, facilè deliberat, ut tam grave onus deponat. Sed ſi devotio vera cujuſpiam apparuerit, in eremo, quàm flagitat, converſationi, ei aditus ſtatim pateat. Tanta quippè fæce (ut lugens loquar) pleraque involuta ſunt Monaſteria, ut vitioſiores reperiantur ingreſſi in ea, quam fuerint in ſæculo. Ingreſſus autem novus eremicola in cellulam, non ſtatim omnem conſuetudinis regulam permittatur implere, ſed diu quærat, quod difficulter inventum, charius teneat.

Si autem de regula Monaſteriali, ad eremum aliquis properat, ſuperſtitioſas quaſdam monaſticæ converſationis cenſu-

censuras, supervacuos tintinnabulorum clangores, cantilenarum multiplices harmonias, & cætera inutilia exercitia, quadam sobrietate coram eo reprehendentes dijudicate, & competenti correctione, vel si id minùs expediret deprecatione extenuate, inferentes illud Apostoli: *quia corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia valet.* His igitur, & hujusmodi documentis abusiva Monasterialis ordinis modestè supprimite, ut dùm in audientis mente fabrica consuetæ vitæ destruitur, ædificium eremiticæ perfectionis in eo construatur, & ad standum in eremo se constanter accingat, qui se hactenùs in Monasterio jacuisse aggravabat.

Sed in his omnibus filii dilectissimi unus quisque vestrum, sivè susceptioni fratrum, sivè exteriori operi cuipiam sit deditus, sivè scripturarum meditationi sit intentus, frequenter ad orationem recurrat, & in terra prostrato corpore, mentem ad Cœlum erigat: quò fit, ut & cor tentatio deserat, & ab oculis acedia importuna discedat. Sæpè manus in oratione in modum crucis extendat, ut dùm sanctæ Crucis imaginem conatur exprimere, apud DominumCrucifixum veniam faciliùs posset impetrare. Super omnia tamen, ut vitam eremiticam, quàm semel incœpit, perseveranter & constanter tenere velit, admitatur: quia veritas ipsa dixit, *qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit.*

His & similibus verbis S. Pater Romualdus, quia juxta Dominicam vocem, lux hujus Mundi erat, lumen cordibus infundebat, & ignem verbi Dei eremitarum mentibus ingerebat. Quod profecto Mysterium Moyses designat, cum dicit: *tollet Sacerdos pugillum similæ, & totum thus, quod super similam positum est, adolebitque illud in altari in odorem suavissimum Domino.* Quid enim per similam, nisi vita sancta ere-

mitica designatur? quia sicut simila inter molam utramque conteritur, ut à farinæ furfuris corruptela separetur, ita velut inter duas legis antiquæ, & Evangelicæ molas sancta Vita eremitica stringitur, ut carnalis vitæ superficies, à medulla Spiritûs discernatur. Thure autem, quod super similam positum dicitur, ejusdem sanctæ Vitæ eremiticæ oratio devota designatur; sicut in Apocalypsi Joannes ostendit, dum dicit: *quia phialæ plenæ odoramentorum, sunt orationes sanctorum.* Hanc itaque similam DEO sanctus Pater Romualdus in odorem suavissimum adolevit, cùm multos de Monastico ordine, & de sæculo ad sanctam vitam eremicam attraxit, quia fructus animarum in conspectu DEI fragrantiùs redolet; quàm ulla suavitas sacrificiorum.

Hoc sacrificium devotæ orationis cum sancto Romualdo, & nos pro modulo nostro studeamus offerre, quatenùs cùm hostia devotæ orationis cum lachrymis in ara pectoris nostri adoletur, ab illo sacrificium nostrum mereatur in odorem suavitatis accipi, qui in ara Crucis, pro salute nostra dignatus est immolari: quod Propheta cuilibet eremitæ præcipit, dicens: *& holocaustum tuum pingue fiat.* Planè non pingue, sed macrum DEO holocaustum immolat, qui sinè lachrymis verbotenùs Deum orat. Nullius enim meriti est, ore divina officia verbositare, & distracta mente per phantasias, quæ extrinsecùs imminent vagando circuire. Ideò stude ô eremita serve DEI, omni conatûs instantiâ pigritiam devitare, enitere ut lachrymarum gratiam, & contemplationis perfectionem possis attingere, qui enim non tam arido corde mœrere, quàm & lachrymarum abundantia quæris affluere, non modo te à strepitu negotiorum sæcularium remove, sed etiam à multiloquio teipsum compesce. Omnes à te mundanæ actionis curas & sollicitudines amputa, & eas tan-

tanquàm meatûs obſtacula, ab obſtructi fontis ſpiramine removere feſtina. Sicut enim in caverna terræ de abyſſo veniens aqua colligitur, ſed objicibus præpedita non effluit; ſic in humano corde, conſideratis beneficiis Dei devotio naſcitur, quæ tamen per fletum cum lachrymis non emanat, ſi terrenorum actuum flamen obſiſtat. Devotio quippè lachrymarum materia eſt, ſed ut hujus fontis poſſit uberrimè vena profluere, ſatage cuncta negotij ſæcularis obſtacula removere.

Si igitur ad lachrymarum gratiam vis pervenire, non ſolùm terrena negotia de corde tuo amputa, ſed omnem etiam malitiam, iram, odium, impatientiam, & cunctam turbulentiam, de mente tua elimina, ne ſi te accuſatrix conſcientia forte remordeat, mens tua ariditate formidinis contabeſcat, & lachrymarum aqua verſa in glaciem non effluat. Sit ergo conſcientia tua pura & ſyncera, ut paratus ſis quotidie tenſis in Cœlum oculis, lachrymarum ſuſcipere irrigua. Nam ſummus arbiter Deus, licèt ad tempus aquam lachrymarum provida diſpenſatione contineat, ſi tamen te ſolicitum ac vigilem eſſe conſpexerit, in proximo agrum cordis tui profuſis lachrymarum imbribus irrigabit, & qui priùs ſterilis videbaris, jam excuberante copia lachrymarum, magnis virtutum fructibus abundabis.

CAPUT XV.

Sancti Romualdi humilitas, prædicationes, zelus contra ſimoniacos, ſcripta, & curationes.

Quia magna profecto & rara virtus eſt, ut magnus aliquis, magna virtutum opera faciens, magnum ſe eſſe

nesciat ; & manifesta omnibus ejus Sanctitas, solum ipsum lateat, & qui coràm omnibus admirabilis apparet, contemptibilem se sibi reputet ; hoc ego ipsis miraculis mirabilius judico. Fidelis revera famulus Christi Sanctus Romualdus fuit, qui de multa gloria Domini sui nihil in manibus suis reservavit, sed juxta eulogium Prophetæ, *projecit avaritiam ex calumnia, & ex cussit manus suas ab omni munere.* Mirentur alii signa ejus, & miracula quæ fecit, mirentur incredibilem ejus abstinentiam, humilitatem, & patientiam, ego nihil ita stupeo, quam gloriam illum & honorem calcare potuisse. Concurrebant Episcopi, Presbyteri, Clericorum & Monachorum turbœ, sed & potentes Viri, Imperatores, Comites, & Barones (grandis tentatio) & hinc indè ex urbibus & oppidis vulgus ignobile, ut benedictionem ab eo acciperent. At ille nihil aliud nisi solitudinem, & reclusionem meditabatur in tantùm ; ut antè viginti annos sui obitûs, multis Fratribus se moriturum prædiceret, quod eum videlicet, in solitudine vallis de Castro, nullo assistente, obire oporteret.

Mox igitur ad Camerinæ Provinciæ, Comites nuntios misit : qui audito nomine Sancti Romualdi, nimio repleti gaudio, promittunt non solùm sylvarum & montium loca, sed si placeret sibi etiam agrorum & vinearum prædia. Tandem repertus est in eorum possessionibus locus Eremiticæ conversationi satis congruus, montibus & sylvis undique vallatus, in medio verò ampla planities, non solùm pro ferendis frugibus apta, sed etiam perspicuis aquarum rivulis irrigua. Hic itaque locus Vallis Castri antiquitùs vocabatur, ubi jam parva erat ædificata Ecclesia, ad quam conversarum mulierum dicebatur fuisse Conventus ; his itaque loco cedentibus, constructis cellulis, illic vir Sanctus habitare cœpit cum suis Discipulis.

Ibi

Ibi etiam quantùm animarum fructum per illum Deus operari dignatus ſit, quis enarrare poteſt, vel atramento conſcribere? cæperunt namque homines ad pænitentiam hinc indè confluere, & ſua pauperibus miſericorditer erogare, & ſæpiùs ſæculum omninò relinquere, & ad ſanctæ converſationis habitum feſtinare.

Erat enim Pater ſanctus, quaſi unus de Seraphin, quia & ipſe flamma divini amoris æſtuabat, & alios quocunque pergeret, prædicationis facibus incendebat. Sæpè namque dùm prædicationis verba proferret, tanta illum compunctio in lachrymis excitabat, ut ſubitò interruptum ſermonem relinquens, ſubmiſſo capite ubertim fleret. Nam etſi aliquandò cum Fratribus per viam in aſello æquitabat, longè poſt Fratres veniens, ſemperque pſallens, ac ſi in cella reſideret, jugiter lachrymas effundebat.

Inter cæteros autem, præcipue ſæculares Presbyteros, qui pecunia ordinati fuerant, duriſſima ſæveritate corripiebat, dicens: deteſtabilem hæreſim Simoniæ, quam communi pravitate diaboli, malè aſueti Presbyteri committunt, omnes Chriſtiani abhorrent, qui tam deteſtabile ſcelus ſolo auditu ſentiunt. Quapropter Pieſi pæna & Simonis pravitas vos terreat ô Presbyteri! vox Petri Chriſti Vicarij ad Simonem nunquàm de veſtris auribus exeat: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia exiſtimaſti donum DEI pecunia poſſideri. Donum DEI eſt Spiritus ſanctus.* Communis mercatorum habet uſus, ut venditio commutetur in melius. Aſſerit ergò Presbyter Simoniacus, pecuniam Spiritu ſancto eſſe meliorem, cùm ipſam commutat pro eodem. Ideò ſacros Ordines, Religionem, ant Beneficia ſuſcipientes, nulla omnino pactio, nulla opinio, nulla pecuniæ ſpes præcedat, quæ mentis puritatem ſimoniaca hæreſi perturbet, aut præveniat,

quia

quia beatum ſapientia clamat, qui poſt aurum non abijt, nec ſperat in pecunia, quæ juſtum judicium ſubvertit. Mirum quippè de multorum infelici conditione Presbyterorum, qui viles & abjecti in ſæculo, & in paternis laribus, ultra vires ſe affligentes laboribus pro captando victu viliſſimo, vix cum fabis & rapis, lentibus ac pultibus, cum nigro pane rugienti ſatisfaciebant ſtomacho; cum verò ad Chriſti menſam accedunt, & ſacros Ordines Simoniacè ſuſcipiunt, mox priſtinæ egeſtatis obliti lautiora quærunt, plus dediti epulis, quàm milites, & nobiles, qui natura & moribus probantur eſſe illuſtres: quibus denuncio, non ego, ſed Dominus; quia niſi Ordines malè ſuſceptos ſponte deſerant, ſe omnino damnatos & hæreticos eſſe ſciant.

Hanc Beati Viri audientes doctrinam, quaſi inauditam & novam, indignati vehementer cæperunt dentibus fremere, & moliti ſunt eum occidere. Per totam namque Monarchiam illam, uſque ad Sancti Romualdi tempora, vulgata conſuetudine vix quisquàm noverat Simoniacam hæreſim eſſe peccatum. Quibus Pater Sanctus ait: *Canonum librum mihi afferte, & utrum vera ſint quæ dico, veſtris atteſtantibus paginis, approbate.* Quibus itaque diligenter perſcrutatis, & crimen & errata deplangunt, Nonnulli quoque Epiſcopi per Simoniacam hæreſim ſacras ſedes invadentes, ad beatum Virum cauſa pœnitentiæ concurrebant, qui etiam eidem ſe committentes, & Epiſcopatum tempore ſtatuto deſerere, & ad ſanctæ converſationis ordinem ſe promittebant venire, & Chriſto velle ſervire.

Vivebat autem Sanctus Pater Romualdus vergente jam ſectectutè nimis diſtrictè, & incredibili mentis fervore, ut eò tempore, quaſi novus accederet ad ſervitium Dei, quo cæteri ſolent remiſſiùs vivere, & ut mireris auditor (referam)

ram) quod imitari non potes; multo namque tempore ſanctus Pater etiam pane abſtinuit, nihil aliud neque in cibo, neque in potu ſumens, niſi de modica farina, & ſuccô herbarum juſculum faciens, pro cibo & potu vix 6. uncias appendens. Per integrum quoque annum nihil aliud pro cibo habuit, niſi per ſingulos dies unum pugillum ciceris elixi, ſicque accenſo mentis deſiderio, cœpit de virtutibus in virtutes mirabiliter creſcere, & reliquos Fratres ſanctæ converſationis greſſibus longiùs anteire.

Contumelioſam nimis Sancti Senis lubet hic referre perſecutionem. Habebat namque Vir ſanctus diſcipulum quendam, ut ſanguinis origine cæteris nobiliorem, ita flagitiorum abominatione omnium perverſiſſimum, illuſtrem genere, actione verò per omnia degenerem, nomine Romanum; quem cum Vir ſanctus propter vitæ ſuæ immunditiam, non ſolùm verbis argueret, ſed ſæpiùs etiam gravioribus verberibus coërceret; tantùm propterea contra ſanctum Magiſtrum conceperat odium, ut propriæ ſuæ æſtimationis nomen omninò nihili penderet, dummodò jacturam famæ ſui ſancti Reprehenſoris facere quiret. Stygio igitur uſus Romanus Magiſterio, ſimulabat ſe jam correctum emendare velle, uti & certo tempore ſe ad apparentiam ſubmiſsè habuit, crebroque ad ſanctum Patrem confugit, partim pro ſpirituali doctrina; partim in caſibus conſcientiæ (ut perversè ſimulabat) conſilia capturus. Qui dùm ominaretur frequentiorem ſecum converſationem, aliquem probabilitatis colorem attentandi flagitii movere poſſe: en cum infernali temeritate ac impudentia ore ſacrilego Eremi Patribus non erubeſcit aſſerere: Romualdum ſecum in nefandam carnis fragilitatem corruiſſe. Qui tam nefariô artificiô horrendam, & ſacrilegam impoſturam noverat repræſenta-

ſentare, ut nonnulli Patrum in ſententiam maledicti impoſtoris abirent. Mox itaque omnes adversùs eum commoti ad improperia, injurias, & graviſſimas minas injuſtè procedunt: alii clamant ſenem impium laqueo debere ſuſpendi, alii dignum judicant, cum ipſa cellula ignibus concremari. Quod utique valdè mirabile fuit, præſertim de tam decrepito ſene, ultrà videlicet quàm centenario, tam nefandum ſcelus credere potuiſſe: cui etiam ſi voluntas ad fuiſſet, natura tamen & frigidus ſanguis, ac ariditas attenuati corporis hoc penitùs denegaſſet. Sed credendum eſt procul dubiò, ad augendum ſancti Viri meritum, hoc ſibi tam gravis adverſitatis accidiſſe flagellum. Nam & ipſe poſtea aſſerebat, hoc in eremo, undè nuper abſceſſerat, veraciter agnoviſſe, & adhoc dehoneſtationis improperium ſpontè ſubeundum alacriter adveniſſe. Hunc tandem Virum ſanctum Diſcipuli ſui ignominiosè incarceratum recludunt, extremisque mortificationibus afficiunt. Ubi amariſſimum hunc calicem patientiſſimè delibando ſe ſuo Domino flagellato, ſpinisque coronato obtulit; cum lachrymis dicens: Ecce me doloroſiſſime mi JESU, promptum ad hanc omnemque aliam majorem infamiam! fiat voluntas tua ſanctiſſima de me.

Unicè me angit nimiùm illius animæ jactura. Piiſſime Domine, veniam ei concede, lumenque reatum ſuum cognoſcendi benignè ei elargire. Sed impoſtor Romanus ſuum ſacrilegum facinus non recognoſcens, imò in deterius jugiter progrediens; Nobilem Epiſcopatum Nucerinum in Campania ardenter cupiens, copioſa auri quantitate erogata, per Simoniacam viam mitram obtinuit: & per biennium illum occupans, primo reſidentia ipſius cum libris, veſtibus ſacris & univerſa ſupelle-

pellectili, sic exigentibus suis meritis, incendiô concremata est; in secundo autem dignitatem cum vita, divina illum feriente sententia, miserabiliter amisit.

Cumque Romualdus jam per sex Menses in suo ergastulo, à sacrorum Mysteriorum celebratione suspensus, lateret; quodam die, quô magis coram suo amore Crucifixo de tam anxia mortificatione, quod ab Eucharistico pane abstemius viveret, lamentabatur; ab Amantissimo Domino, qui alio modo, quam amori amore, respondere nescit, mandatum est; quatenùs totius præteritæ adversitatis oblivisceretur, & deinceps sacra Missarum solemnia celebranda reassummeret. Sequenti igitur die Missam cum celebrans solita lachrymarum exuberantia, cum ad secundum Memento pervenisset, in dulcem extasim cum omnium astantium admiratione, & inenarrabili consolatione raptus fuit, ductusque à spiritu (ut ipse postea referebat) ante divinum solium, ubi ineffabili jubilo & lætitia cumulatus in transactæ tribulationis prœmium intellectus ejus resplenduit, & illuminatus est ad magis reconditos sacræ scripturæ sensus intelligendos, jussumque ipsi, ut secundùm illum intellectum, qui ei tunc communicabatur, totum psalterium, & Prophetarum Cantica exponeret. Cumque Vir sanctus ad se rediisset, divinumque sacrificium Cœlesti teneritudine terminasset: referebat cum lachrymis discipulis suis. *Raptus inquit in Cœlum oblatus fui ante Deum, & continuò mihi divina voce præceptum est, ut secundùm hunc intellectum, quem mihi Deus dedit, Psalmos secundùm ordinem exponerem, & pro modulo mei sensûs chartis scribendo commendarem: ego autem nimio terrore constrictus, respondere nihil aliud potui, nisi tantummodò fiat, fiat.* Undè postea Vir sanctus totum Psalterium, & nonnulla Propheta-

rum cantica luculenter exposuit, multaque spiritu prophetico veraciter prædixit.

Non absimiliter evenit alio quoque tempore cum Sanctissimo Patre nostro Romualdo, cum enim tribus annis in Parentinæ civitatis finibus habitaret; primo anno Monasterium ibidem construxit, & Abbatem in eo cum fratribus ordinavit: duobus vero in Cella sua inclusus mansit. Ibi quoque ad magnæ perfectionis fastigium illum pietas divina provexit, ita ut sancto afflatus Spiritu, & nonnulla ventura perspiceret, & multa veteris ac novi Testamenti occulta mysteria radiis intelligentiæ penetraret. Anxiabatur autem ibi aliquandò in lachrymas erumpere, sed nullo valebat conamine ad contriti cordis compunctionem venire. Factum est ergò quadam die dùm in cella psalleret, ut in hunc psalmi versiculum incideret: *Intellectum tibi dabo, & instruam te; in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Repentè tanta sibi lachrymarum effusio orta est, & ita mens ejus ad intelligendas divinæ scripturæ sententias illustrata, ut ex eò die, quamdiù vixit, & quandocunque voluit, uberes sibi lachrymæ facillime fluerent, & plurima illum scripturarum Mysteria non laterent. Frequenter enim tanta illum divinitatis contemplatio repiebat, ut quasi totus in lachrymas resolutus, æstuante inenarrabili Divini amoris ardore clamaret: *Chare JESU, amor suavis, mel meum dulce, desiderium ineffabile, dulcedo Sanctorum suavitas Angelorum*, & cætera hujusmodi: quæ ille sancto Spiritu dictante in jubilum proferebat, nos humano sensu exprimere non valemus. Sicut enim Apostolus dicit: *Nos sicut oportet orare nescimus, sed ipse Spiritus orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et ideo S. Romualdus Missam celebrare coram pluribus nunquàm volebat; quia se à lachrymarum inundan-

tia continere non poterat. Undè etiam postmodùm præ-nimia jam consuetudine Vir simplicis animi putans gratiam sibi divinitùs donatam, omnibus esse concessam, dicebat sæpiùs discipulis suis: *cavete Fratres ne multas lachrymas effundatis, quia & visum minuunt, & verticem lædunt.*

Solemni quadam die, dum sanctus Pater Romualdus cum Fratribus in Capitulo resideret, & eos saltaris doctrinæ dapibus satiaret, repente intermisso sermone vocavit Fratres dicens: *agite, inquit, & quantociùs properate, quia Fratris Gregorii cella per fures frangitur*, qui protinus exeuntes ad cellam currunt, & furem jam frangentem Cellæ parietem inveniunt. Quem capientes ad Magistrum pertrahunt, & quid de tam sacrilego raptore faciendum sit, inquirunt. Quibus sanctus Pater Romualdus cæpit hilariter dicere: *in culinam eum deducite, & cibum cum charitate illi apponite, refectumque ad me deducite.* Quem postea coram se constitutum pius Pater dulcibus verbis admonitum ad propria impunitum, in pace redire permisit.

Idem mentionatus Gregorius Sancti Patris discipulus elephantiæ morbo percussus, tumefactis cruribus diu virulentam scabiem tolerabat. Huic sanctus Pater præcepit, ut tribus vicibus aqua frigida crura perfunderet, promittens quòd sanitatem pristinam recuperaret. Quod Gregorius perfecit quidem, non tamen fiducia sanitatis recuperandæ, sed magis necessitate obedientiæ. Mirum valdè, & soli divinæ potentiæ referendum, confestim tumor deponitur, & penitus omni languore evanescente frater sanus per omnia redditur. Credi hinc veraciter debet, quia eodem spiritu B. Romualdus discipulo ter aquis tumentia crura perfundere jussit, quô Elisæus Naaman leprosum septies in Jordane lavare præcepit.

Puer item parvulus à pessimo dæmone obsessus, manibus parentum vix adductus, sancto Patri Romualdo oblatus est. Quem postquàm Fratres viderunt, territi sunt: erat enim horribilis aspectu, retortis oculis gyrans caput in circuitu. Cui Pater sanctus nihil aliud fecit, nisi acceptam buccellam panis benedixit, ac portiunculam ejusdem panis obsesso puero dedit. Quam mox ut ille puer comedit, confestim à dæmonio liberatus est. *Jure quippè postquàm benedictio Romualdi malè possessum corpus intravit, inde confestim malignus spiritus cauteriatus exivit.*

CAPUT XVI.

De glorioso Martyre Bonifacio sancti Patris Romualdi cæteris chariori Discipulo.

Bonifacius in nobilissima Germaniæ Regione incunabula sortitus est ex Augusta Ottonum Domo; ex qua successivè tres Imperatores fuerunt: Otto I. pius, invictus, & optimus Princeps, cujus sanctus Bruno Coloniensis Archi-Episcopus germanus Frater fuit. Secundus & Tertius à primo non dissimiles, & omnes Catholicæ Religionis, & Apostolicæ sedis propugnatores, ac defensores acerrimi. Ottoni itaque ultimo in tertio consanguinitatis gradu conjunctus, siquidem amborum avi fuere germani. Licèt igitur Bonifacius noster, ab avis adeò illustribus originem duxerit, interque tam insignis suæ Domus, fastus, delicias, & oblectamenta educatus fuerit; à Deo tamen quavis terrena

rena ſublimitate ſuperiore animo ditatus; inter luxus ac ſenſualitates non elanguit; verùm prudentis Principis, & invicti militis honoratis & licitis exercitiis incubuit: cum liberalibus namque artibus, morales virtutes, & gratam in dominando moderationem adeptus eſt. Pro otio à ſe propulſando jucundæ muſicæ operam dedit, in eaque perfectus evadens Magiſter, quandò ſerijs, ac bellicis expeditionibus non erat præpeditus, illud tempus, quod ab alijs Magnatibus in Dei offenſa, ac propriæ ſalutis jactura, infructuosè, imò damnabiliter teritur, ad animi hilaritatem impendebat. Conſuetorum concentuum harmonia occupatus, cum ejus cor ad Angelicorum, & beatiſſimorum Paradiſi concentuum deſiderium ſublevaretur, ad ſupernam Patriam anhelare cæpit; quæ deinceps ſemper ejus deſideriorum unicum objectum fuit. Ob ejus igitur inſignes dotes, præclaraſque animi virtutes in gradu adeò exceſſivo fuit amatus ab Imperatore Othone III. ut idem procul ab ipſo vivere neſciret; nec alio eum nomine, niſi anima mea vocaret. Undè Bonifacius, ut tanto ejus affectui reſponderet, in omnibus itineribus Comitem ſe ei præbere, & in omnibus Negotiis, ita & præliis ejus lateri aſſiſtere coactus fuit. Et cum ſe Otto pluries Romam contuliſſet, Bonifacius in eximiæ pietatis operibus, utpotè ſacris Baſilicis viſendis, ſanctis Martyrum reliquiis venerandis occupabatur, quibus inclytis Chriſti heroibus, ſanguinis pro Chriſto effuſionem ſanctè invidebat, undè cum majore ardore Chriſtianam perfectionem appetiit, majori etiam ac ferventiori devotione vivere cæpit, ita ut quodam die vigeſima quarta videlicet May cum Imperatore Ottone, totaque Aula Regia in Eccleſia S. Bonifacii Martyris animæ ſolemnitati interfuerit; ac ſubitò accenſus divino amore inter muſicalium inſtrumen-

torum

torum harmonias invicti Martyris in Cœlis gloriam quâ frueretur expendens, ejus virtutes, felicem ſortem, effuſi ſui ſanguinis, ac Catholicæ fidei laudabilem conſtantiam, pie invidere cæpit, dicens: Et ego Boniſacius vocor, cur cur ergo etiam ipſe Chriſti Martyr eſſe non debeo? quid, inquit, hujus invicti Martyris nomen portare prodeſt, ſi ipſum in ejus operibus, cruciatibus, conſtantivè Martyrio non imitaris? numquid te latet, ipſum fortiter ſuperato parùm caſto Aglaæ amore, ac mutua voluntate, pro pœnitentia omnibus opulentiſſimæ domus ſuæ deliciis, pompis, ac ſplendoribus contemptis, in abjecto habitu cum multis incommodis ac ærumnis, Orientis iter arripuiſſe. Palæſtinam in pauperis peregrini forma perveniens, ſanctam illam terram benedicti Redemptoris pedibus calcatam adoravit, millieſvè, ac millies oſculari non ceſſavit, Chriſtianis dein conſolandis, ac in ſanctæ fidei confeſſione corroborandis, eiſque dum inter tetri carceris tenebras torquerentur, inviſendis; eorum ſacris catenis deoſculandis, ſacris corporibus venerandis, ac humandis piè occupabatur; ac demùm ipſe quoque captus hilaris ac gaudens acutorum pectinum dilaniationes, picis ac fornacis ultrò ſuſtinebat ignes, ac poſtremò imperterritus Chriſti athleta venerandum caput ſecuri ſubmittere non dubitavit. *Et tu delicate miles quid hactenùs es paſſus pro Duce tuo Chriſto JESU?* in Aula terreni Imperatoris inter ſplendores, honores & commoda ad ignominiam æterni Regis molliter ducere vitam non vereris? ſaniora deinceps, ſi Chriſtum ducem ſequi lubet, ſunt tibi agenda.



CAPUT

CAPUT XVII.

Bonifacius se totum Romualdo dedicat, & ei in virtutum studio assimilari nititur.

QUibusnam giganteis passibus in via virtutum Romualdo Duce noster Bonifacius gradiebatur, ex miræ sanctitatis ejus effectu argumentari licèt; adeò ut absque præjudicio fari queat: Bonifacium secundum Romualdum fuisse, cui, tametsi in diuturno integri sæculi pœnitentiæ tempore, & in suavissimo animarum ad DEUM attrahendarum modo; ac in invicta inter tot hominum & dæmonum persecutiones compar non fuerit: in jejuniis nihilominùs, solitudine, & admirandis asperitatibus adæquavit, inque felici sui sanguinis pro crucifixo Redemptore effundendi sorte superavit. Nam ex tot millibus sancti Romualdi discipulis, ut in Vitæ sanctimonia, ita & in Martyrii assecutione Antesignamus fuit, atque ideò sancto Romualdo inter omnes charissimus extitit, ut ex infra adducendis clarè apparebit.

Licet ex operibus Divi Petri Damiani desumatur Principem nomine Tamum primò mundo valedixisse, & demùm nostrum Bonifacium, ac Casimirum Regis Poloniæ Filium, aliosque illustres Teutonicos milites, quia tamen ex aliis probatissimis authoribus manifestè colligitur hos omnes eodem tempore sancti Romualdi persuasione conversos fuisse, unanimi voto relicta Curia Imperatoria suum Magistrum Romualdum ad Montem Cassinum secuti sunt. Ubi

Boni-

Bonifacius magis ac magis in dies videbatur sibi in Monasticæ, ac Eremiticæ disciplinæ rigore vivendi, ac moriendi concepta determinatione consolidari; cernens tot Dei servorum in prædicto semper venerando Monasterio degentium virtutes, & floridam sanctitatem ab ipso adhuc sanctissimi Patris Benedicti tempore, vigere. Exinde ad Pereti Eremum commeans, Romualdi manibus, unà cum Socijs; Eremitico habitu indutus est; eique pauperrima, & angusta cellula assignata fuit.

Considerans se Bonifacius non jam pretioso amictu, sed aspero & vili sacco indutum; non jam in superbis palatijs, & tentoriis, verùm inter quatuor angustos vilis tugurioli parietes, non amplius inter Aulicorum & famulorum turmas: sed solus abjectus, in horridæ sylvæ medio, imperterritum ejus cor nec expavit quidem; imò cum excedenti jubilo, summas divinæ misericordiæ pro adeò singulari beneficio gratias retulit. Persuasione, aut incitamento, ut totum illum solitudinis, jejuniorum, orationum, manualium laborum in Romualdi Eremis consuetorum rigorem operaretur, nullatenùs indiguit, in omnibus namque primus, & cæteris alacrior fuit. Nec multo post tempore, ad majora semper anhelans, his non contentus, sanctissimi sui Magistri rigidam vitæ normam ad unguem sectari instituit, abjecto itaque tibialium, & calceamentorum impedimento, ut magis expeditè currere posset, nudis pedibus Evangelicæ perfectionis iter arripere, frugalissime bis in hebdomada, nempe: Dominica, & Jovis diebus cibari, reliquos verò dies in fixis contemplationibus expendere, atque suum delicatum, ac nobile corpus, disciplinis, ciliciis, humicubationibus, aliisque afflictionibus macerare, exorsus est.

Cùm

Cùm illas nemorum solitudines tacitus perambularet, omnia in loca oculos conjiciebat, & ubi densa spinarum ac Urticarum rubeta reperiret, illa clàm adibat, denudatusvè in illis, se tamdiu volvebat, donec illos virides, & innocentes sui corporis carnifices purpureo colore proprio videlicet sanguine, tingeret. Quadam die dùm hoc voluntarium sui corporis Martyrium exerceret, id quidam Monachus animadvèrtens eum corripuit, dicens: *Hypocrita, quare hoc ad captandos popularis auræ rumores coram nobis facis?* Bonifacius nihil aliud respondit: tui sint Confessores, mei sint Martyres. Quasi diceret: tu & cæteri moderatæ, ac sanctæ Confessorum vivendi normæ incumbite, ego autem fortium Martyrum vestigia premere proposui. Horridis proprii corporis tormentis asuescere voluit, illumque sanguinem liberaliter effundere, quem postea coram Tyranno, in publico Metropolitanæ Urbis theatro, in vicissitudinem effusi innocentissimi sanguinis, sparsurus erat.

Romualdus in præfata Pereti eremo, tot nobilissimorum virorum sub sua disciplina degentium, sanctos progressus, admirandamque perfectionem observans, suum cor mirum in modum tripudiabat, dum omnes in veritate, flagranti studio, ac intenso amore, Deo famulari, inque laudes divinas assurgere conspiceret, undè eos partim fervidis, & accensis sermonibus, partim exemplo suo corroborare haud desistebat. Sed cùm magnum Spiritûs fervorem, omnis rei creatæ abdicationem, & accensum semper patiendi desiderium in Bonifacio attentus consideraret, inexplicabili lætitia cumulabatur, seque sentiebat ad sublime sanctitatis culmen aspirandum stimulari, intuens tam magnum Principem, in provecta jam ætate, per adeò austerum, mul-

M tisque

tisque incommodis consitum iter, ad altiorem perfectionis montem, festinanter currere; & quòd omnes suas diligentias, conatus, ac labores in difficiliorum virtutum profectu, laboriosè applicaret. Exindè ipsum Romualdus, uti magis fervidum, humilem ac obedientem filium, intra intima sui cordis penetralia fovere, singularivè teneritudine diligere, & uti dilectum, & magnum Dei servum venerari cœpit, prævidens: à Deo illum ad magna opera electum, eumque exemplare vitæ religiosæ speculum reliquis suis discipulis proponebat. E contrà Bonifacius totus Romualdus evaserat; nam nihil aliud, quàm quod Romualdo proprium erat operabatur. Cui patefaciebat cuncta animæ suæ arcana, illamque anxietatem ac inquietudinem, quam pro sancti Evangelij dilatatione, patiebatur, Magistro suo syncerè adaperuit: quale desiderium, cum in sanctissimi Patriarchæ corde dissimile, ac inferius non esset, eodem tempore, quo ipse in Bonifacio hanc sitim advertebat, eandem in se ipso magis ac magis accendi sentiebat. Unde quodam tempore, quònam se ad prædicandum Christum Crucifixum conferre deberent, ad invicem ratiocinari cœperunt. Considerantes itaque Europam, & universas ejus partes, repererunt universas ferè Provincias (præter Poloniam, Hungariam, & Russiam) Evangelica luce illustratas. Convenêre itaque in simul, ut Bonifacius ad memoratas in densis gentilitatis tenebris jacentes Provincias, prior ad aperiendum sanctæ prædicationis iter, se conferret; & demùm ipsum Romualdus sequeretur: qui tunc temporis ob ingentem suæ præsentiæ necessitatem, quâ tot Eremi, & Cœnobia indigebant Italiam deserere nequibat.

CAPUT



CAPUT XVIII.

Bonifacius Romam pergit prostabilienda in Russiam missione; à summo Pontifice Joanne XIX. licentiam ac Apostocicam benedictionem obtinet, inque Archi-Episcopum Bosnensem consecratur.

POstquàm Bonifacius à sanctissimo suo Magistro abeundi licentiam teneris lachrymis obtinuisset, ejus Benedictione, necessariis instructionibus, & literis ad Pontificem expetitis, inchoato nudis semper pedibus, in continuo panis & aquæ jejunio (festivis solùm diebus exceptis, in quibus aliqua poma, aut herbarum radices addebat) itinere, quod dum conficiebat, ut pretiosum tempus in sanctis meditationibus & psalmodiis impenderet, cæteros suos viæ comites, ipsum sequentes antecedebat, Romam sic abjectus & humilis ingressus est. Etsi Bonifacius in vili habitu apud homines ignaros contemptibilis, nulliusvè momenti videbatur; verùm à multis Cæsareæ, & ipsiúsmet Pontificis Joannis XIX aulæ proceribus ejusmodi non censebatur, qui prudenter discernebant, eum per hoc nihil penitus primi splendoris & Majestatis ob insignem sanguinem perdidisse, imò pretiosissimum virtutum, & sanctitatis characterem adjunxisse; undè Romæ in aula Pontificis in præcipua existimatione, atque ut Dei servus & amicus debita veneratione habitus fuit, vel maximè cum sui adventus finis innotuisset. Re igitur cognita, & vitæ ejus sanctitate per experiantiam perspecta, summus pontifex ipsi Apostolicam

licam benedictionem, & licentiam ultrò impertivit, ipsumque Archi-Episcopali Bosnensi mitra condecoravit, pallium insuper, & sacras res elargius est quibus nobiles ac pretiosissimos sacerdotales apparatus, argentea vasa divino cultui competentia uniens, cuncta pontificali dignitati, ac decori consona providit; hinc apparet in quanta æstimatione pretiosa pro sacri Altaris cultu apud sanctos, quamvis in seipsos pauperrimos, haberentur; quæ, ut sequenti capite innotescet, ad facilitandam Regis, ejusque aulæ, ac suæ gentis conversionem admodùm profuerunt.

Post consecrationem quotidiè Pontificaliter celebrare consueverat, Monastico usui Romanum ritum copulando; totoque tempore quô Romæ morabatur, sacras Basilicas, SS. Martyrum sanctas reliquias venerandas, præsertim sui tutelaris Divi Bonifacii, invisebat, humiliter se & instanter commendans, ut ipsum sub efficacium suarum protectionum alas, recipere dignarentur, pro tam magno animarum conversionis negotio, utque à Deo obtinerent eidem Spiritum, sapientiam, fortitudinem, Idololatriam prosternendi, ac consolidationem christianæ] Religionis, moriendi, instanter precabatur. His sacris visitationibus completis, & abscedendi licentia denuò petita, novaque benedictione à sua sanctitate obtenta, Germaniam versùs iter arripuit, quàm necessario, Russiam petiturus, transire debuit.

Sed antequàm Venerabilis Archi-Episcopus in Russiam perveniret, quanta incommoda & adversa perpessus sit, inquiramus. Itinerari cum omnibus licet requisitis per mare, aut per terram, est in se ipso obviis quibusvis adversitatibus & ingruentibus malis, molestiis periculisque expositum adeo, ut plerique percurrendi mundi avidissimi, ob

eorum

eorum timorem perterriti, in Civitatibus delitescunt. Quam igitur fuerit asperum, cruciatibusque refertum hoc Bonifacii iter, magis ei compati, quàm describere libet. Româ usquè ad Italiæ fines, pedester, discalceatus, cum solito jejunii rigore illud transegit: cum verò Alpes transiret, equitare coactus fuit, sed capiendæ sublevationis vice tormentum expertus est; incedens namque paupere vestitu, ac nudis pedibus quò ampliùs in septemtrionales partes progrediebatur, etiam hyemalis rigor augebatur; fuit hic adeò excessivus algor, ut multoties ita gelidus, & immobilis in equo sederet, ut descendere volens, pedes à stapedibus liberare non valeret, undè aqua calida succurrere opus erat; de cujus admiranda patientia luculendum testimonium dat S. Petrus Damiani dicens: Cùm verò jam ultramontanos peteret fines, equo quidem insidebat; sed Venerabilis Pontifex nudis pedibus & plantis, adeò intolerabilem frigidissimæ Regionis tolerabat algorem, ut volens descendere, pedem à subhærente ferro disjungere non valeret, nisi aqua prius calida subveniret. Sed quàmvis corpus, in nivium & aquilonum medio congelaretur, fortis nihilominùs ejus anima, in charitatis, & amoris erga Deum & proximum rogo inflammabatur, postremaque momenta consumandi itineris ac initia Evangelicæ Prædicationis avidissimè anhelabat.

CAPUT

CAPUT XIX.

Transeundo per Hungariam DEUM verum & unicum in Cœlo esse prædicat; illæsus per medium ignis transit; & Bussianum Regem, ac Regnum ejus convertit.

SAnctus Bonifacius post periculosissimum aliquot mensium iter ad superioris Ungariæ partes perveniens, eodem instanti, non ampliùs Christianæ Religionis signa conspiciens, ejus cor duos contrarios effectus degustavit; doloris; ob illorum gentilium populorum à recta Cœlestis veritatis semita deviantium cæcitatem; & jubili: Se jam in medio barbaræ gentis; à quâ tantò sibi præstolabatur Martyrii palmam, intuens hæc sine mora ejus zelus otiari ignoravit; illis gentibus palpabilem ipsarum errorem ac cæcitatem, in adorandis, & incensandis somniatis Diis, suarum manuum operibus, viceveri, & unici DEI, supremi Cœli terræque conditoris, demonstrare cæpit. Hæc & alia Evangelicæ veritatis salutifera dogmata S. Archi-Episcopus, publicas Civitatum, & pagorum plateas pertransiens, cum tanta constantia, libertate, & energia prædicabat, ut evidenter cognosceretur in eo ardentissimum inferendæ sibi mortis desiderium. Sed nullus in ipsum manus inicere ausus, ex ratione (ut meminit B. Petrus Damiani) *ne sicut post Martyrum Beati Adalberti corruscantibus miraculorum signis, Sclavonicæ gentis plerique conversi sunt, ipsis quoque similiter eveniret, à beato Viro manus artificiosa malitia reprimunt, & cupidissimo mori, nolentes eum occidere, crudeliter parcunt.*

Nulla

Nullâ igitur interpoſita morâ Ruſſiam versùs ſuos reſolvit paſſus; in qua dictum Regem Buſſianum degentem reperit: ipſe interim in quoddam domicilium ſecedens, ſupremo Regi cum indefeſſis orationibus, jejuniis & pœnitentiis, infidelium animarum ſalutis negotium commendare niſus eſt. Oportunitatem nactus, abjectis & vilibus veſtimentis indutus, excalceatus ſe regi, quaſi magni momenti opus communicaturus præſentavit, & in conſpectu Principalium ejus Aulæ Procerum, cum illa Majeſtate, & energia, quàm Divinus Spiritus, ſuis Apoſtolicis, & ſanctis Sacerdotibus infundere ſolet: in hæc verba prorupit.

Sereniſſime Rex, ille Deus vivus, verus, atque æternus, qui te creavit, & ſuper tantam hominum multitudinem, ſingularibus beneficiis, opibus & Regnis dotando, cumulavit, & qui totum, quod in Cœlo terraque continetur, è nihilo extraxit, ad te me à remotiſſimis Regionibus mittit, ut tuæ mentis errores & tenebras abjicias, tibique veræ, & unicæ ejus Deitatis lucem & cognitionem ſplendere permittas. Ipſe eſt illa prima cauſa improducta, ſine principio ac fine, à qua omnia procedunt, cujus exiſtentiam multiformi loquelâ omnes Creaturæ prædicant. Hic ſol adeò pulcher, ac luminoſus, quem intueris, ejusque radiis gaudes, qui quovis veſpere occidit, & infallibiliter mane reſurgit, qui gyro motuque Cœlorum, totam hanc grandem terræ machinam circumdat & illuminat, quæ divino nutu, in vaſtiſſimi Cœlorum concavi medio, in unico centro ſuo librata ſiſtit, nonne tibi ad mundi regimen ſupra ipſosmet Cœlos Ipſum eſſe indicat, Ejusque inacceſſibilem lucem, & infinitum pulchritudinem demonſtrat. Iſtum tempus, quod adeò velociter tranſit, ac præterit, ſemperque volare non ceſſabit; nonnè Ejus æternitatis ſecuram experien-

rientiam præbet? Hæc Veris, æſtatis, autumni, & hyemis variata ſeries; terræ virtus in producenda tanta frondium, florum ac fructuum diverſitate? Mare piſcibus, & Margaritis tam copioſum, adeò obediens, ut propria confinia ſuis undis non excedat? aquæ Cœlitùs ad fœcundandam terram interdùm effluentes? fulgura, tonitrua, & ſagittæ? Ille ignis, qui virtualiter in ſilicibus continetur, & ad chalybis ictum ad favillas erumpit, quo demum accenſo ad ſuam ſphæram tendit. Hic aër quem reſpiramus, & ex quo vivimus, & tot prodigioſa entia per orbem diffuſa? Illa vocum, & vultuum varietas in tot hominum myriadibus, quibus mundus refertus eſt; nonne ſunt omnes ejus divinæ omnipotentiæ, ſapientiæ, & Providentiæ effectus? Ille noſter naturalis appetitus ad Cœlum, quod ſuo pulcherrimo reſpectu nos mirum in modum recreat; ille voluntarius in cunctis noſtris tribulationibus & anguſtiis ad Divinum adjutorium recurſus? ille poſt aliquam perpetratam iniquitatem animi timor, ægritudo & moleſtiâ? illa pax & lætitia, quæ poſt bona, ac pia opera experitur? illa noſtrarum animarum immortalitas? illa terreſtrium bonorum nunquàm deficiens ſatietas? non ſunt omnes clariſſimæ & evidentes in nobismetipſis unicæ & veræ Ejus Eſſentiæ probationes & documenta. Unicæ; quia unus eſt, & ſolus Deus, nec poſſunt eſſe plures, quam unus: quemadmodùm tu es unicus in horum tuorum Regnorum gubernio Rex, ad eaque regenda ſufficiens; ita Deus, ut omnipotens, & qui omnia ex ſe poteſt, aliis Diis non indiget, & ut eſſe poſſint, repugnat, in quo ipſa ratio intellectum captivat; quoniam aut alij Dii fuiſſent ipſi æquales, aut inæquales, & independentes, utrumque impoſſibile. Si primo modo; miſer mundus in motu ſemper maneret; quia Ipſis ob divinæ Eſſentiæ paritatem

tatem in crebris contentionibus existentibus, nos infelices Creaturæ à contrariis illorum voluntatibus & operibus, sine intermissione oppugnaremur. Nec affirmari potest, quòd unius voluntatis forent, quoniam eis perpulchrum & inæstimabile illud attributum, nimirum libertas, tolleretur; & in hoc nobis mortalibus inferioris conditionis forent, quiea, quæ nobis libent, agere valemus, & ideò revera nemo ex ipsis verus Deus esset. Ecce Rex serenissime, vides vel solo naturali lumine, esse Deum vivum verumque in Cœlo, qui cuncta gubernat, nec posse dari aliam Deitatem æqualem, aut inferiorem, luce meridiana clariùs patet. Quarè tui Dii, quos adoras, sunt imaginarii, insubsistentes, & aërii; imò dæmones & veri Dei inimici, cùm sint illi Angeli, ob eorum superbiam ab ipso vero Numine Cœlo expulsi, & ad perpetuum, squallidum, ac acerbissimum in medio terræ carcerem relegati, ad quorum replendas in Paradiso sedes, ob illorum expulsionem vacantes, nos homines condidit, ut ipsum, quousque vivimus amantes, & ei soli servientes, post mortem illis in æterno Regno succederemus, ubi ipsamet gloria & beatitudine, qua Deus potitur, in æviternum fruemur; Cui laus, honor, & gratiarum actio per sæcula.

Rex, ejusque Proceres, hunc sermonem sancti Apostoli (in quo Cœlestis Patris spiritus loquebatur) cum summa attentione, & complacentia auscultarunt; visumque est ab eorum intellectibus densas obscuritates non nihil evanescere, & quendam radium lucis illius, quæ brevi illos ad veram Dei cognitionem illuminatura erat, resplenduisse. Verùm Rex sanctum adeò incultum, lacerum & excalceatum considerans, nondùm veri Christiani opes in paupertatis habitu, & non in nobili, ac pretioso vestitu consistere gnarus, ipsi respondit; *Optimè jam cognoscimus, quàm grandè sit tuum*

talentum, quòd nobis summoperè placet, nimioque afficimur gaudio; sed quia totum id, ad succursum tuis extremis egestatibus quæritandum, teque de paupertate sublevandum aliquo nostro Regio munere, dixisse te, nobis persuademus; idcircò si ab hac opinione tua recedes, nostramque fidem amplecteris, tuam inopiam largissima opum liberalitate, locupletaturos nos promittimus. His auditis Bonifacius, petita ad suam habitationem remeandi licentiâ, factaque profunda reverentia, indè recessit. Ad suum autem hospitium perveniens, foras pretiosissimis sacris ornamentis extractis, pulcherrima albâ, ditissima stolâ, & pluviali se vestivit, Mitra super caput collocata, & dextra manu Pastorale tenens, ad Regale Palatium denuò processit. Cum itaque sanctus Antistes, tanto ornatu, decore, & gravitate compareret; Rex totaque ejus Aula, non ampliùs egenum esse illum Prædicatorem, cernens: insolita admiratione factum stupebat. Quocircà in conspectum Regis Beatus Episcopus ultrò progrediens; cum Majestate, magnique sui Spiritûs vigore, sermonem reasumpsit; inquiens: In has Regiones mi serenissime Rex, ad tuum aurum, facultatesvè exquirendas non veni; verùm te, tuosque populos à fallaciis, ac superstitionibus, in quibus heu miserabiliter degitis, liberandos, & ad vestros mutos & surdos, ligneos & lapideos Deos subvertendos, vobisque verum & unicum Deum, communem nostrum Creatorem ac Dominum, annunciandum comparui: in cujus veræ Essentiæ contestationem, totum meum sanguinem profundendum, milleque Vitas, si tot haberem præbendas, me promptum exhibeo. Si id, quod tibi jam prædicavi, nobilis tuus intellectus percipit, & in me nullum alium finem, quàm ipsiusmet Dei gloriam, tuæque animæ salutis desiderium recognoscis, cur igitur ad hujus clarissimæ veritatis lucem oculos cordis non aperis, & has

mortuas

mortuas Deitates, imò vanissimas inanitates, quibus sacrilegas incensationes tribuis, non prosternis? adores verum, & vivum Deum, quem tibi prædico, apud quem, quandò anima tua post separationem à corpore ante divinum Tribunal præsentabitur, omnis excusatio, quæ te defendat, deerit, misit namque me Dominus à remotissimis partibus, quatenùs tibi de unica ejus Essentia cognitionem adferrem.

Negare nequimus (ad hunc novum sancti sermonem) subjunxit Rex, adductas rationes tuas sat esse ponderosas, video nimis illas esse convincentes, sed non ideò ad firmandam mentem meam sufficientes, si non alicui evidenti signo etiam ad externos sensus associentur; & cùm jam nostri Dij aliud non sint, quàm insensati (ut dicis) lapides, & trunci, vester autem Deus verus & vivus; igitur aliquod ejus omnipotentiæ opus etiam Vivum, quod naturalem ordinem excedat, videatur, & tunc nulli hæsitationi locus in me residebit. Sic itaque agatur: duo immensi, & igniti rogi erigantur, brevissimo spatio ab invicem separati, & igne supposito, cum ita ardere cœperint, ut utriusque struis unus ignis esse videatur, tu transi per medium, quòd si læsus ex aliqua parte fueris, ipsis te penitus ignibus cosummendum trademus; sin autem sanus, ac per omnia illæsus evaseris, credimus, & quid quid dicis Regia sponsione promittimus. Dictam conventionem illico cum nimia hilaritate sanctus Christi Apostolus acceptavit, de Divina protectione securus, atque de Regis, ejusque Regni futura conversione gratulabundus; efflagitatis igitur aliquot diebus, eique à Rege indultis, ad suam habitationem regressus est, ubi rigidissimis jejuniis, asperis flagellis, & continua oratione omnipotenti Deo se, tantorumque convertendorum populorum animas, pronus commendavit.

Die ad prodigiosum spectaculum determinato, in quodam amplissimo foro, vastissimum admirationis theatrum erectum est: ubi Rex, totaque ejus aula, cunctus item populus pro spectaculo comparuêre. Accensi itaque sunt duo ingentes ignis strues, in modica unius ab altera distantia, tali videlicet modo: ut quamvis ligna quemdam in medio transitum relinquerent, nihilominus flammæ utriusque rogi unum quodammodo corpus effecêre. Comparet tandem Beatus Præsul pretiosissimis & pulcherrimis Pontificalibus vestibus indutus, ita propemodum, velut in sacro Altari celebraturus, cum Mitra, argenteum thuribulum manu gestans, adeò Venerabilis, ac Majestate gravis, ut Regis, & illius innumerabilis gentium multitudinis oculos, attentosque ad se animos attraheret.

Sanctus Præsul jam in conspectu ignis existens sublevatis in Cœlum oculis devotè orat, dicens: *Omnipotens æterne DEUS, cujus nutui omnes creaturæ obsequntur, cujus voluntas est potentia, tolle (te humiliter precor) huic igni vim urendi, illumque in meum, horumque spectatorum corda, ut te semper ardenti animo diligant, transfer. Si tribus pueris in Babylonica fornace ignem in suavem auram convertisti, hujus quoque naturalem ardorem supprime, mihique transitum absque læsione concede. Ipsum ad tuam gloriam, & in nomine tuarum trium divinarum Personarum, Patris, Filij, & Spiritûs Sancti, in una Deitate ingredior;* dextraque pectus in crucis formam signans gravi, & placido incessu introivit intrepidus, seque in ingenti flammivomo incendio inclusit; ad hujus novæ admirationis spectaculum, in cujuslibet astantis pectore cor nimiùm quantùm palpitabat, & quousque ipsum extra flammas non viderant, nemo palpebras clausit, nemo respiravit. Hunc igitur ingentem ignis struem à principio usque

in

in finem, à ſiniſtra usque in dextram perambulans, tandem omni ex parte illæſus prodivit invictus Chriſti Martyr. Quo miraculô omnes circumſtantes in ſtuporem acti concutiebantur corde, & ab eorum mentibus denſæ Idololatriæ tenebræ evanuêre, & tam clarus in ipſorum intellectibus ſupernæ veritatis radius reſplenduit, ut non eſſe alium DEUM, niſi à ſancto Bonifacio prædicatum palam recognoſcerent. Confeſtim Rex, cum principalium Regni Procerum comitatu ſe ad Beati Viri pedes projecêre, veniam cum lachrymis à DEO, & ab ipſo de anteactis erroribus, & cæcitate petituri cucurrerunt. Se credere firmè in verum DEUM palàm teſtati, cum inſtantiſſima ſupplicatione baptizari petierunt.

Sanctus verò tam repentinam cordium mutationem, Altiſſimi fortis brachij effectum eſſe cognoſcens, alijs neceſſarijs functionibus, ſacrum lavacrum præmittendi, difficultatem non habuit; unde cum inenarrabili jubilo, & extremo ſpiritûs ſui gaudio, Regem, ejus Familiam, Aulæ, ſuique Regni Proceres, & quot quot illa die poterat, per Baptismales aquas, Gratiæ renaſci fecit. Tandem ob numeroſam nimis Gentium ad Baptiſma ſequentibus diebus confluentium catervam, ad ſpatioſum quemdam campum, certique fluvii littus deſcendere oportuit; ubi abundante aquarum copia confluentes innumerabiles populos baptizare poſſet.

Pervulgata per totum Regnum prodigioſi caſus glorioſi Apoſtoli, (quòd inter flammas tranſiſſet illæſus, & converſionis Regis, totiúsque reſidentialis ejus-Urbis) fama, plurimi Regnicolæ Regis exemplum ſecuti ſunt. Undè ubique locorum, ſanctiſſimum DEI vivi, & veri creatoris nomen audiebatur, & Idola, ipſorumque ſacrilegi adora-

tores

tores deteſtabantur, atque maledicebantur. Fuit adeò vera Buſſiani Regis converſio, tamque accenſus novæ fidei zelus, ut alter ipſius Frater germanus, cum poſt multas exhortationes, (quatenùs antiquum errorem deſereret, oculosque ad unius Dei veritatem à ſe cognitam aperiret;) ipſi factus recuſaſſet, ejus juſti, ſed indiſcreti furoris victima extiterit, ejúsque manibus peremptus eſt, cum ſumma ſancti diſplicentia, qui hunc indiſcretum, & præcipitem zelum nullatenùs approbavit. Neoconverſus Rex Buſſianus adeò amorem ſui cordis in ſanctum Bonifacium transfudit, ut absque ipſo vivere neſciret; Coronamque & Regnum Flio ſuo cedere, monaſticum habitum aſſummere, atque indiviſibiliter eum ſequi ſtabiliret, ac proponeret.

Poſt hæc ſanctus Præſul jam ob tam copioſum novum gregem boni Paſtoris nomen & omen adeptus, omnem conatum impendit in profanis Templis purificandis, capacioribus ſubjectis in Evangelica lege inſtituendis, qui alios deindè erudire valerent; in præceptis, quæ erant obſervaturi publicandis, & cæteris quibusvis ejus paſtoralis curæ officijs adimplendis, inſudabat.

CAPUT XX.

Ad convertendum Principem Buſſiani Regis ſecundum germanum Fratrem pergit, à quo etiam Martyrium obtinet; & poſt glorioſam ejus mortem miraculoſi eventus.

PRemebat, non minus ſanctum Paſtorem, quàm ipſum Regem, Principis ſui fratris converſio, partim ob individuum

viduum ejus amorem, partim, quòd Regi ſanctam fidem amplectenti, nemo in toto Regno potentior eſſet, qui agnitam veritatem oppugnare auderet. Poſtquàm igitur Bonifacius res novellæ Eccleſiæ magis eſſentiales compoſuiſſet, ad Civitatem non multùm diſtantem in qua præfatus Princeps reſidebat, quatenùs ipſum de errore in quo vivebat, admoneret, perrexit. Princeps verò, inaudita junioris ſui Fratris, quòd novæ Religioni amplexandæ non aſſenſiſſet, morte per ipſummet Regem illata, coram ſe Beatum Archi-Epiſcopum conſpiciens, in furorem actus; non tantùm ipſi ad aperiendum os facultatem non indulſit, verùm etiam eum ſinè mora comprehendi ordinavit. Bonifacius autem ſe catenis ferreis conſtrictum, intuens, jam illud adeò exoptatum tempus pro Jesu moriendi adeſſe gaudebat, immenſóque gaudi cumulata anima ejus, pro tota illa novella Chriſtianitate, & reliqui infidelis populi converſione, ſe in victimam & holocauſtum æterno Patri obtulit.

Aulici, qui ex Regis mandato ſanctum fuerant ſecuti, truculentam Principis indignationem, & eorum Apoſtoli capturam cernentes, ad ſignificandum Regi ſolliciti concurrerunt. Rex itaqne numerosâ equitum turbâ comitatus, cum animo fratrem in ore gladii ponendi, ad omnesque, quot quot ſancto Archi-Epiſcopo injuriam intuliſſent perſequendos, ſe velox contulit. Interim Princeps; ne per Regem cupita præda è manu ejus eriperetur, ut in ſua, ſuorumque Aulicorum, & aliorum præſentia, ei caput conſeſtim amputaretur, ordinavit. Sanctus Pontifex, & Beatiſſimus Martyr caput intrepide gladio inflexit, & glorioſam Martyrii palmam reportando, illas teneras fidei plantas, ſuô pretiosô ſanguine irrigavit: benedicta ejus anima ad recipiendum de tot ſuis laboribus prœmium, invicta morte breviſſi-

vissimos præsentis vitæ terminos, cum interminabilibus æternitatis sæculis commutando, in Cœlum evolavit. Statim verò, ac in terram venerabile caput cecidit; ipse Princeps repente oculorum lumine orbatus est, fuitque unà cum omnibus aliis spectatoribus, à tanto stupore, & immobilitate oppressus, ut amissis prorsus sensibus, uti demortua cadavera, & gelidæ lapideæ statuæ jacerent.

Paulò post Rex supervenit, & sacrum corpus in proprio sanguine jacens, Fratremque & reliquos spectatores immobiles videns: partim ob amantissimi sui Magistri irreparabilem jacturam indignabatur; partim verò ob tanti prodigii novitatem in admirationem rapiebatur; post aliquod verò temporis spatium, ab illa obstupefactione serenatus, unà cum alis Christianis secum advenientibus, genuflexus cum humilitate, & magna fide Dominum & sanctum Martyrem pro illis miseris, tanquàm mortuis, oravit Divinæ piet[illegible] supplicans; ut eis rectius judicium, ac lumen sanctæ Fidei à B. Martyre prædicatæ veritatem cognoscendi unà cum sensibus restituere dignetur; & post prolixiorem orationem, ecce cuncti ad pristinos sensus rediêre, instanterque unanimiter baptizari petierunt, prout illicò absque cunctatione, salutaribus undis regenerati fuerunt.

Levatô sacrô cadavere, cui piùs Rex, & impius paulò ante frater ejus, devota, ac tenera oscula impresśere, tandem super sacrum pignus, in pretiosa, ac nobili tumba, inclusum, confestim Rex, magnam & sumptuosam Basilicam Deo, & sancto Martyri dicatam erigi præcepit; ubi beatissimi Martyris meritis assiduas gratias illi populi ad præsens obtinent. Sic igitur in Russia fideles multiplicati, sanctaque Christiana Religio stabilita floret.

Marty-

Martyrologium Romanum gloriosi hujus Russiæ Apostoli Martyrium die 19. Junii, quô fuit consummatum, ponit, anno Redemptionis humanæ 1008.

Eodem die S. Bonifacii Martyriis, discipuli B. Romualdi, qui à Romano Pontifice ad prædicandum Evangelium in Russiam missus, cum per ignem illæsus transisset, Regemque ac populum baptizasset, à furente Regis fratre necatus optatam Martyrii palmam accepit. Ita Martyrologium Romanum.

Hæc sunt, quæ de hoc glorioso Ordinis nostri Protho-Martyre conquisita in benevoli lectoris notitiam transmittere volui; de quo sanctus Petrus Damiani hocce encomium in suis operibus memoriæ prodidit: Verùmtamen ego, si de hoc mirabili Viro cuncta referre tentarem, deficeret forsitan lingua, non deficiente materia. Deserviet hæc narratio, tam pro debita Divi Bonifacii laude, quàm etiam pro magnæ sanctitatis, doctrinæ, & prudentissimi regiminis nostri Patriarchæ sancti Romualdi argumento, *quatenùs (ut loquitur citatus sanctus Cardinalis) dùm celsitudo discipulorum auribus fidelium insonat, quàm excelsus Doctor eorum fuerit, ex schola, quàm tenuere, innotescat.*

CAPUT XXI.

Romualdus sui dilecti Discipuli Bonifacii Martyrium audiens, ad Evangelicam prædicationem prosequendam se cum sociis resolvit.

ADvenientem nuncium, cum summæ teneritudinis lachrymis audivit Romualdus, de invidenda ac felici ab infidelibus illatâ morte tantò amati sui filii, & Discipuli Bonifacii

nifacii certior factus; ejus cor mirabilem Cœlestium consolationum excessum percipiens; in ipso accensum est vivum pro Christi nomine sanguinis sui effundendi desiderium. Nullam ejus generosum cor impressionem recipiens ex consideratione in occasum vergentis ætatis suæ, delicatæ complexionis, per plurimas jam adversitates attenuatarum virium, prolixi & ardui itineris, & ancipitum, ac incertorum adeò difficilis negotii eventuum; tàm sanctam & gloriosam missionem, cum tanto Evangelicæ fidei augmento, à præfato dilecto Discipulo suo incæptam prosequi decrevit.

Confestim suam firmam resolutionem omnibus suis discipulis, ut ipsam in ferventibus suis orationibus Deo commendarent, manifestavit. Voce hac inter suorum discipulorum per tot Eremos, & Monasteria degentium multitudinem, sparsa; copiosissimus ipsorum numerus, ad constanter sequendum ipsum in tam magno ac heroico opere, admitti instanter petiit. Sanctus promptam exhibitionem tot suorum Religiosorum se comitandi admirans, licet eorum voluntatem secundare nequiret, spirituali tamen gaudio non modicùm exindè afficiebatur. Undè eorum multitudinem ad ultimum cum importunitate semet offerentium, cum magno labore vix ad 24. restringere valuit, Redemptoris Apostolatum ex 12. solùm compositum, dupplicans: duos ex illis Romam ad Pontificem, Sergium quartum, ad recipiendam Apostolicam benedictionem misit, nempè Patrem Igilbertum, & Petrum Gregorium, ambos magnæ perfectionis, & doctrinæ viros. Quibus ad Curiam Romanam pervenientibus, exposita suæ sanctitati Beati eorum Magistri in Hungariam, & Russiam, cum viginti quatuor sociis Religiosis, proficiscendi deliberatione; quantam jucunditatem exindè sua sanctitas, & Romana Curia, ipsique Urbis incolæ,

incolæ, perceperint, exprimere haud facilè eſt; à quibus cum inennarrabili jubili ſenſu audiebatur S. Bonifacii Martyrium, & Regis Buſſiani, ejusque gentis converſio; agnoſcentes providentiam, & amorem, quem Dominus JESUS ſuæ ſponſæ Eccleſiæ, temporibus adeò calamitoſis, exhibuit. Non ſolùm ſummus Pontifex præfatis duobus omnem poſſibilem facultatem impertitus eſt, verùm eos ambos in Archi Epiſcopos conſecravit, quatenùs pro exigentia occaſionis, quosdam ex novellis Chriſtianis ad Ordines promovere, Eccleſias benedicere, cæterasque Catholicas functiones exequi poſſent. Cùm verò Româ novi Archi-Epiſcopi redirent (præſtò exiſtentibus cæteris omnibus ad nobile opus electis) ſacra vaſa, paramenta, libros, & alia Eccleſiaſtica utenſilia, in illis Regionibus prorsùs non repertura ſibi providerunt.

CAPUT XXII.

Sanctus Romualdus ad prædicandum ſanctum Evangelium cum Socijs proficiſcitur, & ad Ungariæ confinia perveniens, Divina determinatione cum aliquot Diſcipulis redire compellitur

O Amabilis, & decora nimis, ac à qualibet fideli Chriſtiana anima deſiderabilis mors! ſi revera es omnium ponderum exoneratio, omnis moleſtiæ ſublevatio, cujusvis ægritudinis finis, à cunctis periculis ſecuritas, hujus miſeræ peregrinationis, noſtræque infeliciſſimæ vitæ, unica & ſola felicitas. Absque te in æviternum infelicies eſ-

ſemus; quia ſemper hujus intolerabilis terræ incolatûs habitatores. Tecum ad veram cœleſtem vitam tranſimus; hinc tibi non mortis, ſed vitæ nomen jure debetur: quoniam poſtquàm tuam falcem experimur, verè vivere, & vivere æternitati incipimus. Solùm id mali poſſides (ſi audeam loqui) quod moderni temporis mortalibus imo (vix non tangerem) fors & præſentium lectori ſis nimis præpropera, qui diuturnos mortalis vitæ dies agere vellent, tu autem præmaturè (ut apparet ipſis) initiante texturæ opere ſtamen amputas; & è contra qui ardenter præciſionem cupit, ipſi illam ad complures annos, imò ad luſtra prolongas. Delicioſis mundiquè amatoribus, qui non minùs tuum nomen audire, quàm tuum conſpectum ſubire, vellent, te non invitata præſentas; à pauperibus verò bene morigeratis, hujus mundi contemptoribus, ſanctis, qui te quavis hora ſuſpirant, vocant, invitant; longè diſcedis, terga vertis, ad eosque conſolandos venire cunctaris; meminiſſe velis, quæ nam in faciem tibi olim prolocuta fuerit anima illa Paradiſi cupida Beata Catharina Joannenſis, dicens: *Dulcis & delicioſa mors, hoc tantùm habes mali, quòd fugias ab eo, qui poſt te currit, & perſequaris eos, qui à te declinant.* Eccè centum annorum pondere gravatus noſter Romualdus tibi obviam ire anhelat, ad barbaras usque nationes in victimam tibi ceſſurus, pergit, & tu occurrere cunctaris. O barbara, & inhumana Mors!

Itineri itaque accingens ſe Romualdus, nè vel minimam pretioſi temporis partem amitteret, hanc methodum ſervare inſtituit, nimirùm: ſuos Socios ut ipſum præcederent, ordinabat, ipſe autem ad interruptam cum Deo unionem conſervandam, atque ut ſuos pios affectus tutiùs exerceret; dulcitérque pſalmos, ac hymnos decantaret, retror-

trorſum ſequebatur. Veſpere ad hoſpitium divertentes, ex loco Diverſorii, Monaſterium effecêre, non tantùm ob grandem ſuorum Religioſorum illud replentium numerum, quantùm ob modeſtiam, devotionem, ſanctáque colloquia, quæ à prætereuntibus ſæcularibus cum ſumma ædificatione audiebantur. Superatis jam alpibus, quantò plus ad præfixum ſui itineris terminum appropinguabatur, tantò ampliùs ſancti Viri deſiderium pro fide obeundi accendebatur; undè propter tantum ſui cordis tripudium repubeſcere videbatur. Qui tamen huic venerando Viro in tam decrepita ætate ad Gentes pergenti obvius fieret, cui vel maximè ejus vita in continuis pænitentiis, & perſecutionibus attrita prævië conſtaret, haud is certè ſe continere pôſſet, quin ingenuè illi diceret: Quid hoc O Romualde? quorſum, & cur paſſus tuos dirigis in tam aſperas, & rigidas (non minus ob clima & ſitum, quam ob hominum ibi habitantium inurbanitatem) Regiones in ætate adeò propingua ad ſepulchrum? Opera bona, quæ adhuc in Patria tua facturus es, ſunt certiſſima, ſed admodùm ambigua illa, quæ in Hungaria agere deliberas. Ubi eſt, qui ſpondeat optato te afficiendum Martyrio? mihi ego perſuadeo, quod hic venerabilis vultus tuus, qui Majeſtatem plusquàm humanam, reverentiam & amorem ſpirat, non ſolùm ad hominum barbariem, ſed et ad beſtiarum ferocitatem mitigandam, eſt ſufficiens, injuriarum igitur, ac tormentorum vice, blanditiis te delinient. Ecce magno bono intermiſſo in Italia, hisque in Regionibus fine tuo fruſtrato, tandem remeandum erit. Quæſo remigrare decernas, quòd ſi in veritate, quantùm humana crudelitas valeat, experiri anhelas, id in ipſismet Cœnobiis, à tuis indignis, & iniquis filiis deguſtare valebis; qui pro te interimendo ferra acuent,

pro

pro te suffocando laqueos connectent, teque jugulare tentabunt. Jam Martyris meritum obtinuisti, & desiderio pro Christo effundendi sanguinem, quantùm in te est satisfecisti. Camaldulenses Montes te præstolantur; ut implantatam Eremiticam, & Monasticam vitam illic stabilias, tuísque candidis Religiosis luminosum ad Cœlum iter aperias.

Euntes ergo hi Apostolici Viri, cum jam in ipsis Pannoniarum finibus adessent, repentè Romualdus languore correptus ulteriùs ire non potuit. Cùmquè diutius pateretur; si quandò redire disponeret, protinus ab ægritudine convalescebat. Sin autem iteratò ulterius proficisci tentaret, tota ejus facies protinus intumescebat, sed neque cibos ampliùs stomacho languescente retinere poterat. Hinc antequàm reditum suum prosequeretur, convocatis in unum universis fratribus, hæc ad eos amore Paterno fertur prolocutus fuisse: *Fratres mei dilectissimi, profundissima sunt Dei judicia, à Regia Propheta merito abyssus nuncupata, idcircò non investiganda; quia in comprehensibilia, juxta Divi Pauli Apostoli oraculum; quod viæ Domini indagandæ non sint, verùm cum infima humilitate sunt adoranda, quousque in hoc misero exilio commoramur, nobis postmodùm in nostra vera Patria revelanda. Altissimus Dominus permisit, ut ego una vobiscum ad certaminis locum pervenirem, & dùm me jam ad dimicandum contra Idololatriam accingerem, ecce id, prosequi denegat, mihiquè in Italiam regredi delusa prorsùs omni spe demandat, hoc itaque dierum meorum residuum in sacrificium illi, qui se pro me super Altari Crucis DEO Patri obtulit, dedicare expedit. Quia autem piæ intentionis vestræ desiderium non ignoro; idcircò neminem vestrum redire compello, sed in uniuscujusque libero arbitrio situm relinquo.* Ex 24. Discipulis, (duobus jam antehac in Italiam remissis) septem cum sancto Patre redierunt; reliqui verò quindecim animosè

mosè arrepti cursus eventum experiri totò conatu nisi sunt.

Igitur ne benevolum lectorem lateat, qui nam eventus in Oris Pannonicis cum prænotatis quindecim sancti Patris Romualdi Discipulis secuti fuerint; concinnè enucleabo, & verissimam superîn declarationem dabo. Postquàm ergò plurimi è diversis Orbis partibus ad sanctum Stephanum Ungariæ Regem tam Canonici, quàm Monachi confluerent, ut pii Regis consuetudine gaudentes Evangelicam disseminarent veritatem: hi quoque à sancto Patre nostro 15. missi eremitæ felicissimè in Hungariam advenêre; ubi salutato columbina simplicitate Rege, ab eodem perbenignè accepti sunt. Brevi nihilominus hi sancti Viri ad deserta, vastásque solitudines se conferre statuerunt, ubi memores Romualdinæ austeritatis, tuguriola sibi in Eremis excitarunt, in quibus more antiquorum Eremitarum, rituque Romualdino, singuli viritim habitarunt, nullius obedientiæ jugo subjecti, sanctum Paulum primum Eremitam, aliosque veteres Patres imitantes, inque altissima contemplatione semet exercentes, continua temporum successione propagati sunt: usque dùm audita insigni B. Eusebii Canonici Strigoniensis erga pauperes pietate, ad eum (ut memorant Annales Paulini) velut paupertatis asylum, eleemosynæ accipiendæ gratiâ ex Eremitoriis suis ventitarunt. Quos ille, & humaniter intra limina domûs recipere, & per benignè alloqui, tandem & curiosiùs percontari cœpit; *cujates essent, quod Vitæ institutum ducerent, qua ratione tam insolitum vestimenti genus, tam exanguem in vultu maciem, tantam in incessu humilitatem præseferrent.* Quorum ut ille Vitæ sanctimoniam ex verborum simplicitate, compositione membrorum, corporisque cultu perspexisset, continuò sibi imaginabatur eosdem

dem oculis suis obversari, qui dicente Apostolo: *quondam circuerunt in melotis, in pellibus caprinis, angustiati afflicti*, cum quorum tamen dignitate, nec totus Mundus certare posset.

Illi autem plura elogia in laudem solitudinis Eusebio ingerentes: Divum Paulum The[illegible]um Eremitarum Principem, Antonium verò, Macarium, Hilarionem, & alios (longe ante tempora Romualdi) Eremitici Propositi illustratores fuisse ingeminabant. *Revocabant pariter in memoriam Eremiticæ Vitæ per Hungariam Fundatores, Zœrardos, Benedictos Gerardos &c. pœnitentiæ & austeritatis viva aliquandò exemplaria: quorum vestigiis insistentes, quasi digito solitudinis dignitatem indicabant. Ita Rev. Pater Eggerer Ord. Paulinorum in Vita B. Eusebii.* Sed ne mè Lector benevole, in descriptione Discipulorum sancti Romualdi, à Veritate (quæ Mater historiarum est) indiscretô, ut tibi videtur, zelô, longius actum arguas, subjicio oculis tuis ipsissima Verba ex Annalibus R.R. P.P. Paulinorum fol. 74. decerpta: *Factum ergo, ut orante quadam vice horis nocturnis Eusebio, ignes aliqui per sylvam, tanquam scintillæ in arundineto discurrerent, quo viso, dum novitate rei attonitus, anceps animo fluctuaret, quidnam faces illæ absque pabuli nutrimento singillatim præsagirent? Ecce tibi subitò illæ ipsæ flammulæ in unum coire, suique conglobatione tenebras noctis, & Eremi pellere, diemque ipso meridie clariorem efficere, videbantur. Quò magis raritate facti stupebat Eusebius, eò ferventiùs sibi à Deo Mysterium ab involucris solvi, ac patefieri precabatur: annutum est favente Cœlo orationibus Eusebii, nam audita desuper vox: lucernas illas ab invicem per eremum dispersas denotare illos viros, qui distinctim solitarii in eremo vixerunt, majorem postmodum fructum facturos, si solitaria Vita deposita, in unam convenirent Cœnobiticam.* Quos Beatus Eusebius in unum congregatos, & à studio Contemplationis in Cœnobia & Civitates

tes destribuit: ut ibi Evangelizando, non propriæ solùm, verùm alienæ quoque saluti incumberent. *Strictum illud Romualdinum vivendi genus, perpetuæ videlicet à carnibus abstinentiæ, ob labores, quos deinceps in Concionibus, & Confessionum exceptionibus, ac Sacramentorum administratione subire debebant (teste Præposito Calisien) à summo Christi Vicario temperatum est, adque regulam sancti Patris Augustini revocati sunt.* Colorem illi, & paucis mutatis (ut præcitatus auctor adnotavit) ipsum habitum Camaldulensium in quibusdam regionibus retinent; ac Religiosi sancti Pauli primi Eremitæ vocantur. Hæc est genuina laudatissimæ hujus Religionis in Hungaria origo. Clarum namque est, quòd D. Paulus primus Eremita in persecutione Decii in Thebaidem fugiens, toto vitæ suæ tempore nemini Mortalium visus, neminem ipse videns, sub Vitæ suæ finem, solùm Antonio coætaneo, & conterraneo suo à Deo revelatus est. Non est tamen propterea improbabile exurrexisse olim Eremitas Paulinos in Thebaide, teste doctissimo Viro Prothonotario Apostolico Aug. Sartorio: qua in re, ne paradoxum canere insimuler, annecto ipsissima modò citati Auctoris verba; *Eremitæ*, inquit, *Divi Pauli in Thebaide sæculo quarto, solô sancti exemplô sine ullis regulis coaluêre Vitæ eremiticæ æmulatione, è quibus tenues quædam supersunt reliquiæ. Barbati incedunt, ac discalceati, cum soleis, veste alba lanea, breviquè mantello, & caputio.* ita supramemoratus auctor. De quibus num quispiam pervenerit in Ungariam, prorsus non invenio; ac proinde prudentis Lectoris super hoc judicium expostulo. Sed è contra, quòd illi per Beatum Eusebium conquisiti Eremitæ fuerint Instituti Romualdini, certiùs est; quàm ut à quoquàm possit controverti. Cujus evidentiam desummere poteris ex serie Vitæ S. Bugumili Archi-Episcopi Gnesnensis, quæ typis vulgata fuit Romæ

 1661.

1661. cum approbatione Magiſtri ſacri Palatii de Ord. Præd. Conſimiliter & Divus Maurus Epiſcopus Quinque Eccleſienſis in Ungaria fundatæ Vitæ Eremiticæ primordia tribuit ſancto Zoerardo, è ſacro Camaldulenſium Collegio prognato alumno, his verbis: *Beatus Andreas Zoerardus, quaſi roſa ex ſpinis ortus Eremiticam vitam è Polonia, qua prognatus fuiſſe dicitur, in Hungariam tranſtulit, eamque in Nitrienſi, territorio; usq; in finem vitæ, magno abſtinentiæ rigore, & miraculorum frequentia, conſummavit.* Qui non aliam proculdubiò (rationabilitate ſic dictante) vitam Eremiticam in Pannonias oras transferre potuit, quam, quæ adhuc ante ejusdem tempora per quinque Ordinis noſtri Fratres, Benedictum, videlicet, Joannem, Matthæum, Iſaccum, & Chriſtinum, quà vitæ Eremiticæ in Polonia Fundatores (*atteſtantibus Cromero libr. 3. Dubrævio lib. 6. Orichovio, & Paulino Klodauski Ord. S. Pauli primi Eremitæ*) ibidem propagata fuit, quamque in Eremo Camaldulenſi ſub Barnaba Magiſtro coluit: quod paulò clariùs remonſtrabitur.

Abſit hìc à me Lector humaniſſime, cum hoc Sacro-Apoſtolico, nobis aliàs ſemper addictiſſimo Ordine, per diſquiſitionem Originis ſui, rem in controverſiam vocare; aut toto Orbe diffuſi ſacratiſſimi Paulini Nominis gloriam vel tantillum velle minuere. Vitiatum hocce deſiderium in animo meo (palam confiteor) prorſus non reperio; ſedet ſi per inconceſſum quodpiam reperiretur, id præſentibus anathematizo. Ego ſat, ſupérque contentor, pro exigentiæ præſentis materiæ breviter ex præmiſſis remonſtraſſe, de Romualdina ſchola tales jam olim prodiiſſe viros, qui Beato Euſebio in primordiali Novelli gregis inſtitutione ſacrum Ovile ſuum augmentare mererentur. Cæterum, ut ſacer hic Paulinus Ordo ſub glorioſiſſimo militantis Eccleſiæ

clesiæ labaro, Apostolicis jam per tot, sæcula adauctus victoriis, usque in finem unà nobiscum legitimè certet, tacitis comprecor votis.

Haud tamen, paucis ab hinc diebus Lector perhumane, vicinam sub ingressus Urbem, casu in Pictorem incidi Sanctum Zoerardum in habitu Paulinorum effigiantem, quem posteaquàm de Sancti hujus vitæ ratione, & professionis voto informassem; ac quemadmodùm, antequàm Paulina Religio (*quæ Pannoniam natale solum recognoscit*) in Ungaria succrevisset; jam in Polonia Vitam Eremitico-Camaldulensem coluerit, edocuissem: non illepidô veteri illô proverbiô commotum meum sedavit animum: *Cuncta licent stultis, pictoribus, atque Poëtis.* Imò inquit, se non parùm mirari; me adhuc ignorare: *fingere & mentiri inter Pictores fore venale.* Verùm ne ignorantia fiat tibi amice Lector ulterioris causa erroris; subjicio oculis tuis gravium scriptorum auctoritate firmatam vitæ ejus normam. Zoerardus igitur in partibus minoris Poloniæ in oppido Opotoviecz prope Vistulam fluvium Christianis, & piis parentibus natus, Patre Marco, & Matre Agnete, qui sancta educatione Parentum, in præceptis & lege Domini rectè institutus, tandem sub Beato Barnaba Eremita Camaldulensi, in Eremo Casimiriana majoris Poloniæ habitum Camaldulensem assumpsit; super quo Damal. Scriptor egregius evidens hocce perhibet testimonium: *Post gloriosè*, inquit, *consummatum Joannis, & Benedicti Martyrium, Barnabas ab itinere cum Socijs à Sancto Romualdo adjunctis ex Italia reversus in Poloniam; in eodem loco, ubi sancti Martyres trucidati sunt, instaurat Eremitorium, & extructis juxta numerum Fratrum tuguriolis, complures Socios, & Discipulos sibi adscivit è Polonis.*

 In

In his Andream Zoerardum, Justum, & BenedictumZvirardum, clarissima tria Ordinis sui lumina in austeritate vitæ feliciter erudivit.

De hoc gloriosissimo Ordinis nostri Sancto palam fatetur ingenuè toties citatus Gregorius Eggerer Ord. Sancti Pauli primi Eremitæ in suis Annalibus: *Se primum invenisse, qui Eremum in Pannoniam invexit.* At ulteriùs parùm moderatô Zelô actus, hæc de eodem in commentationum suarum serie spargit lib. 2. cap. 1. *Et quamvis*, inquit, *apud Surium (tomo 3. ad 1. May) legam eum à Beato Mauro. Quinque Ecclesiensi Episcopo Benedictinum appellari, & quidem in Hungaria à Philippo Abbate in Monasterio Zobor habitu religiosô indutum; id tamen narrationi historicæ minimè adstipulatur, referenti Zoerardum ex solo natali Eremum petiisse. Qui si ex Ordine Divi Benedicti fuisset, utique inter Fratrum suorum amplexus animam tot meritis inclytam Creatori reddidisset.* Hæc sunt verba præcitati Annalistæ. Cum quo (*quia Religiosus est*) revertenter agendum censeo: pace igitur sua; assertum ejus hac in parte sufficienti niti fundamento prorsus non invenio; irrefragabili namque gravissimorum Scriptorum auctoritate compertum habetur, eundem Sanctum è Polonia in habitu Eremitico-Camaldulensi ad Monasterium Zobor per Divum quondam Stephanum Ungarorum Proregem fundatum, apulisse: ubi Vitam Monasticam (*Benedictinam puta*) sub Philippo Abbate Professus est.

Qui postea anteactæ Vitæ suæ contemplativæ desiderio stimulatus, de licentia Abbatis sui à Cœnobio ad mediô ferè quadrante distantem speluncam secessit, ibique adscito sibi Benedicto Discipulo Vitam ritu Romualdino consummavit. Nec obstat assertioni nostræ eum sub Philippo Abbate Benedictinum canonem professum esse, nam antiquis temporibus Benedictinis per omnia familiare fuit ad Eremos

Camal-

Camaldulensium commigrare: & è contrà Camaldulenses à primævô Benedictinam regulam professi pro exigentia temporis eorundem Monasteriis non refugiebant incorporari. Antiquitùs enim sacra Benedictina Religio ab Instituto Camaldulensium in Vitæ ratione (præter unicam arctiorem solitudinem) in nullo ferè discrepabat; Nam & ipsi carnibus vesci olim piaculi loco habuerunt. Unde nostri sancti Fundatoris tempore, quasi non dabatur Monasterium absque vicina Eremo, nec Eremus admodùm distans à Cœnobio. Ex quibus (testimonio sanctæ regulæ) *qui jam Monasterii probatione didicerant contra Diabolum pugnare*, non rarò transibant ad Eremos. Sed quid opus in diversorum Authorum volumnibus passim inserta, queîs sanctum Zoerardum Ordinis Camaldulensis fuisse remonstrem, conquirere argumenta? solidora sunt ad manus: Sacræ, videlicet, Romanæ sedis auctoritas; quæ speciali suo Decreto definitivam superinde ferens sententiam, eundem catalogo Ordinis Camaldulensium inseri præcepit; ac ut Festivitas illius die 17. Julii ab universo Camaldulensi Ordine sub ritu duplici secundæ Classis solemniter celebretur, benignè indulsit. *ita Brev. Mon. Pauli Papæ V. auctoritate ref.* His præmissis Vitæ ejus sanctissimæ Virtutum insignia jam referamus, est necesse. Mira sancti hujus abstinentia, carnisque mortificatio à cunctis prædicatur; qui præter triduanam frequentem inediam, Quadragesimale jejunium, quemadmodùm olim Zozimas quadraginta dactylis, ita Zoerardus totidem nucibus transegit: & interdiu continuò manibus operabatur, noctu verò vix quidquàm quietis capiebat. In media namque spelunca excavatum quendam quercinum truncum sepibus cingens, eidem acutissimos ligneos clavos infixit, ut si forte corpus sopore gravatum quamcunque in partem declinaret;

illis

illis ipsis aculeis sauciatum evigilaret. Sed & coronam ligneam, vel (ut meliùs dicam) circulum quendam, in quatuor partibus, quaternis appensis lapidibus, Venerando capiti superimposuit, ut si forte sopitis palpebris, nutaret in partem, illico in lapidem impingeret; quem usque adeò austerum sui excruciandi modum admiratus B. Maurus Quinque Ecclesiensis Præsul exclamavit: *O Beati Viri merces, quæ in Cœlo compensat, quod in terra graviter emptum fuerat! ô inauditum genus Confessionis, quod pretiosiùs facit regnum promissionis, non cibus, non requies auferre potuit vanâ dulcedine vitam æternitatis.* Orationi assiduæ, Mortificationi, & diuturnæ abstinentiæ erat per omnia deditus. Verùmtamen in tanta ciborum parcitate, nunquàm à labore cessabat, sed accepta securi solitarium sylvæ penetrabat recessum, ibidemque tamdiu in opere persistebat, quoad nimio labore fractus, humi laberetur. Accidit autem, ut die quodam sic instar mortui jaceret, cumque dubio procul, ab omni humano solatio destitutus, extremum Spiritum edidisset; ecce subitò juvenis eximio præfulgens candore adfuit, qui eum vehiculo impositum ad cellam perduxit, ac protinus evanuit; illico Zoerardus, ut collectis viribus cognovit, benignâ Dei misericordia tanto se periculo ereptum; exultare, & gratias agere cœpit: Benedictumque suum discipulum, ne ante diem obitûs sui rem admirabilem promulgaret, juramentô obstrinxit. Cùm autem extremus ejus immineret dies; illis, qui eum circumstabant, præcepit: ne quid vestimentorum, quibus operiebatur auferrent, usque dùm Abbas ipse Philippus, qui è vicino Cœnobio Zobor accersitus expectabatur, adesset. Abbas autem eo defuncto adveniens, ut primùm sacrum corpus de more lavandum attigit, catenam æneam ipsis visceribus penitus inhærentem invenit. Quòd qui-

quidem Martyrii genus prorſus occultum manſiſſet, niſi ad umbilicum ligati nodus apparuiſſet metalli.

Soluta verò catena, dùm ex corpore trahebatur, eliſarum coſtarum ſonus, omnium aures cum horrore replebat. Sacrum ejus corpus, Nitriæ, Civitate eo tùm Regia, in æde ſancti Emerami (quæ nunc pia Excellentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Comitis Adami ab Erdöd Epiſcopi Nitrienſis, in honorem ejusdem, magnificentiſſimè reſtauratur) Sepulturæ honorem accepit. Miraculis poſt Mortem non minùs illuſtris, quàm morum ſanctimoniâ dùm viveret, clarus extitit; præterquàm enim quòd plurima per eundem operatus ſit Omnipotens miracula, duo memoratu digniſſima recenſenda veniunt, primum ſic contigiſſe referunt. Quodam tempore inter latrones, quorum olim ſylva illa Zobrienſis ferax fuerat, pugna oborta eſt, ex quibus unum lethalibus ſauciatum vulneribus Socii ad cellam ſancti Zoerardi, cujus ſanctitatis fama per oram illam percrebuerat, detulerunt; ſed antequàm delatus eſſet morte præventus eſt.

Cùm igitur corpus ejus examine jam tumulo mandare vellent, extemplò redivivus ſurrexit, & fugientes præ terrore Socios inſecutus clamabat; *Nolite, Fratres, formidare, ſed nec fugere; S. enim Zoerardus à morte me ad vitam ſuſcitavit;* illis tantò magis ſtupentibus, & ut diſcederet rogantibus, dixit, ſe nunquàm ab eo antro diſceſſurum, ſed ibidem Deo, & B. Zoerardo reliquum vitæ in gratitudinis ſymbolum dicaturum: fecit quod ſpopondit, & usque ad obitum inde non receſſit.

Alterius miraculi ſeries ita recenſetur; in Civitate Nitria, quæ diſtat à ſpelunca ſancti Zoerardi unâ ſolidâ horâ, Reus quidam laqueo adjudicatus eſt, hic pronunciatâ mortis

tis sententiâ suspensus quidem; verùm cùm spectator sui supplicii populus abiisset, non longô post intervallô ipsum subsecutus, ad Philippum Cœnoby Zobor Abbatem venit, & quomodò manibus B. Zoerardi reste fuerit solutus, exposuit. *Cum*, inquit, *damnatus essem, & opem sancti devotè implorâssem, eodem puncto temporis, quo de patibulo ministerio Lictoris dejectus fui, ipsa mole corporis strangulandus, sanctus vir manus cadenti supposuit, idemque vinctum exolvit, & abire jussit.*

Anno 1568. die 17. Julij, qua Festum Sancti celebrari solet, temporibus Sigismundi Augusti Regis Poloniæ, frequens aderat populùs, ut divinis officiis vacaret, ac se precibus viri sancti commendaret, in Ecclesia, quæ super cellam ejus ædificata est, in qua Vir Sanctus (teste Stephano Congregationis Lateranensis Præposito) antequàm iret in Ungariam annis aliquot commoratus. Ibi populum Catholicum orantem, ausu nefario quidam infideles, & Ecclesiasticæ immunitatis sacrilegi eversores, magna vi adoriuntur, & de templo exturbare conantur; populus interim opem sancti Viri magna contentione vocis, & fervore Spiritûs inclamat: *Sancte*, inquit, *Andrea Zoerarde serve DEI, defende Ecclesiam ab impiis Lutheranis, Fidei Catholicæ hostibus.* Ad quas voces (res mira) protinus Sanctus Zoerardus manifestè apparuit, & baculô ignitô, quem gerebat, hæreticos propulsans, à Cœmeterio abegit, multos ex iis divina Vultio flammis absumpsit, multos excæcavit, nonnullos Vitâ privavit, plures mirabili coerciti pœnâ sanctæ Matri Ecclesiæ Catholicæ manus dederunt. Extat in hodiernum usque diem sancti memoria, lapis quidam in Cœmeterio templi, quod octo miliaribus Polonicis Cracoviâ distat, in quo plantæ pedum, sancti Zoerardi consistentis impressæ, in præsentia

tia omnium cernuntur. Spelunca ejus ab Eremo Zobor medio ferè distans quadrante horæ, ab universo populo Diæcesis Nitriensis usquè in hodiernam diem magna habetur in veneratione: in quam, non ita pridem Martinus Baroti Incola Nitriensis, desperata laborans infirmitate, curru (cum pedibus penitùs incedere non valeret) se devehi curavit; inibi sacrum locum piè veneratus, precibus sancti Zoerardi (ut piè creditur) integræ sanitatis beneficium recepit. Qui actis primùm Deo, & deîn sancto Zoerardo gratiis, reliquum Vitæ suæ tempus, in perennem tanti beneficii gratitudinem (extructô in pede Montis tuguriolô) ejusdem Sancti obsequio dicavit. Prout assumpto tandem habitu Eremitarum sancti P. Augustini, emissaque Viennæ sacra Professione, ibidem ad præsens sanus & incolumis devotè conversatur. In prædicta, Eremo Zobor advicinante, spelunca (*referente Damalevicio*) mansit quoque S. Bonifacius Ordinis Camaldulensis Martyr egregius, & Russiæ Apostolus. Andrea igitur Zoerardo sancta Morte prævento, Benedictus ejus discipulus, genere itidem Polonus eidem successit; Magistrique mores, & Vitam imitatus triennium supervixit. A latronibus tandem spe inveniendæ pecuniæ occisus, & influmen, Vaghum nomine, projectus est: ubi corpus ejus demersum totum annum sub aquis delituit, donec indiciô Aquilæ quotidiè in rippa fluminis sedentis, integrum & incorruptum inventum in Basilica S. Emerami, per Gisellam Divi Stephani Regis Ungariæ Conjugem sanctissimam fundata, Corpori Magistri sui appositum est.





CAPUT XXIII.

Conversio Principis Tami operâ Sancti Romualdi.

CRescentius illustris Romanorum Senator, indignationem Imperatoris incurrens, in montem, qui dicitur sancti Angeli, asylum quæsiturus ascendit; & quia munitio inexpugnabilis est, obsidente arcem Imperatore, ad defendendum se strenuè Crescentius præparavit. Princeps tandem germanicus quidam magnæ Authoritatis nomine Tamus, qui Imperatori charissimus extitit, ex præcepto Regis Crescentio jusjurandum securitatis dedit, ille taliter deceptus loco egreditur, quasi reus Majestatis, capitalem sententiam subire debuit. Cujus uxorem postea Imperator in concubinam accepit. Quia igitur Princeps Tamus & fraudis concius, & perjurio tenebatur obnoxius. Sancto verò Romualdo Romæ cum Imperatore moram agente, Tamus ob prædictum casum suam mentem tranquillare nesciens, coram eo de tam scelesta actione conquestus est, seque adaperuit: quòd ideò; ob aliosvè Aulæ turbines, ipsa, totusque mundus sibi nauseam & abominationem attulisset; confestim S. Romualdus, ut eum circà æternam salutem attentum redderet cum amœno lepore Principi respondit: consimiles, inquit, in Aulis displicentias reportare nimis consuetum est. Veniat vobis mi Princeps in mentem illud à Seneca relictum de aulico in cujusdam Regis Aula inveterato: qui interrogatus: quomodò rarissimam rem, consecutus esset, senectutem, respondit; Injurias accipiendo, & gratias sæpe agendo.

opor-

Oportunam hanc nactus occasionem Romualdus, liberiùs incipit loqui, dicens: Amice, gratè recipio confidentiam, qua te mihi aperis, & cum eadem candidè dico; quod si universa hæc terræ machina, tempestuosus est Oceanus; Magnatum Aula est sinus magis periculosus, perquem pauci adhuc Aulici gloriari possunt, quod ipsum absque naufragio trajecissent, ob scopulos crebro occurrentes, & contrarios ventos incessanter spirantes. Et demùm datò, quòd ad desideratum spei littus quis perveniat, quid prodest? currit velox tempus; & mors adeò inexpectatâ, & imprævisâ falce ludit; ut sit manifesta stultitia, vel unicam Vitæ horam sibi promittere. Ad quid Fili, tantum studium & exagitationes pro unico vanæ gloriæ Mundi fumo? pro unico superlativo titulo, aut modico auri pondere? & pro adipiscendo ultimo fine, propter quem nos Deus in Mundo posuit, qui est Paradisus, tam modica cura, imò imperceptibilis incuria. Culparum sarcina indies oneramur, & ut peccatorum mole impius exoneretur, altum dormitur. Et certè quousque in hoc sæculo peccatis vivitur, grave eorum pondus ægrè sentitur: tunc, sed valdè serò peccati fæditas, & æternum damnum cognoscitur, quandò à corpore anima expellitur. ô quanta suspiria cordi Deum amanti causat vel unicum solum commissum peccatum! licet confessum ac deploratum, obveniæ incertitudinem, & offensam summo & infinito Bono factam. O Christianorum, sed vel maximè Aulicorum sanguineis lachrymis deploranda cæcitas! duas de fide credimus dari æternas Vitas, Beatitudinis unam, pœnarum alteram, & paucis horis quibus in hac lachrymarum valle commorari debemus, pro paululum ampliori honore, pro modicùm majori commoditate, tantæ vigiliæ & labores exantlantur, & ut paradisi gaudia assequamur, in plumis (donec

mors implacabile ſuum jaculum improviſò emittat) ſtertimus, periculoque damnationis perpetuæ nos exponimus. Proindè Dominatio veſtra dicta hæc ſeriò animo expendat, ſeque Chriſti Crucifixi militiæ quantociùs adſcribere non poſtponat. *Ipſe erit impoſterum veſter Imperator fili, veſtra Aula, fiet auguſta remoti Cœnobii habitatio, ſuæ facultates vilis ſaccus, verbô, ſuæ ſpei certitudo, erit ipſe Paradiſus.* Tamus his auditis, totus alter, quàm primò erat, ad Superos ſuſpirans, ait: *Pater mi venerandè, me totum tuum declaro, diſponas de me ſecundùm velle tuum quid quid placet;* ſolummodò obnixè precor cooperationem? ut ab Imperatore indultum, liberè ſuam Paternitatem abſque impedimento ſequendi, conſequi valeam. *Macte animo fili,* reſpondit Romualdus: *Imperator Monachorum Pater eſt, arcana cordis tui ei pandas, & quod petis, obtinebis.* Super cujus inopinatam inſtantiam, in initio mirùm in modum obſtupefactus remanſit Otto Imperator, verùm in ſuo propoſito perſiſtenti Principi Tamo tandem Romualdi operâ aſſenſum præbuit, ac in pace dimiſit.



CAPUT XXIV.

Sergius Dux Ravennæ, Sancti Romualdi Pater, ſacrum Ordinem Camaldulenſium ingreditur, ſed poſtea facti pœnitens ad ſæculum redire conatur.

INterea Sergius Romualdi Parens Monachus Camaldulenſis efficitur, ſed aliquantò poſt, ſuadente Diabolo factæ converſionis pœnitens, in Ægyptum ad ollas carnium redire conatur. Quod protinus Monachi Cœnobii videlicet

licet ſancti Severi, quod non longe à Civitate Ravenna ſituatum erat, ubi corpore, non corde ampliùs Sergius habitabat, Beato Romualdo per nuntium indicare ſtuduerunt, qui eo tempore in Galliis morabatur. Hâc ille ſiniſtrâ relatione perculſus, neceſſarium eſſe decrevit, ut pereunti Patri ſubveniret, & ad eum in ſancto propoſito confirmandum in Italiam remearet. Audientes autem illius Regionis incolæ, quia Romualdus abire diſponeret, nimiô mœrore turbati ſunt. Et tractantes intra ſe qualiter illum ab hac intentione averterent, tandem mutuo conſenſu deliberarunt, ut eum miſſis interfectoribus, impia pietate perimerent; quatenùs quem non poſſent retinere viventem, haberent pro patrocinio terræ vel cadaver exanime. His verò cognitis Romualdus caput ſuum undiquè decalvavit; & hujus rei executoribus cellulæ ejus appropinguantibus, ſummo mane cum aviditate magna comedere cœpit. Illi autem id videntes; dementiam crediderunt, & arbitrantes mentem læſam eſſe, corpus lædere dedignati ſunt.

Sic videlicet, ſic prudens ſpiritualis David inſaniâ ſtultam carnaliter ſapientium ſuperavit aſtutiam. Nàm & volentes peccare prohibuit, & ad meritorum ſuorum cumulum ſine mortis formidine, mortis periculum declinavit. Deindè cùm libera uti facultate foret permiſſus, non equô aut curru vectus, ſed ſolùm in manu ferens baculum, nudis pedibus ex intimis Galliarum finibus Ravennam usque pervenit. Ad ejus conſpectum Abbas & Monachi convenientes in unum ſacras pii Patris manus cum humili reverentia deoſculati ſunt. Sergius verò auditô ſancti Filii ſui adventu totus contremiſcebat, à quo puniri vehementer formidabat.

Quem

Quem Romualdus à cæteris segregatum taliter cum mansuetudine affatus est: *Intellexi ab his Patribus vestram Dominationem, in sanctè cœpta sua resolutione titubare, credo hanc esse dœmonis suggestionem, qui nostri boni invidus, mille difficultates obtendit, nos à securissima religiosæ vitæ semita seducendos; & quòd prævaricans natura, ad malum semper proclivis, contra nos colluctetur; id fit permittente Domino: ut abigendo primam, & resistendo secundæ, in virtutibus ob copiosius meritum adipiscendum, exerceamur. Mihi persuadeo, quòd vestra Dominatio non solùm fortiter resistat, sed continuò Dominum precetur, quatenùs sibi cum sua gratia assistat; gratias referendo, quòd se à sæculi tempestatibus subtraxerit, ubi tam frequentia pericula, & occasiones suam Bonitatem offendendi existunt, è quibus laus DEO sua Dominatio libera evasit. Hinc antequàm (quòd Deus avertat, & nec ego credere queo) perversis incidentiis suis locum det, & deliberet, opprobriosam perpendat notam, quæ inde suo nomini resultaret, cum omnes quot quot vestram Dominationem noverunt, sanctam conversionem, ædificati mirantur; quæ licet sera, nihilominùs opportuna, & ad aquirendum (propitio Numine) altissimæ perfectionis gradum sufficiens. Si in viro tantæ auctoritatis, ac ætate, & prudentiâ consummato sene, homines eam levitatem, & inconstantiam cernerent, quale quæso per hoc ipsis scandalum causaretur. Debitor est revera, non solùm DEO, sed etiam hominibus suarum actionum rationem reddere. Sed dicat mihi obsecro, quidnam adhuc à mundo prætendat? si sponte eum deserere renuit, proculdubiò quantociùs Dominatio vestra deseretur ab eo: ponderosa namque ætas nil aliud, quàm sepulchrum, in quod propè diem casura est, indicat. Tot annos pro mundo adeò perperam expendit, jure meritò has ætatis suæ reliquias, quæ supersunt, Deo expedit elargiri. Erigat tandem animum quæso, ac religiosi cœpti lætus prosequatur cursum, qui Dominationem*

suam

suam ad Cœlestem proculdubiò perducet Beatitudinem. Hæc piè & humaniter effatus Filius ad Patrem.

Sed hæc salutifera sanctissimi filii sui Monita in indurato Patris corde nullam impressionem fecêre; verùm pertinax (ut quidam Mundani senes esse solent) respondit, absolutè domum velle reverti, ad perferendum tam rigorosi Ordinis onus vires non sentiendo. Aliis, aliisque factis à Romualdo experientiis, superiori lumine prævidens periculosum sui Patris ad sæculum fore reditum, & hoc ipsum meram diabolicam fraudem esse recognoscens, suam exhortationem hisce conclusit verbis: Et quoniam jam video, præcipitium sequi satagis, neque ab ipso bonis regredi velis, non ampliùs cum pretiosi temporis jactura absque fructu tecum agam. Modicam moram! & rigorosi Abbatis Officium te experiri faciam; novi enim: Capitis tui duritiem.

Post quæ sanctus Romualdus illicò demandavit Patribus, ut in angusta habitatione incarceretur, pedes ejus compedibus stringantur, & comunis ipsi victus restringatur. Quæ omnia ad unguem sunt adimpleta, licet cum strepitu & murmure senis, cernentis se ad tantum rigorem à proprio filio compulsum. Indubium super hoc perhibet testimonium sanctus Petrus Dam. cap. 13. pag. 193. dicens: *Cumque S. Romualdus Patrem suum ad sæculum reverti volentem reperisset, in ligno pedes ejus fortiter strinxit, gravibus eum vinculis alligavit, verberibus duris afflixit, & tamdiù corpus ejus pia severitate perdomuit, donec ejus mentem, ad salutis statum Deo medente, reduxit.* Qui in se reversus precibus sui Filii deliberationem mutavit, ac vivere, & mori in sancta Religione constanter decrevit, dignos de suis delictis pœnitentiæ fructus faciendo, atquè se in jejuniis, aliisque mortificationibus sedulò exercendo.

Rigor

Rigor iſte, ut video lector benevole, improprius reputatur à te filii ad Patrem, inquis enim; ſi iſte Vir bonus ad ſæculum redire volebat, nemo eum certè legitimè impedire poterat: erat in ſua poteſtate, & nulla fuit obligatione obſtrictus. Monaſtici ſtatûs auſteritas vires ejus excedebat; hinc ſe nôn poſſe perſeverare ſentiebat; & cur tanta pauperculo ob ponderoſam ætatem nonaginta annorum ſeni, afflictio? Sed quis eſt noſtrum, lector humaniſſime, qui judicium ferre, & ſanctorum actiones valeat corrigere? qui ſuperno ſpiritu manuducti, interdùm oppoſitum illi per omnia operantur, quàm ratio & humana prudentia dictat. Optimè ipſe noverat, quòd ad ſiſtendos in via perditionis paſſus, animæ à paſſionibus faſcinatæ, bonis nihil ſuffragantibus, rigoroſi & aſperi adhibendi ſint modi. Salus æterna multoties ita dependet à perſeverantia in arrepto ſtatu, ad quem Deus fidelem vocat, ut eum deſerendo, manifeſtæ ſe exponat damnationi. Undè actio illa Romualdi circa perſeverantiam Patris cenſetur omni laude digniſſima, tanquàm à Deo inſpirata. Simili modo fuit laudabilis illa, rigoroſa licet, fortis & animoſæ Matris Melithonis actio, unius ex quadraginta Martyribus Sebaſtæ in Armenia triumphantibus; Anno Chriſti 316. ſub Agricolao Præſide, quæ cùm à gentilibus militibus vidiſſet, alios 39. Martyres ſuper currum imponi, ut in ardentem ignis ſtruem inferrentur, dicto Melithone filiô ſuô in vivis relictô; dubia ne, non completô Martyriô, Fidei & æternæ gloriæ periculis ſe exponeret: Zelô igitur accenſa, ſuô Beatô Filiô in humeros ſublatô, eum intrepida in ardentem rogum injecit; licèt antequàm perveniſſet, in ſanctæ Matris amplexu Beatus Filius felicem ſpiritum exhalârit.

CAPUT

CAPUT XXV.

Beatus Sergius, Sancti Romualdi Genitor, in quodam raptu Spiritum Sanctum videt, confestim infirmatur, & sanctè moritur.

SEnes, ut plurimùm ætatem certam adepti, amiſſo omni maturitatis judicio, repuereſcunt; juxta quotidianum illud vulgi dicterium ſenex bis puer.

Non erubeſce hic mi venerande ſenex; nec enim te de numero horum fore intellexerim; quem conſtat ex illo bene ſenſatorum prognatum collegio, de quibus jam olim ſcriptum eſt: Mens & ratio, & conſilium in ſenibus eſt. Experimur tamen nonnunquàm reperiri ſenes, qui ut in æquam agendorum methodum reducantur, uti adoleſcentulos tractare opus, in quorum educatione blanditiis copulantur virgæ. Primæ, utpote blanditiæ religioſarum adhortationum à Romualdo, quatenùs Patrem ſuum in Religione firmaret, adhibitæ, nihil ſuffragabantur; ſecundæ pia ſeveritate tractatæ Sergium in via ſalutis ſtabilem effecerunt. In ſe namque reverſus exclamavit: eheu ingratitudinem meam! qui pro mille, mille graviſſimis peccatis meis jam pridem in averni ignem detrudendus eram; pientiſſimus tamen DEus ad hanc cadentem usque ætatem, in qua me reperio, jamjam deſponſaturum ſepulchro, non ſolùm ob merum interminabilis ſuæ miſericordiæ effectum, patienter me tulit, verùm cum ſingulari

beneficentiæ ſuæ donô invitare, ac in ſuam domum acceptare eſt dignatus; ut in ea ſordes vitæ meæ lavare, & deinceps cum pace, & ſecuritate eam terminare valerem.

Hem mi Deus! infinitas tibi gratias refero, me pœnitet, & intimo dolore afficior, quia te ſummum bonum meum offendi, propter quod extremo dolore oppreſſus ultimum efflare halitum cupio. O mi Creator, Conſervator, & Redemptor! O mi Deus, amor mi JESU pro me crucifixe! tibi ſervire concupiſco, te amare toto corde, totisque viribus contendo; diſplicet mihi, quia te admodum ſerò cognovi; & circa undecimam horam ad operandum, in tua Evangelica vinea, venio; verumtamen ſpero, quia ſine præjudicio illorum, qui à primis ſuis annis pondus diei & æſtûs portando tuo famulatui dediti fuerunt, me recipies, & mei miſereberis.

Cum Sergius jam vitam agere transactæ, per tot annos in ſæculo per omnia oppoſitam, propoſuiſſet; cum tali reſignatione & vigore, jejuniis, pœnitentiis, vigiliis, ac mortificationibus ſe ipſum domare atque propriam voluntatem, integrè ſe, ſanctæ obedientiæ ſubjiciendo, omnibusvè humiliando, vincere cœpit, ut alter omnino homo evaderet & non ſolùm in ætate, ſed et in virtutibus ſenex apareret. Ingentem gratiam, ſancti ſui filii Romualdi orationibus & meritis à Deo ſibi collatam conſiderans, ejusque Angelicam vitam contemplans, præ nimio ſuorum criminum dolore ſuum cor disrumpi, & ad perfectionem volandum, Deumvè intenſivè amandum animari ſentiebat. Ex reſiduo igitur ætatis ſuæ tempore, nihil jam in quærenda voluptate; quia omne id, quid quid non erat Deus, aut propter Deum, nauſeabat, ſed antè quandam devotam Salvatoris imaginem in terra proſtratus conſiſtens, expendebat. Summoperè

gau-

gaudebat Romualdus, & omnipotentem Deum summis precibus flagitare, ut eò magis in ejus anima sui divini amoris flammam accenderet, non cessabat. Quodam die dùm Venerabilis Senex ante dictum sacrum simulacrum diutiùs contemplans persisteret; quomodò videlicet Deus hominem ad se solùm amandi finem creaverit, & ipse illum ob tot amoris titulos amare deberet; cum esset suus Pater, suus benefactor, & omnis boni largitor, in summà, quia in se ipso esset infinitè amabilis. Et cum ità igne amoris divini incenderetur, ecce nova res, & nostris temporibus inaudita, teste Petro Damiano. *Æterni Patris, & Verbi incarnati amor, spiritus sanctus ei visibiliter apparet:* qui protinùs à Sergio, quis esset, interrogatus, manifestè; quia ipse esset spiritus Sanctus, asseruit, & subitò quasi pertransiens, ab oculis se aspicientis evasit. Statim ille in extasim raptus, atque ejus, quem viderat, igne succensus, cœpit per Claustrum post eum velociter currere, fratresque qui illic aderant, magno fervoris impetu, quò Spiritus sanctus devenisset, interrogare. Illis autem, in insaniam eum cecidisse mirantibus, atquè illum durè corripientibus, asserebat Sergius, se Spiritum sanctum absque ulla dubietate vidisse, & ante suum conspectum visibiliter pertransisse. Qui statim languore correptus, lecto decubuit, & intra paucos dies Vitam felici consummatione finivit. Hinc sanè probatur, quod divina voce ad Moysen dictum legitur: Non videbit me homo & vivet. Hinc Daniel, cum non Deum; sed visionem se conspexisse diceret, addidit: *elangui & ægrotavi per dies plurimos.* Rectè igitur Sergius, postquàm æternam vitam, quæ Deus est, cernere meruit, à temporali mox vita defecit.

O beate ac felicissime senex, qui DEUM amando, licèt per modicum tempus, plus quàm juvenis es operatus! fruaris nunc

in semper viventium patria, & qui benedicti filij tui Romualdi adhuc viatoris orationibus tam magnam gratiam obtinuisti, eja jam de te securus, pro me peccatorum omnium hodie viventium maximo, & pro omnibus illis, qui peccatorum fœditate fascinati, & vero lumine orbati reperiuntur; Divinam Misericordiam deprecare, ac nobis ad cognoscendum & amandum DEUM, unicum solùm radium illiùs luminis, qui adeò tuam mentem illustrat, obtine, ut & nos, qui te in pravitate imitati sumus, in omni quoque æquitate serviendo DEO, tibi associemur.

CAPUT XXVI.

Otto III. Imperator Sanctum Romualdum in Eremo visitat, & in ejus cellula pernoctat.

Otto tertius hujus nominis Imperator Romanorum, Filius Ottonis II. & Nepos Ottonis I. qui ambo gloriosissimi, invicti, & pij Imperatores existentes non degenerem in virtute, ac magnanimitate habuêre successorem. Sed tandem captus impuro amore Joannæ callidissimæ fœminæ, consortis Crescentii Senatoris Romani, quem ipse contra promissionem Principi Tamo, suo cordialissimo amico factam, interfici mandaverat.

Hæc Matrona, eleganti aliàs pulchritudine dotata, sed magis in malitia, & in simulandis amoris affectibus versata, odium & vindicantem animum (ob extinctum maritum suum) continuò simulanter fovebat, prouti postea eundem clàm venenô interfecit. Prædictus Imperator, cum aliquot solùm Ministris Eremum versùs se itineri commisit, & ut pro-

prolixiùs cum ſancto Patre diſcurrere poſſit, ſtudiò ſole jam occidente pervenit. Cui Romualdus, quia magnum hoſpitem in parva domo ſuſceperat, lectulum ſuum ad quieſcendum dare dignatus eſt. Coopertorium tamen Rex accipere noluit, quia aſperum nimis judicavit. Mane autem facto, Imperator eum ſecum ad palatium duxit, ibique ipſum rogare, ut Abbatiam ſuſciperet, multis precibus cœpit. Romualdus de nacta tam oportuna occaſione gaudens, cum ſolita emphaſi ſermonem exorſus eſt.

Quem credis ô Imperator, in mundo humiliorem fuiſſe, quàm Regem Regum, qui ab altiſſimo ſtatu, in abjectiſſimam & poſtremam ſortem venit? Cùm enim infinitæ eſſet potentiæ & Majeſtatis ad induendam noſtram miſeram humanitatem ſe humiliavit; & qui verus & legitimus Iſraëliticæ Coronæ Succeſſor & hæres eſſet, naſci voluit ex paupercula Matre in Bethleemitico ſtabulo, volens ſemper egenus vivere, atque totaliter nudus mori: & hæc non ſolùm Chriſtum ad redimendos nos egiſſe autumes, verùm etiam ad exhibendum terrenis Magnatibus exemplum feciſſe, tibi perſuaſum habeas. *O Imperator! homo licèt ſit quantúmvis præpotens, & omni claritate in hoc mundo præfulgens; tantus ſolùm in rei veritate eſt, quantis apud DEUM heroicis operationibus, ac meritis abundat;* cæterum Sceptra & Coronæ ad felicitatem animæ nihil proſunt; imò multoties (vix non dico ſemper) animæ & corpori præjudicant. Reminiſcatur quæſo, plures ex ſuis prædeceſſoribus in Romano Imperio violentam ſubiviſſe mortem. Conſideret, quam dura ſit Principum conditio, & DEUS ſcit, quem finem ſua quoque ſit ſortitura, ſi brevì ſuæ indemnitati non conſuluerit. Exhortor itaque ad generosè renunciandum Imperio, & ſecedendum in abditam remotioris Monaſterii habitationem,

ſolo

ſolo ſui ipſius regimini, & aquirendo Paradiſo cum omni conatu incumbendum eſt.

Tunc proculdubiò aliqua perſona honore, ac omnigena præeminentia digna reputari debet, quandò mundi gloriam calcat, & Dignitatum pompam refutat. Quia ille eſt ſuperior honoribus, hic autem fit ſubditus illis. Ille Dominus faſtûs & pomparum, & iſte fit ſervus earum.

Non incaſſum tela jactarunt in cor Imperatoris, ſenſus adeò Chriſtiani, cœleſti Romualdi facundiâ explicati; ad pedes namque Beati Patris proſtratus peccata ſua cum lachrymis cœpit confiteri, cui Romualdus pœnitentiam, ut nudis pedibus de Romana Urbe progrediens, usque in Garganum montem ad ſancti Michaëlis pergeret Eccleſiam, injunxit. Per totam etiam Quadrageſimam in Claſſenſi Monaſterio Beati Apollinaris, paucis ſibi adhærentibus, manſit. Ubi jejunio & pſalmodiæ, prout valebat, intentus, ciliciô ad carnem indutus, auratâ deſuper purpurâ tegebatur. Lectô etiam fulgentibus, & pretioſis Materiis ſtratô, ipſe in ſtorea tenera delicati corporis membra terebat. Promiſit poſthæc Romualdo, quòd Imperium relinquens, Monaſticum ſuſciperet habitum, *& cui innumeri mortales* (ut inquit Petrus Dam.) *erant obnoxij, jam ipſe pauperculo ſubjectus, cœpit eſſe debitor ſui.* Romualdus denuò, prævidens Imperatoris mortem, factæ ſponſionis effectuationem ſollicitus urget. At Imperator allegat, multa & magna ad huc ſupereſſe Imperii negotia, quæ per ipſum terminari deberent; ac proindè ſupplex dilationem Romam adeundi, & demùm redeundi, petiit. Sed Romualdus excuſationes, ejus non admittens; prophetico namque ſpiritu infauſtum ejus finem prævidens, diſcurſum abrupit, & poſtremò brevibus ei reſpondit; Si inquit, Romam perges, nec reli-

religiosúm habitum indues, nec Ravennam videbis; quod nec aliter factum est.

CAPUT XXVII.

Sanctus Henricus Imperator ad Romualdum legationem mittit, ejusque colloquium instanter petit.

INterea Imperator Henricus ex Austria in Italiam veniens, misit Beato Viro deprecatoriam legationem, ut ad eum venire dignaretur, promittens se facturum quæcunque peteret, si suum ei colloquium non negaret. Cumque Vir Venerabilis prorsùs abnueret silentium frangere, cœperunt omnes discipuli unanimiter illum obsecrare, dicentes: Magister, vides quia nos qui te sequimur tantisumus; ut jam hìc congruenter habitare non possimus, vade ergo, si placet, & ab Imperatore magnum aliquod Monasterium pete, & multitudinem te sequentium ibi constitue. Quibus Vir sanctus servatô inviolabiliter silentiô accepit calamum, & per subitam Dei revelationem fidenter scripsit: *Fratres scitote, quia Montis Amiati Monasterium ex dono Regis habebitis, considerate tantummodò quem illic Abbatem constituere debeatis.* Tandèm importunis discipulorum suorum precibus victus, inviolatô silentiô cum aliquot Fratribus perrexit ad Imperatorem. Sparso itaquè in Castris Romualdi adventu, postera die Regia habitacula repleta erant Principibus, Magnatibus & Ministris, curiosè præstolantibus; ut eum videre, & in carne Mortali Angelum venerari possint. Mox ei omnes

nes Teutonici Miniſtri in dextram & ſiniſtram viam dare, & profundè inclinati detectô capite eum potiùs adorârunt, quàm ſint venerati. Et quia ipſorum aliqui paululum incautiùs laceræ ejus veſtis præſumpſerunt lanam evellere, quas pro ſacris reliquiis in Patriam portaturi ſtudiosè recondebant. His conſpectis humillimus Dei ſervus ſummo rubore confuſus non modicùm contriſtatus eſt. Undè retrocedendo ad ſuam Eremum protinùs redire tentavit; & id omninò executus fuiſſet, niſi ipſius diſcipuli primò, & poſtea ex illis Magnatibus nonnulli ſummis precibus obſtitiſſent. Proindè quaſi per vim ad Imperatorem inductus fuit. Cui Rex protinùs aſſurgens, ex magno cordis affectu in hanc vocem erupit: O utinam anima mea eſſet in corpore tuo! Quem mox ut loqueretur, (de reditu cogitans) ſuppliciter de genibus obſecravit, ſed illa die hoc impetrare non potuit. Imò voluit humilis, & devotiſſimus Imperator ſalutiferis ſancti Patris reprehenſionibus, ac admonitionibus ſubjacere. Sanctus autem non reperiens, in quo ipſum argueret, ob ſanctam ejus Chriſtianam vitam, ac rectiſſimum regimen, brevibus tantùm admonuit dicens: *Henrice, Dominus Deus noſter, qui à te noſtræ Catholicæ ſanctæ Fidei decorem augmentari vult, tibi imperat, ut præter in tuis bonis operibus perſeverantiam, & juſti, ac recti gubernii adminiſtrationem, aboleas; quid quid hactenùs à tuis prædeceſſoribus contra Eccleſiaſticam immunitatem cum præjudicio fuit ordinatum, & in praxim inductum. Sua ipſi jura, & immunitates reſtitue; memento magni Eccleſiæ Doctoris Ambroſii documenti ſic aſſerentis:* Quæ Dei, Deo; quæ Cæſaris, Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotes Eccleſia. Publicorum tibi mœniorum, O Imperator, jus

jus commiſſum eſt, & non ſacrorum. *Igitur ſolis Sacerdotibus Sanctuarii curam relinque, & tibi, ac Imperii directioni, quantùm reſpicit temporalia, attende. Tunc namque temporis de tuis inimicis victorias reportabis, dictumque Imperium tuum cum gloriæ amplitudine extendetur, atque cunctis formidabile reddetur, quandò Divi Petri ſucceſſoribus obſervantiſſimum, & obſequioſum eſſe probabitur. Exigit etiam à te Dominus vigilantiam ſuper Imperii Proceres, & Aulæ tuæ Miniſtros, ex quibus aliqui parvi tyranni (quia modicæ auctoritatis, & debilium virium) ſed quidam magni (quia majorem potentiam, & ampliores vires, cuperent) juſtitiam opprimunt, decreta & leges conculcant, & pauperes vilipendunt. Contra tales ſit ſemper in tua manu expeditus mucro ad ſeverè puniendos. Hi ſunt periculoſiſſimi inteſtini inimici Principum, & Reipublicæ; hi Regnorum, & Religionis ruina, & populorum ſcandalum. Hactenùs in his inculpatè per ignorantiam defeciſti; nunc verò; cum ex ore meo hi ſupradicti duo defectus palam ſint tibi patefacti, deinceps oculi tui ad ſeriò excubandum ſuper his ſint intenti. Cum gaudio, & humilitate ſanctus Imperator ſalubria Romualdi monita recipiens, gratias ei reddidit affectu plenas, & inſtanter ſe ejus orationibus, pro felici proximi belli contra Græcos exitu, commendavit.*

Cum Beati Romualdi deſiderium ſancto Imperatori innoteſceret, & Diſcipulorum ejus in Sitria numeroſè degentium anguſtias penetraret, inſigne Amiati Cœnobium, (prout jam noſter ſanctus præviderat) quòd ab iniquo, & indigno Abbate, ſed poſtea Regia authoritate ab Henrico depoſito, poſſidebatur, eis donô dedit. Poſt hæc cum omni reverentia Imperator ſanctum ſenem dimiſit, promptum ſe ad quæcunque ejus mandata exhibens; quocircà ipſe confeſtim ſuam Eremum repetiit. Sed mi benevole lector, ſinamus Romualdum cum ſuo ſilentio in pace remigrare, &

ſequamur pauliſper in bello religioſiſſimum Imperatorem; haud parvum namque ſpiritualis profectûs fructum ſumus reportaturi, ſi ei aliquô modicô temporis intervallô non pigebit aſſociari. Nam ſi & tu, regulari militiæ, velut ego, adſcriptus es, occaſio proculdubiò nobis erubeſcentiæ & confuſionis præbebitur, contemplando hunc potentiſſimum Imperatorem, Regnorum & Exercituum negotiis immerſum, ſuam animam tot tantisque virtutum, ac meritorum monilibus locupletâſſe. Si verò ſæcularis ſis, diſce ad ipſius imitationem modum te ſanctificandi, etiam ſi in ſæculo degas; nam & illa via ſecura eſt ad ſalutem, ſi veri Chriſtiani hominis debita expleas, & vel in parte benedictum hunc Regem imitari non contemnas, *in thalamo, videlicet, Virginem, in gloria humilem, in Regnorum dominio ſpiritu pauperem, in conviviis abſtinentem, in delitiis pœnitentem, & in Aula (quod mirandum) Monachum.* Tametſi enim ordo noſter Benedictinus ipſum Henricum externè ſub ſuo habitu non habuerit, felicem nihilominùs ſortem habendi, vice ipſius ſuam ſanctam ſponſam & Virginem Cunegundem, promeruit, quæ defunctô ſuô amatô fratre potiùs quam Maritô, ad magis glorioſas & nobiliores nuptias cum Rege Virginum JESU aſpirando, profligatô omni faſtu & opibus, anniverſariâ die felicis tranſitûs ſui dilecti Henrici, in Eccleſiam ſumptuoſis, & regalibus veſtibus amicta comparens, poſt lectum in Miſſa à Sacerdote Evangelium, ipſis denudata, Benedictinô nigrô paludamento, cum invicta animi generoſitate, & exceſſivô animæ ſuæ jubilô ſe cooperuit.

CAPUT



CAPUT XXVIII.

De SS. Martyribus Joanne & Benedicto à Sancto Romualdo ad prædicandum sanctum Evangelium in Poloniam missis.

INterea Romualdô adhuc in Eremo Pereti habitante Busclavus Princeps, ad Ottonem Imperatorem nuntium expediens, ut sibi spirituales Viros mitteret, qui Regni sui gentem ad fidem vocarent, multis precibus institit. Mox ut percepit Imperator literas, & desiderium Busclavi Principis, (cum quo magnam semper fovebat amicitiam) intellexit, personaliter ad Eremum Pereti, ubi tunc Romualdus morabatur, commeavit. Sciens itaque Imperator in magna schola Romualdi, Magistro non degeneres fore discipulos, ei petitionem & fervens Busclavi desiderium (communicando cum ipso sibi scriptam Epistolam) adaperuit. Assensit quidem Romualdus perbenignè pii Principis postulatis, nulli tamen suorum hoc præcipere, velut ex prælationis auctoritate, voluit; sed totùm in eorum libero arbitrio ponens, permanendi, vel abeundi eis optionem dedit. Duo igitur præ cæteris virtute & prudentiâ præditi se ultrò ad eundum promptos offerunt. Quorum unus Joannes, Benedictus alter vocabatur.

Horum alacri voluntate cognitâ Romualdus, in Poloniam eos cum benedictione dimittit. Quò postquàm sancti Eremitæ devenerunt, salutato humiliter Rege, mox in solitudinem Casimirianam secedunt, ubi regia charitate ipsis

victum præbente tam diù manserunt, donec linguam Polonicam didicissent. Cùm verò jam loquelam Regionis illius plenè cognoscerent, unum de Sociis, Barnabam nomine, ad Romanam Urbem mittunt, & per eum à summæ Sedis Antistite prædicandi licentiam petunt. Injungunt quoque dicto nuncio, ut aliquos secum de Beati Romualdi Fratribus duceret, qui Eremiticæ conversationis gnari, cum eis simul in Poloniæ partibus habitarent.

Busclavus qui ab aliis Boleslaus nominatur volens coronam sui Regni ex Romana auctoritate suscipere, prædictos venerabiles Viros obnixa cœpit supplicatione deposcere, ut ipsi nomine suo plurima dona Papæ deferrent, & coronam sibi à sede Apostolica reportarent. Qui regiæ petitioni assensum penitùs denegantes, responderunt; nos in sacro Ordine positi sumus, tractare nobis sæcularia negotia minimè licet, & sic sancti hi post aurum nec abeuntes, nec in thesauris pecuniæ cor reponentes, dictum munus honorificum accipere noluerunt, Quidam verò conscii Regii consilii (sed quid sancti Viri responderint ignorantes) copiosum auri pondus, quod Apostolicæ sedi mittendum fuerat, eos in Cellula habere opinati sunt. Deindè intra se conventione factâ deliberant, ut noctu latenter Eremum ingressi, Monachos interficerent, & pecuniam asportarent. Quos cum Beati Viri tentantes irrumpere persensissent, adventùs eorum causam protinùs agnoscentes, confessionem inter se facere, & sanctæ crucis se cœpêre vexillô munire. Erant autem ibi duo Juvenes eorum obsequiis ex Aula Regia deputati; qui prout vires dabant, Sanctos defendere, & furibus resistere nisi sunt. Fures perfractô tandem additu irruentes, ex-

tractis

tractis gladiis omnes pariter occiderunt. Tunc thesaurum anxiè perquirentes, sed eversis omnibus nihil invenientes, ut tanti reatûs crimen obtegerent, & humana suspicio non armis, sed flammis potiùs, quòd factum fuerat, deputaret; cellam incendere, & ipsa Martyrum cadavera conati sunt conflagrare. Sed admoti ignes, amissis naturæ viribus, nihil omninò incendere ullis eorum studiis potuêre. Ita enim ignem, & ipsa parietum materies repellebat, ac si loco lignorum durissimi silices essent

Frustrati itaquè fures intentô suô, in fugam se conferre nituntur, sed & hoc illis ex divina providentia denegatur. Tota siquidem nocte per fruteta nemorum, & per devia sylvarum viam anxiati sunt quærere, verùm hac, atque illac per deserta vagantes, exitum non inveniunt; quin & brachiis divinô judiciô arefactis, gladios in vaginas condere nequiverunt. Locus verò, in quo beati Martyres jacebant luce clarissima refulgens, tota nocte Angelicis concentibus resonabat.

Ubi igitur diluxit, Rex cum numerosa multitudine militum properans ad Eremum, cùm sylvam undique cinxisset armatis, latrones, suis adhuc evaginatis gladiis, comprehendit. Postquàm verò sancta corpora honorificè tumulâsset, vitæ parcens homicidarum, hujusmodi sententiam tulit; ut ferreis catenis vincti ad sepulchra Martyrum perpetuò starent, quatenùs aut ibi usque ad obitum in vinculis miserabiliter viverent, aut si sanctis Martyribus aliter videretur, ipsi eos suâ misericordiâ liberarent.

Quò cùm perducti essent, illicò Dei omnipotentis nutu fracta sunt vincula. Ibi autem mox ad honorem Sanctorum Martyrum Basilica multis clara Miraculis est erecta, in qua

qua non solùm tunc, sed & nunc innumerabilia fiunt ex divina virtute prodigia.

Sequenti autem post sepulturam Martyrum nocte, apparuerunt Busclavo Regi, coram quo gloriantes magnificârunt; quòd per diram necem adepti essent cœlestia regna; gratiasque ipsi egêre, quòd eos vivos & mortuos tantâ semper charitate complexus fuerit. Deniquè summâ laude efferebant, quòd homicidis pepercerit; *non enim*, inquit, *decebat sanguinem Martyrum, sanguine vindicari, & vitæ Cœlestis beneficium morte crudeli compensari*, pollicitique sunt ei, pro ipsius, & totiùs Regni incolumitate, divinam Majestatem semper precaturos, Patronosque & protectores temporibus sempiternis ejusdem futuros.

Refert Martinus Baronius in Actis Polonorum, quòd cum pia & nobilis Matrona devotionis causâ hos sanctos viros visitâsset, eisque piscem, qui Salmo dicitur obtulisset, Fortuitò cecidit is in terram, quo in loco statim fons emanavit, qui usque in præsens durat; piscis ille cùm ad vescendum præpararetur Fratribus, alius similis genere, & magnitudine divinô miraculô solebat apparere in fonte illo, qui cùm esset comestus, rursùs alius apparebat, qui per longum tempus victui eis fuit quotidiano. Quamdiù fratres vixerunt piscis ille duravit, postquàm verò Martyrii coronam adepti sunt, piscis evanuit: fons nihilominus adhoc usque tempus perennat, per cujus aquam, magna Deus miracula operatur.



CAPUT

CAPUT XXIX.

De multiplici infestatione Diaboli, quàm Romualdus sustinuit, & de prudenti sui Discipuli probatione.

IMpugnabat Diabolus Romualdum multis, & variis tentationum immissionibus, mentemque ejus per multa incentiva vitiorum raptabat, modò illi in memoriam revocans, quæ, & quanta vir strenuus in sæculo aquirere potuit; modò eidem objiciens, quanta ingratis propinguis hæreditanda reliquit; modò parva nimis, & nullius meriti esse, quæ faceret aacusabat; modò ardui laboris, & exantlandorum fatigiorum horrorem incutiens, longioris vitæ spatium promittebat. Sæpissimè cum maxima vehementia cellulam ejus percutiens, eum, cùm adhuc vix obdormisceret, excitavit, & quasi jam jam imminente crepusculô, totam noctem vigilando deduxit. Per continuum ferè quinquennium super pedes ejus & crura (ut diximus) diabolus nocturno tempore jacuit, & ne huc illucque se facilè verteret, typô phantastici ponderis aggravavit. Sæpiùs præsentes iniquos spiritus durissimis increpationibus effugavit. Undè etiam si fratrum aliquis silentii tempore cellam ejus quavis necessitate compulsus adiret, statim miles Christi paratus ad prælium, solitô more, ipsum existimans diabolum, claris vocibus increpabat, dicens: *quo tendis modò turpissime? recede canis immunde? evanesce coluber veternose?* His igitur & hujusmodi verbis declarabat se cum malignis spiritibus in acie semper assistere, & fidei se armis accinctum,

ctum, provocantibus hostibus in campum protinùs obviare.

Miserat quondam Illustrissima quædam Comitissa humilem supplicationem ad sanctum Virum, rogans enixè ut se accedere non dedignaretur, ob causam secum conferendi in conscientiæ negotio. Sanctus illuc commeavit; licèt non libenter dilectam sibi solitdinem desereret; & quia sibi Socium quendam discipulum juvenem adhibuit, de quo anceps hærebat, num se ad illiùs Dominæ intuitum, cum convenienti compositione, oculorumvè modestia conservaturus esset; in reditu, pro detegenda veritate, à longè ipsum alloqui exorsus est: *audistisnè charissime Frater, quàm pios sensus hæc Comitissa nutriat? benedicta sit, DEUS ipsam veram suam servat efficiat, & conservet: quæ in medio sæculi inter delicias, & opulentias, ad multorum religiosorum vocationi suæ non correspondentium ruborem, arduum virtutis iter constantissimè graditur.* Mihi nihilominùs admodùm displicet; quòd ejus venustati non modicum ad ferat præjudicium unus oculus (ni fallor) defectuosus; hoc auditô discipulus nihil prorsus pensando ad quem finem sanctus Magister hæc protulisset, confestim respondit; *Absit mi Venerabilis Pater, ut hæc Domina aliquem oculorum defectum patiatur, ipsa omnigenâ pulchritudine potitur, ego ipsam pluries conspexi, & ejusmodi vitium minimè intueri potui. Optimè, optimè fili,* intulit Pater, *sat abundè in religiosa perfectione profecistis: mirari fœminas Religioso! qui omnes suos intuitus & desideria in Cælum dirigere debet, damnabile est nimis, Nonne Religiosus puritatem profitetur, quæ ad instar crystalli, ad quemlibet etiam levem halitum maculatur, & ad omnem curiosum aspectum ex complacentia factum adumbratur? ad quid prodest esse à sæculo segregatum, & in pœnitentijs ac jejunijs vivere mortificatum, si postea in re tam facili*

ab immundo ſpiritu proſternatur? Undè monet Spiritus Sanctus; Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpiaias ſpeciem alienam; nam propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Eccl. cap. 9. Ex hac ratione B. Macarius epiſtolâ ad Monachos crebro ſuis inculcabat: Facies mulieris ſagitta eſt truculenta, infigit vulnus in animam. Nec ſuffragatur nonnullorum reſponſio: hanc Dominam eſſe pudicam & ſanctam, quoniam Divus Joannes Chryſoſtomus ſubjungit: Animam ferit, & commovet, non impudicæ tantùm, ſed pudicæ quoquè mulieris oculus. libr. 6. cap. 8. Contra potentiam ſenſus nec ſanctitas, nec ſcientia, nec fortitudo valet; lapſi namque ſunt David, Salomon, & Samſon.

CAPUT XXX.

De piſce, qui inventus eſt in arenti fluvio meritis ſancti Romualdi.

QUodam tempore venit Vir venerabilis in Sytriam, qui cùm adhuc jejunus eſſet, & Fratres in remotis montibus piſcem, quem ei apponerent, non haberent, cœperunt inter ſe quodammodò confuſi erubeſcere, & quid pro tam venerabili hoſpite aquirere poſſent, anxiè cogitare. Tunc Frater quidam Deo inſpirante, ad ſiccum penè rivum, qui juxtà præterfluebat, cum feſtinatione cucurrit,

rit, ubi nimirùm & aquæ exiguum erat, piſcis verò illic penitus nunquàm viſus fuerat. In littore itaque rivuli genuflexus Frater cœpit DEUM devotè in hunc modum depoſcere: *Pientiſſime JESU, qui cum tuis ſervis admodùm pius es, & liberalis, & qui in deſerto duobus piſcibus illam turbam te ſequentem paviſti, digneris,* (uti humillimè precor) *in hac aqua piſcem producere ad recreandum fidelem ſervum tuum, & meum Magiſtrum, Romualdum:* hoc dictô, cum viva fide in aquam brachium immiſiſſet, ipſi illicò in manus non poſtremæ magnitudinis piſcis venit, qui pro cœna ſancto Patri abundanter ſuffecit.

CAPUT XXXI.

De Ottonis Imperatoris pœnitentia, & Farolfi Comitis Donatione Sancto Romualdo.

POſtquàm Otto Imperator reverentiâ venerandæ perſonæ, efficiâque verborum ſancti Romualdi captus eſſet; elegit eum ſibi in ſpiritualem Patrem, quem Proceres multi ex Aula in eo imitati ſunt. Quo tempore memorabilis acciderat caſus cum Imperatore, quem hic recenſere non erit abſre. Erat illi uxor Maria Auguſta parùm caſta, quæ capta amore cujusdam Comitis Mutinenſis, adulterium cum illo committere non ſemel tentavit, quod facinus cùm exhorruiſſet ſemper Comes juvenis; illa noviſſimè amore in odium verſô, ſicut de Joſepho Hebræo legitur, innocentem Cæſari accuſavit, quòd is ſecum coire turpiter per vim

vim voluisset, qui re admissâ, Juvenem Comitem capitis suppliciô præcipitanter damnavit. Porrò Uxor de Mariti innocentia optimè conscia, acceptô ejus capite, quadam die, dùm Imperator viduis publicè audientiam daret, ad eum profecta mœrens, & lachrymabunda, quærit, quâ pœnâ dignus sit judex, qui inauditâ parte innocentem morti tradit, cui, *mortis reus est*, respondente Cæsare, illico vidua amarissima ab imo pectore trahens suspiria, ac sydera ululatibus feriens, Mariti caput è gremio educit, & in hæc prorumpit verba. *Ergo tu O Imperator reus es mortis, qui subdolæ Augustæ falsâ calumniâ, maritum mihi absque causa sustulisti innocentissimum.* Quod cùm candentis laminæ experimentô manibus compressæ comprobâsset, Imperator novitate rei, & veritate compertâ confusus; Comitis caput honorificâ donavit sepulturâ, Viduæ autem quatuor Castella dilargitus est. Cùm demùm & hanc injustitiam, & crimen, quod Uxorem Crescentii sibi in concubinam copulâsset, ad pedes sancti Romualdi expiâsset, nudis pedibus (ut jam retulimus) à muris Romæ, usque ad montem Garganum pro pœnitentia pergere debuit, ac per totam Quadragesimam in Cœnobio classis durissima pœnitentiæ opera humiliter peregit.


Cùm Beatus Romualdus Eremum Vallis Castri ædificaret, ad quasdam devehendas marmoreas columnas à Comite Farolfo suppliciter postulat Boves, qui ut Beato Viro illuderet indomitos tauros ex pascuis appelli jubet. Tunc S. Romualdus ipsemet pergens ad prata duos cæteris ferociores intuitus, illos adit, cinguloque ad cornua projectô, illicò quò vult, eos mitissimos ducit, imò ipsi sponte Virum sanctum usque ad destinatum locum insequuntur; nec solùm columnas, sed & alia requisita materialia devexêre.

Farolfus visô miraculô, Tauros Sancto Romualdo dono dedit, ejusque spiritualis filius esse voluit. Quadàm verò die Farolfo cænante, accidit ei gravissimus casus hujusmodi: spina enim ossis gutturi infixa, faucibus taliter inversa est, ut spiritus ad extremam vitæ horam traheretur: quarè inter mortis angustias, cum sanctum Romualdum advocari jussisset; ingressus est Vir sanctus ad eum, fusaque oratione, guttur tangens, obtinet à Deo, ut Comes spinam statim expuerit sospitate receptâ; qui propterea Deo gratias agens, ex eò die omnibus suis inmicis ante omnia pacem dans, de sanctâ quetaque vitâ agendâ sic cœpit esse solicitus, ut Christum Redemptorem, & Sanctum Romualdum hæredem territorii loci, ubi constructum est Cœnobium, fecerit per hujusmodi Donationem.

Ego Farolfus Comes, filius Guidi Comitis, cogitans de DEI misericordia, pro redemptione animæ meæ, & Parentum meorum, qui mortui sunt, & Fratrum, & consanguineorum meorum, ut quando venerimus ante tribunal Christi digni esse mereamur accipere centuplum; dono tibi Romualdo Monacho, & Eremitæ servo DEI, & Monasterio Sancti Salvatoris, & Beatæ MARIÆ Virginis, quòd est fundatum in loco, qui dicitur Vallis Castæ in Comitatu Camerino, Terras et montaneas, quæ vulgo nominantur valde Castro infra hos fines. A primo vadit per viam Assenariam, & pergit in planum Nequili, post hac vadit per viam serræ de sporta, in planum vitis, item ad aquam de Orella per caput de Carthecheta usque ad fontem Civitellæ, ad clusam, denique in montem martis, usque in planum furcæ lipariæ revertitur in primam Snaitam. Omnia intra hos terminos jacentia, do, & dono tibi ad opus DEI, & sancti Salvatoris prædicti Monasterij cum omnibus suis apertinentiis, & utilitatibus. Et ideò promitto Tibi, & Tuis successoribus, prædictam donatiònem firmam tenere, & contra cunctos impetitores propriò jure defendere. Et

con-

concedo tibi in meo teritorio, quid quid aquirere poteris &c. Subſcripſit S. P. Romualdus his verbis. *Et ego Romualdus ſervorum DEI, ſervus minimus, promitto me, ſocios, & ſucceſſores meos in dicto Monaſterio habitaturos memoriam tui Farolfi Comitis, & conſanguineorum tuorum in miſſis, & Pſalteriis, & omnibus bonis ſpiritualibus, quæ DEUS permittet facere, ut habeatis partem, & ſocietatem ſicut unus Monachus noſter; fiat, Amen.* Subſcripſerunt item Guarinus, Joannes, & Gregorius Monachi, Moricus Comes, & Gumbertus, ac Albertus de Monte, teſtes, Actum manu Lamberti Notarii annô Dni. 995. regnante Ottone tertio Imperatore Romanorum. Hujus Farolfi Comitis Filius nomine Guido Monachus factus ſub diſciplina ſancti Romualdi, adhuc Novitius in morbum incidit, & ad mortis horam deveniens, cùm æthiopes in cubiculum ingredi exclamare cœpiſſet, tunc à Sancto Romualdo interrogatus: confeſſus eſt, ſe quasdam ſcopas ad imperium Prioris ſui accipere neglexiſſe, moxque à Sancto Patre abſolutus, obdormivit in Domino. Ad cujus ſepulchrum cæcus præbendarius lumen oculorum, & multi alii infirmi recepêre ſanitatem. Tumba ejus, velut variis aromatibus refertiſſima arca, ſuaviſſimum odorem ſpirabat. Hinc diſcendum venit unicuique noſtrum, quantâ animi promptitudine Sacramentum Obedientiæ exequi debeat.



CAPUT XXXII.

De prudentiſſimo, & diſcretiſſimo regimine Romualdi.

NEcdùm ſatis excreverat ſub mento Romualdi prima lanugo, & jam judicium & prudentia ejus eluxêre in regen-

regendo. Jejunare namque ex toto, licet ipse sæpissimè fecerit, aliis omnino prohibebat. Dicebat enim ad perfectionem tendenti hoc summè congruere, ut quotidiè comedat, & semper esuriat; quatenùs hoc caro per consuetudinem leviùs faciat, quod grave Novitiis initiô conversionis apparet. *Parvi pendebat autem, si quis ad tempus magnum quid inciperet, si non etiam in eo longanimiter perseveraret. Vigilias verò temperatè, & cùm magna discretione faciendas maximè suadebat, ne cui forsitan contingeret, ut sopori, tempore nocturni officij, consentiret.* Sanè hujusmodi somnum Vir sanctus in tantùm habuit exosum, ut si quem deprehenderet, post duodecim Psalmorum vigilias, vel maximè circa diluculum obdormisse, nequaquàm liceret ei illa die sacra Missarum solemnia celebrare. Dicebat etiam, *meliùs esse unum psalmum ex corde, & cum compunctione cantare, quàm centum cum mentis fabulatione percurrere.* Cui autem hæc gratia nondùm esset elargita, hortabatur nequaquàm debere desperare, & vel ab ipsa corporali exercitatione tepescere, donec ipse, qui voluntatem dedit, tribuat etiam aliquandò facultatem. *Regebat tandem Monachos* (ut testatur Petr. Dam. cap. 22. *sub districta regulæ disciplina, neque alicui ab ea declinare impunè licebat. Non deniquè nobilis, non literis eruditus, per actus illicitos in dextram, levamque partem deflectere, vel à rectæ conversationis audebat rectitudine deviare.* Vir denique sanctus cordis oculos in Deum figens, *ut DEO in omnibus obtemperaret, non timebat hominibus displicere.* Hoc autem Fratres Monasterii Classensis Divi Benedicti (quibus eò tempore ut Abbas præerat) considerantes, semetipsos prius accusant, quia hunc sibi præesse popofcerant; deindè multis eum detractionum susurrationibus lacerant, & duris scandalorum aculeis vexant. Romualdus itaque videns per hæc & suam perfectio-

fectionem aliquatenùs minui, & Monachorum Classensium mores procliviùs in deteriora prolabi, Regem impiger adiit, & eò non leviter reluctante, unà cum Archi-Episcopo Ravennate, in conspectu eorum virgam pastoralem projiciens. Abbatiam, & curam ipsius refutavit. Rectè autem tunc Imperator Tiburtinam Civitatem obsidebat. Cives enim inclytum ejus Ducem, Mazolinum nomine interfecerant, ipsumque Regem arreptis armis à suis mœnibus exturbârant. Romualdi igitur adventus Tiburtibus apprimè utilis fuit, qui ejus apud Imperatorem interventu ab obsidione sunt liberati, & in gratiam pristinam recepti. Taliter enim inter eos pactus est Imperator; ut Tiburtini ad honorem ejus murorum partem diruerent, & obsides redderent. Ducis verò interfectorem ad ejus Matrem catenatum dirigerent. *Quæ sancti Viri fusis ad DEUM precibus, & efficaci adhortatione, mitigata; licèt crudeliter offensa, & crimen indulsit, & incolumen ad propria redire pèrmisit.*

CAPUT XXXIII.

Sacri Romualdi mysteriosa visio, & Camalduli descriptio.

EO tempore, quo Papa Sylvester secundus, qui fuit natione Gallus, & primò vocabatur Gilibertus Remensis Episcopus, postea factus Ravennas Archi-Episcopus, ac demùm Papa Sylvester II: primus revocavit Sanctum Romualdum in Italiam de Parentii confinibus. Rediens itaque S. Pater in Romandiolam, ascendit festinus altissimum Appenni-

pennini montem lustrans alpes per circuitum, cupiens pro Eremitis idoneum reperire locum: cui superno Numine disponente, occurrit Comes quidam nomine Maldulus, dicens se habere amœnum locum in alpibus, vulgari nomine vocatum *Campum jucundum*, velut alii volunt, *Campum bellum*; quem Beato Romualdo ultro offerebat, petens instantiùs; ut nomine ipsius *Camaldum* vocaretur. Ubi dùm Romualdus ex itinere lassus quiesceret: vidit instar Jacob scalam excelsam cœlum suo vertice tangentem, per quam albescentium Monachorum mulitudo videbatur ascendere in Cœlum. *Mox sanctus Pater divinô illustratus oraculô habitum nigrum commutavit in album.* Quo in loco ope Comitis Malduli Ecclesiam miræ pulchritudinis in brevi ædificavit, quam Theodaldus Aretinus Episcopus in honorem Salvatoris nostri consecravit. In circuitu autem ejusdem Ecclesiæ quinque cellas construxit, & totidem Eremitas ibidem collocavit.

Est autem hæc sacra Eremus Camalduli in Italia, in partibus Romandiolæ distans itinere unius Diei à Civitate Aretina, in qua sunt cellæ viginti quatuor Eremitarum separatæ, & quidam Eremitæ sunt aperti (ut vocamus) alii verò reclusi. In circuitu autem dictæ Eremi est pulcherrima sylva abietum, per spatium unius miliaris Italici: quam abietum sylvam nulla mulier poterit ingredi sub pœna excommunicationis latæ per Pontificem sententiæ.

Post hæc sanctus Pater Romualdus descendens de dicta Eremo duorum miliarum Italicorum spatiô, invenit locum, fons bonus appellatum, ibique unam domum construxit & unum Monachum cum tribus conversis ibidem ordinavit pro adventantium hospitum susceptione, atque charitativa refectione; ut præfata Camaldulensis Eremus

mus semper sit pacifica, & ab omni strepitu sæculari remota. In præfato Hospitio Fontisboni Ecclesia pulcherrima est constructa, quam Gregorius Papa IX. ad honorem Dei & SS. Mart. Donati, & Hylariani propriis manibus consecravit. Locus hic hodiè multis redditibus dotatus, ampliùs, quàm ante sancto decore floret. His peractis sanctus Pater Romualdus redibat ad præfatam Eremum Camalduli; sed lassus in medio itineris requievit paululùm super ingens saxum, quem diabolus apprehendens per caputium conabatur præcipitare in vicinam fluminis fossam. At Romualdus præfatum saxum manibus arripuit, & duro lapidi, ac si mollis cera fuisset, vestigia manuum ac pedum infixit. mox ut invocâsset JESUM, ante oculos ejus repentinô terræ hiatu omnis furia Diaboli absorpta est, de quo plura inferiùs.

Reversus itaque Pater sanctus ad prædictam suam Eremum, mox ex opposito Ecclesiæ cellam sibi parvulam exstruxit, in qua nudis pedibus damnatô ostiô seipsum reclusit. Arbor autem quædam fagus, ita cellæ ejus acclivis imminebat, ut si ventô fracta dejiceretur, totam ejus cellam indubitanter obrueret. Hanc sanctus Pater succidi præcepit: cumque oprrarii securibus in ipsa jam arboris viscera venirent; arbor autem indubitanter super Beatum virum impetum minaretur: cœperunt eum omnes rogare, & clamosis vocibus vehementer insistere, ut relictâ cellâ foras exiens semet salvaret. Ille autem nequaquàm clamoribus eorum aquiescens, ut arborem citò incisum pergerent, seriò præcepit. Cùmque arbor defecta gravi strepitu super cellam directè rueret, & jam ædificio apqropinguaret, sanctus Pa-

ter ſignum crucis per feneſtram contra eam formavit, moxque arbor nimiæ magnitudinis ita aliorsùm terribili ſonitu divinâ virtute eſt projecta, ut cunctis mirantibus cella Romualdi maneret illæſa. Omnes igitur tantô obſtupefacti miraculô, lætas ad aëra voces tollunt, & immenſas Deo omnipotenti grates referunt. Hinc manifeſtè agnoſcitur, ſancti Patris Romualdi meritùm quantum apud Deum pondus habuerit, ut in ejus conſpectu graviſſima arboris moles pondus habêre neſcivit, ac ſi non arbor, ſed ſtipula eſſet.



CAPUT XXXIV.

De UGOLINO Epiſcopo, qui poſtea GREGORIUS Nonus ſummus Pontifex factus eſt. Item de pijſſimis Exercitijs Sancti Patris FRANCISCI Inclyti Seraphici Ordinis Fundatoris: Ac Magnâ ſemper Venerarione Sacræ Eremi Camaldulenſis.

UGolinus Epiſcopus Oſtienſis, & Cardinalis Velleſtrenſis captus dulcedine Vitæ ſolitariæ, mundum poſt terga rejicere ſtatuit, & ut procul omni familiari curâ meditationi ſolùm æternæ Patriæ incumbere poſſet, ad ſacram

Eremum

Eremum Camaldulensem comitate Beato Francisco Seraphico festinus venit, ubi cellam cum sacello in capite Eremi, quæ ad hanc diem celeberrima visitur; sibi delegit, atque Eremiticum convictum, vitæque austetitatem incredibili animi consectatus est constantiâ. Quam vitæ degendæ rationem, ipse quoque B. Franciscus per sex menses, omnibus sanctis operibus pollens, ad ejus solatium inire non recusavit. Quo tempore cellam suam notissimam habitavit, quæ ad hanc usque diem ex ejus nomine cella sancti Francisci nuncupatur, & propter sanctissimi Viri memoriam à Generali sacræ Eremi incolitur. Qui dùm vice quadam sacram Eremum visitaret, cellamque Divi Romualdi sibi ostendi cuperet, mox Eremicolæ ostensam, ipsi inhabitandam obtulerunt, quàm piè veneratus; ut ingrederetur neutiquàm adduci potuit, præ summa humilitate dicens; tam illustris sancti cellam, non convenit, ut tantus peccator ingrediatur. O sacro-sancta humilitas! Post hæc verò Gregis sui ovilia repetens, ad Alverniæ Montem profectus est, ubi stigmata vulnerum Corporis Domini nostri JESU Christi Cœlitùs mirabiliter meruit accipere. Interea Ugolinus Cardinalis sacrum fieri curavit Altare SS. Apostolorum Petri & Pauli, quod extra chorum cœptum fuerat. Dehinc annô 1220 Oratorium cellæ suæ, Deiparæ Mariæ semper Virgini sacravit, centumque dierum indulgentias illud piè adeuntibus concessit. Postea cum Templum sacræ Eremi, quod S. P. Romualdus erexêrat; vetustate collapsum, instauratum, & ampliatum fuisset, & pari modo Fontis Boni Basilica, Ugolinus pontificali indutus ornatu illud, & hanc ritu solemni consecravit. Quibus

bus peractis inclusionem in ipsa sua cella maximâ alacritate arripuit. Sub id tempus Ubertinus Comes de terrenis opibus thesauros sibi in cœlis comparare disposuit, Eremumque magnificentissimâ donatione pro salute animæ suæ, ac suorum illustravit. Fecit namque oblationis scriptum ipsi Guidoni Generali de omni proprietate, jure & actione, quod habebet in Oppidis *Valentiniani*, *Vogoniani*, *Corbentiani*, *&* *eorum territoriis*, *&* *in tota Diœcesi Aretina*, *tam in Castellis*, *quam in possessionibus. Item omne jus Abbatiæ Saxi. Abbatiæ sylvæ mundæ. S. Mariæ Valentini. Sancti Nicolai Vogoniani*, *Sancti Christophori de Basciano. S. Luciæ de Aquino*, *Sancti Andreæ in Bagnolo* ; *S. Mariæ de Cimbeciana*, *&* *Hospitalis Cerreti.4. Septembr. manu Juliâni Notarij 1221.* Sequenti annô Bobo Romanorum Consul, & perusinus Prætor, nomine Perusini populi, suffragante nobilium consilio, donavit sacræ Eremo territorium. *Montarij*, *juxta montem Teuzinum situatum cum universis fundis*, *&* *aliis appertinentijs*, *ac libertatibus*, *ut ædificaretur Domus hospitalis in refugium pauperum*, *nec non Monasterium secundum institutionem Ordinis Camaldulensis* 13. *Julij*, *manu Oratoris Not.* Sed ut cœptam materiam prosequamur. Vetustissima sacræ Eremi consuetudo obtinuit, ut Eremitis, qui damnatis januis procul ab omni mortalium consortio Regi sæculorum unicè in cella sua militare statuerint, unus constituatur Minister, qui in omnibus necessitatibus ijsdem præstò inserviat, præcipuè verò (si inclusus sit sacerdos) singulô quoque mane Ministrandi gratiâ ad ejus se Oratorium sistat, eique operam suam in sacro ministerio cum reverentia impendat. Per id temporis spatium, quô Cardinalis Ugolinus Eremitam Camaldulensem agere decreverat, inque sua reclu-

clusione moraretur, sacra Eremus Leonardum magnæ sanctimoniæ Virum alebat. Quem cùm Prior Cardinali consueta servitia impendere jussisset, Vir Venerabilis tantâ humilitate, ac charitate se comparavit, ut Cardinalis mirandum in modum ejus exemplô in sancta conversatione proficere visus sit. Porrò quadam die dùm pientissimus Antistes rem sacram ageret, factum est divinâ providentiâ, ut Leonardus super caput ejus in consecratione corporis & sanguinis Christi columbam de Cœlo descendere, ac requiescere viderit. Itaque ubi finis Missæ impositus est, Leonardus ad Præsulis pedes maximâ humilitate se provolvit, ipsumq; non diutiùs in Eremo mansurum, sed ad Gregis Christi supremam pastoralem curam promotum iri liberè prænunciavit. Cujus Vaticinium, talis mox subsecutus est effectus, ut paucô post tempore à pedibus Domini ex Eremo, ad Marthæ Ministerium revocatus, Honoriô apud Septizodium defunctô suffectus sit, & Gregorius nonus nuncupatus. His accedit testimonium ipsiúsmet Pontificis, qui assumptô Pontificatu Apostolicas literas ad Patres exaravit, quibus illorum suffragium summa pietate implorat, rogans illos, preces ad Deum fundere, ut in summo Regimine gerendo veniat sibi auxilium de sancto. Ejusdem Pontificis Epistolam de verbo ad verbum hic insertam habe: *Gregorius IX. Servus Servorum DEI, Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremi Camaldulensis salutem, & Apostolicam benedictionem. Assumpti nuper, imò veriùs rapti ad summi Pontificatûs officium, quod Fratres nostri nos quantùmlibet reluctantes suscipere coegêrunt, eò pleniùs insufficientiam nostram agnoscimus, quò diligentiùs incumbentia nobis onera pensamus. Si enim quilibet sanæ mentis anxiatur, & metuit, utrum pro se ipso dignam*

possit

possit reddere rationem in extremo examine: quis ad eam reddendam pro omnibus, pro Prælatis & subditis; pro sapientibus & insipientibus (quibus ipsum officium eos, qui ad illud assumuntur, constituit debitores) se sufficientem audeat reputare? Plenè recognoscimus, & fatemur; quòd in hac altitudine maris, in hac tumultuosa mundanorum fluctuum tempestate Petri Navim, universalem videlicèt Ecclesiam gubernare nequaquàm nostra virtute sufficimus, sed à solo DEO, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, sufficientiæ gratiam expectamus: atque inter Maris hujus magni, & spatiosi: inter videlicèt hujus sæculi turbulentissimos fluctus nostra mens ad ejus auxilium se levat, & erigit; qui Beatum Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit. Inquo nimirùm non parvam dignata est nobis dare providentia Divina fiduciam: ostendens Ecclesiam suam, quæ præfigurabatur in Petro, fore ipsô manum sui auxilij porrigente sæculum calcaturam. Quia verò importuna lipientis Liæ instantiâ nos frequenter à suavibus perspicacis Rachelis amplexibus avellente, ipsi DEO precibus insistere, non possumus, ut oportet. Vos, qui ad pedes ejus sedetis jugiter cum MARIA, & quibus ab olim nos junximus, bitumine charitatis solicitandos duximus, & prece affectuosâ rogandos, pro grandi munere postulantes: quatenùs in ara cordis vestri pro nobis Orationum vestrarum sacrificium crebriùs offeratis, suppliciter postulando, ut ad seipsum dirigat nostras cogitationes, & actus, & ad exuperandam negotiorum mundanorum turbulentiam dignetur nobis porrigere manum suam; quatenùs ejus nos præveniente gratiâ, & sequente, sic impleamus officium Apostolieæ servitutis; ut cum venerit positurus cum servis suis calculum rationis, illam desiderabilem vocem; euge serve bone, intra in gaudium Domini tui, audire ipso miserante possimus. Datum Laterani quinto calend. Aprilis, Pontificatûs nostri anno primo.

Idem Pontifex ſacram Eremum ac Camaldulenſem Ordinem quam maximis honoribus ex ſuo Pontificatû exornare volens, Anteceſſorum ſuorum ampliſſimo Diplomate omnia confirmavit Privilegia. Item haud immemor ſacelli ſui, quod in ſacra Eremo ad cellam ſuam ædificaverat, theſauros Eccleſiæ aperiens, memorabili Diplomate impertitus eſt plenarias indulgentias confeſſis & contritis, quæ ad Sancti Petri Apoſtorum principis in vaticano habentur, omnibus Chriſti fidelibus illud piâ mente adeuntibus, (confirmavit Clemens quartus anno 1248. qui veniens cum Henrico Imperatore in partes Caſſentini, addidit quotidie annos 212. In dominicis verè, aliisque profeſtis annos 264. In feſtis Paſchæ & Aſcenſionis Domini annos 734. & in feſtis Aſſumptionis, Nativitatis, Pùrificationis, & Annunciationis Bearæ Virginis Mariæ annos 1248. cum ſubſcriptione ſeptem Cardinalium) Conceſſit quoque præfatus Gregorius nonus Camaldulenſibus inſigne privilegium, ut videlicet aliarum religionum fratres, expreſſis etiam Carthuſianis, ad Etemitico Camaldulenſem Vitam aſpirantes, etiam Superioribus ſuis controvenientibus liberè in ſui gremium ſuſcipere poſſint. Idipſum confirmavit poſtmodùm & Paulus Pontiex: ipſiſſima ejusdem Ponttificis accipe verba: *Ac pro dicti*, inquit, *Ordinis propagatione, ut omnes, & ſingulos Religioſos, quorumcunque etiam mendicantium Ordinum, & Congregationum ac Monaſteriorum ad Eremitoria præfata, tanquàm ad arctiorem vitam, convolare, & ſub ſocietate, & eorum habitu Aliiſſimo famrlari eligentes, ſuperiorum ſuorum licentiâ petitâ, licèt non obtentâ, absque aliquâ contradictione, vel obſtaculô recipere, ipſique ſic recepti, & in eadem ſocietate, ſivè Ordine profeſſi, ad omnia officia, & dignitates eorundem Eremitarum pro-*

nove-

moveri, & assumi liberè, & licitè valerent, indulsit; ac ne ulli hominum liceret hanc Decreti paginam infringere, aut ausu temerario contraire, sub indignatione Omnipotentis DEI, præcepit. Invocatô etiam ad hoc, si opus fuerit, auxiliô brachij sæcularis. Datum Romæ apud sanctum Petrum annô Incarnationis Dominicæ 1534. Tandem iteratis Pontificum oraculis decisum extat, Congregationem hanc omnibus alliis esse strictiorem. Unde meritò dixit quidam Congregationem Camaldulensium esse Congregationem grandium, & congregationem Congregationum



DIVUS



DIVUS ROMUALDUS

Eremitici Propositi Patriarcha Glorisissimus, ob mysteriosam (instar Jacob) Cœlestis Scalæ visionem, ac sacratissimi triplici ORDINIS institutionem; aliaque præcellentia sanctissimæ Vitæ suæ merita, Illustrioribus, ORDINUM Fundatoribus (*inter cæteros*) *à Venerando quoque Patre Augustino Sartorio* jure meritô annumeratus, hocce ELOGIO festivè celebratur.

C*Athedrâ Petri* illustris *Roma!*
Scalâ Cœli insignis *ROMUALDUS!*
In illa *sedet* Numinis *Claviger*:
in hac *scandit* Cœli *SCALIGER.*
Cœlestem Jacob Patriarchæ *Scalam* Genes. 28.
terris restitutam crederes,

nisì in illa *Angelos* cerneres,
in hac *homines*:
Sed qui *Angelorum ruinam* in *cœlis*
denuò implerent *è terris*.
Infelicis illius *lapsûs* impulsor,
Angelus Lucifer:
Felicis hujus *ascensûs* auctor,
ROMUALDUS Scaliger.
Facilis descensus averni!
Sed revocare gradum,
hic labor, hoc opus est, & opus Excelsi,
qui superbos *dejicit*,
humiles *erigit*:
atque *innixus Scalæ*
tam *Scalam* tenet, nè ruat,
quàm *scandentes*, nè gradu excidant.
Nè tu crede, hoc Patriarchæ somnium
somnium esse,
in ROMUALDO *veritas est*.
Scandunt Poëtæ, in hoc ROMUALDO similes:
sed dum *scandendo fingunt*.
dissimiles eidem:
Verior ROMUALDUS, & *Scansor*, & *Scaliger*,
suis, suorumque Vigilijs, laboribus,
Scalæ intra soporem visæ veritatem

probat

probat verâ extra soporem Scalæ scansione.
Et poterant Cœlites Aligeri *Scalam*
momentô emetiri *volando*;
Sed quia ea *Scala*
debebat unà esse *Schola*,
in hac *Schola* DEO *Præside*
Scalæ innixô,
Doctores hi *Angelici*
adhuc ante *Aquinatem Angelicum*
quâ nempe homines arte
è terris ad cœlum eniti possent,
descensûs, *ascensûsque Magisterium*
tradidêre ipsi per suum *exemplum*
enitendo *gradatim*.
Nemo enim repente fit summus: S. Bern. Serm. de S. Andrea
Ascendendo, non volando
apprehenditur summitas Scalæ.
Quære annos in ROMUALDO,
quos DEO vxit,
& invenies, quotô *altitudinis gradu*
is apud DEUM steterit:
Anni centum, *gradus* centum:
idem ipsi fuit
scandere de *annô in annum*,
ac de *gradu in gradum*

de virtute in virtutem.
Scanderem propè fractis etiam pedibus carmen:
Scaliger unus erat, qui centum gradus habebat:
nempe centum gradus, centum annos,
centum virtutes.
Sæculum integrum traxit ad *Religionem*,
tum maximè *Religiosus*,
cùm maximè *Sæcularis*:
totô *annô*, imò integrô *Sæculô*
non aliud solemnius celebravit *Festum*,
quàm *Ascensionis*,
quia *Scaliger*
tam diù *scandit*, quàm diù *vixit*,
qui sursum sunt *gradus*,
sapuit, rapuit, arripuit,
non qui *super*, versùs *terram*:
nam qui *ad aratrum*,
infimum in humanis *gradum*
respicit,
ex eo solo *respectu*
non est aptus ad Regnum Cœlorum!
Sic nempe boni solent scandere *Scaligeri*,
ut ante *se posita* semper,
post se relicta aspiciant nunquam.
Dum *Poëtæ scandunt*,
necessariô fœdere

pedes

pedes digitis jungunt,
in hoc super fabulæ conditionem veraces:
quô enim pactô scandes;
nisì *manibus*, *pedibúsque* *Scalam* prenses?
Sic divinus *Scaliger* ROMUALDUS
manibus, *pedibusque* ùt ajunt,
id est, se totô,
in *Scala* semper altiùs sese prorigens
ad Cœli fastigium contendit.
Non satis est,
si pede unô, manuque feriante
cadenti similior, quàm *scandenti*
è *Scala* pendulus hæreas:
Vult DEUS:
ut ibi te totô sis *comprehensor*,
& hìc te totô *Ascensor*.
itaque ROMUALDUS
Ascensiones in corde suo sic disposuit, Psal. 83.
ut suum, suorumq; *sursum corda*, manus, pedes,
id est, totos se semper *haberent ad Dominum*:
Nullas sibi in his *Ascensionis suæ Solemnijs*
indulgens indulgentias, aut ferias:
adeò ad *Summa*
enitendum est *conatu summô*.
Ecce *centum* nunc *anni*

ante

ante oculos Cœlestis *Scaligeri*
Psal. 89. *tanquàm dies hesterna, quæ præterijt.*
Quæris, cur? Quia præterijt.
Tenet ille nunc, quæ nunquàm prætereunt;
quia *præterita* pertulit, quæ *transierunt.*
Condignum utique est,
centum dare pro *centuplo.*
Id unum tibi, *Centenarie Scaliger*
adhuc dicere,
imò è *Scala Musica*
canere habeo:
Habent Musici in *Scala* sua Claves:
Tibi gradus tui, *Claves Cœli facti sunt:*
Virtutes tuæ, gradus tui, claves tuæ;
ijs cœlum tibi scandisti, aperuisti.
Nos tuos in *Scala* sequaces
Clavibus Musicis
Sol la re
Salare!
Ut tuo *Solamine* tuoque *Fatô*
facti pariter *Scaligeri,*
tali *velimus,* ac *valeamus*
tendentiæ connisu,
vitaque tali vivere
quæ possit Cœlos scandere!

AMEN.

PRIVI-

PRIVILEGIA

Sanctissimo Proto-Parenti, & Patriarchæ Nostro Divo BENEDICTO *à* CHRISTO *vivæ vocis Oraculô concessa. Quorum beneficiô, & ipsa Institutio Eremitarum Camaldulensium* (quà Arboris Benedictinæ ramus primarius) *optimô jure gaudere dignoscitur ; quia Benedictinæ Regulæ semper observantissima ; adeoque meritò Benedictina Proles à Cunctis censeri debet. Nam & Divus* ROMUALDUS *primò Benedictinæ Religionis Alumnus , ac postmodùm Ordinis Camaldulensis Fundator Gloriosissimus , sæculum hoc relicturus , non aliam suis ; quàm Divi* BENEDICTI *Regulam fideliter observandam Testamentô reliquit. A cujus observantia vel tantillùm deviare inter Camaldulenses piaculi locô habetur. Ac proinde Ordinem Camaldulensem ab exactè observantibus Benedictinis solô dumtaxat colore differre, manifestum est.*

PRIVILEGIUM I.

Quòd videlicet ORDO suus , usque ad Mundi finem durabit.

PRIVI-

PRIVILEGIUM II.

Quòd in Orbis consummatione pro Ecclesia Romana stabit fidelissimè, & plurimos in Fide confortabit.

PRIVILEGIUM III.

Quòd nullus in eo morietur, nisi in statu salutis, & si malè incipiet vivere, & non desistet, vel confundetur, vel ab Ordine ejicietur, vel per se egredietur.

PRIVILEGIUM IV.

Quòd omnis, qui Ordinem suum persequetur, nisi resipiscat, vita sibi abbreviabitur, vel malâ morte morietur.

PRIVILEGIUM V.

Quòd omnes qui Ordinem suum diligent, bonum finem habebunt.

Refert hoc ORACULUM Augustinus Florentinus Monachus Camaldulensis Historiar. suar. Cap. 6. Item Prudentius Sandovallus. Arnoldus Wion. Stengelius. Cornelius à Lapide. Benedictus Heftenus & alij.



CAPUT

CAPUT XXXV.

Sanctus Romualdus visionem Scalæ instar Jacob Patriarchæ cœlitus in Campo Malduli habet.

DUm hæc Romualdus ad Discipulos concionaretur factum est (quemadmodùm fessis interdùm accidêre solet) ut Pater sanctus non nihil dulci, ac placida quiete murmurantibus aquis, levique aurâ cacuminibus abietum circum latè obstrepentibus, correptus sit ; raptusque in spiritu vidit in somnis instar Jacob Patriarchæ, Scalam stantem super terram sublimem, in cœlum usque suo vertice pertingentem, per quam divino splendore rutilante fulgentium atque albescentium ascendebat, descendebatqne Monachorum multitudo. Inter quos anima Romualdi delata est ante Deum. Ibi verò sicuti D. Paulo quondam contigit, Romualdus arcana Dei intuitus, quæ non licet homini loqui mox præ magnitudine mysterii lætabundus evigilat, & majori quàm dici possit amore Dei repletus, fixô in Cœlum oculorum obtutu, toto corpore quasi in aëra suspendi visus est, & in Cœlum indesinenter aspicere, perindè ac si Scalam ipsam corporea mole ascendere posse persuasum haberet. Quandò Discipuli, qui procul Patrem observabant, novitatem rei admirati festinabundi propiùs ad eum accesserunt, & ad sydera oculos intendentes, partem lucis., quæ adhuc non exigua erat, videntes, cœlestem revelationem ei factam fuisse apertissimè cognoverunt. Itaque quid novi sibi accidisset percontantibus, Vir Dei respon-

ſpondit : *parcat vobis DEUS Filij, parcat vobis DEUS, qui me ex ſtatu tranquillitatis veri ſummique boni rursùs in hanc miſeriarum vallem veſtro adventu revocaſtis.* Petentes illi ſuppliciter veniam, & quid rei contigiſſet cognoſcere inſtantes, quomodò mirabilem Scalæ viſionem habuiſſet, & voluntatis divinæ eſſe, ut illic loci eremum ſub nova candidi habitûs inſtitutione conderet, ab eo tandem, inſolitâ cordis jubilatione arcanum reſerante, extorsêre. Noluit tamen Vir ſanctus, qualiter ante Deum delatus eſſet præ humilitate eisdem detegere, quemadmodùm quisque, qui ſe quærit conſervare immaculatum ab hoc ſæculo, futilem gloriam Mundi, & popularem auram præter cætera ſemper vitare debet. Retexit tamen poſtea (ut jam ſupra meminimus) in eremo Sytriæ à Diſcipulis itidem interrogatus, cujus ætatis anima Chriſtiana cernirur, vel in qua figura ad judicium præſentatur, ſic in tertia perſona reſpondit. *Scio*, inquit, *hominem in Chriſto, cujus anima delata eſt ante DEUM ſplendida velut nix : humana quidem effigie, & ſtaturâ perfectæ ætatis.* Inquiſitus autem quis is eſſet, dicere noluit, Diſcipuli tamen ex evidentibus rationibus ipſum fuiſſe compræhenderunt.



CAPUT XXXVI.

Qualiter S. P. Romualdus ad inſtantiam Ottonis Imperatoris inſigne Claſſenſe Monaſterium Ordinis Sancti Benedicti, reformaverit.

OTTo tertius Imperator veniens in Italiam omnibus Eccleſiæ Viris, maximè verò Religioni deditis plurimùm impen-

impendit honoris, ac reverentiæ, & ad ordinandas Ecclesias non paucas, atque Cœnobia, animum convertit: inter quæ Cassinates magnis auxit Privilegiis, & pariter Classenses. Cum verò Classensibus eligendi sibi Abbatem optionem dedisset, unanimi consensu elegerunt illi B. Romualdum. Atqui diffidens Imperator sanctum Virum per nuncium ad se venturum, neque Abbatiam suscepturum, nisi ipse ad eum in persona proficisceretur, conscensis igitur equis eodem die ad eum perrexit, & per noctem cum eo in humili cellula mansit: adjecit Imperator anathematis pœnas ab omnibus Episcopis nisi consentiret, tandem ut Monachos regeret, Imperator obtinuit. Igitur S. Romualdus cum Imperatore, atque Archi-Episcopo Joanne veniens ad Classenses, ibique honorificentissimè totiùs Congregationis, atque Civitatis Ravennæ maximâ lætitiâ susceptus, in Monachorum Conventu hujusmodi fecit verba.

Maximo quidem mysterio factum est (dilectissimi in Christo JESU Classenses Filii) ut homo post Angelos nobilissima DEI Op. Max. creatura ad imaginem & similitudinem sanctissimæ Trinitatis conderetur. Nam homo, si benè pensamus DEUM ipsum in anima (qui est ille spiritus, de quo scriptum est: insuflavit DEUS in Adam spiritum Vitæ, & factus est homo in animam viventem) tantùm refert manifestè, quantùm tres ipsius animæ potentiæ imaginem DEI in se divino penicillo referunt impressam. Intellectus Patris personam respicit, Memoria Filium. Et voluntas Spiritum Sanctum. Nec durus est hic sermo Filii Classenses; quia sicut Pater est, qui genuit Filium ab æterno, & ab utroque Spiritus Sanctus procedit: sic intellectus nutrit memoriam, & ab utrisque fit, ut homo, dum vivit, actiones suas secundùm voluntatem operetur. Quid ergo mirum,

 quòd

quòd Deus dicatur sæpè Paterfamilias, & homo in sacris paginis? ratio in promptu est manifestissima: quia Deus ideò creavit hominem ex limo terræ, ut homo se portionem Dei ubique esse cognoscat, & ut homo se Dei immaginem gestare non ignoret. Et pari modo, ut si homo bene voluerit uti sua voluntate, corregnet cum Deo & Homine JESU Christo Domino nostro in Cœlis; qui propter nimiam charitatem de sinu Patris descendit ad terras, factus obediens usque ad mortem. Nimirùm nobis testatum relinquens, quatenùs magnum fœdus ex arbitrio hominis, nostra cujusque voluntate inter Deum & hominem initur, quando per obedientiam voluntatem sic mactamus propriam, ut ab illo commendari mereamur, qui dicit: *Obedientiam volo magis, quam sacrificium.* Voluntas namque hominis, veluti aurum in fornace, probatur maximè, cum à superiori potestatè ad aliquid faciendum impellimur, eique propensiore animo parere aquiescimus; quia nemo est qui nesciat scriptum esse, *imposuisti homines super capita nostra.* Non ignoro ego (Classenses Filii) quæ quantaqne sit Imperatoriæ Majestatis celsitudo, quæ dignitas, quæ potestas? Non sum nescius, qualiter Otto Cæsar devotissimus noster vices Imperatoris æterni gerat his diebus in terris. Non me præterit, quàm difficile sit illi velle obsistere, cui totus paret orbis terrarum. Non me fugit, quàm turpe sit fidem fallere contra charitatem illis, qui Religionem Christianam amplificare, atque illustrare student maximè. Invitus hinc ego adductus sum, ut vobis Patris fungar officiô: utpote solitariæ vitæ, ut probè nostis, magis asuetus. Ac propterea potissimum me terret moles curæ animarum, quæ ars artium merito, atque optimo jure dicitur, ex eò quod potestas, prælationísque dignitas nomen oneris,

ris, non honoris revera est, idque optimè insinuat Apostolus dicens: *qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat*, id est laborem, ut Divus Augustinus exponit, non delicias, non crescere fastigiô, sed humilitate decrescere. Aut sicut habet Hieronymus: ut intermissa Rachelis decora facie, intret ad Lyam oculis lippam, & de monte ad campos cum Moyse descendat, id est de ocio contemplationis, ad laborem actionis.

Equis autem secundùm DEUM alios regere posse speret, nisì justitiæ trutinâ evaginatô severitatis gladiô propter improbos utatur? equis duræ cervicis sciolos, edomare, corrigereve discat sinè invidia & difficultate? quandoquidem inter Religiosos illud vetus proverbium passim latéque versari videmus; *obsequium amicos, veritas odium parit.* Verùmtamen quicunque secundùm Deum vult præesse, Moysis vestigiis inhæreat, est necesse, qui in delinquentes tam duriter animadvertere visus est, quos amavit, ut eos, etiam Domino parcente, prosterneret: causam populi apud DEUM precibus, causam DEI apud populum non minùs legatus fortis, quam admirandus mediator, egit. Igitur, Classenses Filii, si imperator ipse, si Archi-Episcopus, imo si vos cum illis Cœnobium hoc vestrum, per meam electionem reformari, & corrigi vultis; vel quia antiquæ Patrum sanctimoniæ facies abolita videatur, vel quia non desunt inter vos, qui carni nimiùm affixi, terræ inhærere non curant; adeò ut sanctæ Religionis fervor, ignisque divinus, quô Patrum nostrorum animi caluêre, in vobis videatur extinctus; videtis quàm id facillimum sit factu, & quia Synderesi conscientiæ agimini, & quia me Cœnobium administrante, vos Imperatori, atque Archi-Episcopo satisfacere posse jam jam statuistis. Recolite igitur mente, quòd *Servus*

vus sciens Domini voluntatem, & non faciens plagis vapulabit multis, ut testatur summa Veritas. Et si amanti haud difficile sit regularis observantiæ decus, sic, amabo, amplexamini, ut unus alteri Virtutis, ac sanctimoniæ ea præbere incipiat exempla, quæ duratura sint; non modò; ut terreno Regi gratificemini: sed ut Imperatori Cœlorum, ac Regi Regum Christo, cui militare elegistis, & in cujus introistis vineam, veram & non fictam ex debito Professionis vestræ impendatis servitutem, ab eoque æterna promereri valeatis stipendia.

Habetis luculentissimum speculum ob oculos, (*Sactissimi Patris Benedicti regulam*) ad quod aciem mentis sedulò impendatis: tum ratione exolvendi divini cultûs diurnis horis & nocturnis, tùm ad componendam vitam, moresque moderandos. A quibus sciatis ne latum quidem unguem quavis occasione declinare licitum esse. Habetis sanctorum Patrum Collationes, ut æmuletur alter alterum Dei æmulatione. Habetis Sacramentum magnum, tria sanctæ Religionis vota; per quæ fœdus cum Deo sanctisque suis pepigistis, ut abjiciatis operâ tenebrarum, & induamini arma lucis. E quid autem aliud Imperator unà cum Archi-Episcopo à vobis expectat? quid aliud flagitat; quid aliud vos quoque ex nova mea electione vultis? nisì ut vos verè Monachos comparare verbô, factis, incessu, & exemplô studeatis. Superfluum est, Classensis Filij in Domino charissimi, in re tam manifesta, dispositis omnibus, diutiùs immorari: superfluum equo currenti stimulos addere. Venistis in arenam, curritis in stadio: quod reliquum est; viriliter agite: Athletas strenuos vos comparate; utque Virtuti debitum præmium assequamini; expurgate vetus retrò irreligiosè actæ vitæ fermentum, ut sitis nova conspersio,

ſperſio, in vera corporis, ac mentis puritate. Anteomnia eliminetur à vobis omnis conſcientiæ turpitudo, elevetur mens in Deum. Et ſicut omnes ideò ſæculo abrenunciavimus, ut Diſcipuli JESU Chriſti Redemptoris mundi efficeremur, ita omnes unanimes, uno ore fundamus preces Throno ſanctiſſimæ Trinitatis, munuſque debitæ ſervitutis noſtræ eô cœleſtium affectu exolvamus, ut tam Imperator, quam tota Ravenna, atque ſimul univerſus terrarum Orbis intelligere & cognoſcere poſſit, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta, qui eſt benedictus, & glorioſus Sæcula.

Poſtea quàm Beatus Romualdus finem dicendi fecit, Monachi Claſſenſes ejus electionem, obedientiæ, fidelitatíſque Sacramentô ſinguli viritim confirmant. Inſtauratur brevi tempore prioris ſanctimoniæ facies, invulgatur per omnes Flaminiæ oras reformati Cœnobii Claſſenſis fama, creſcit plurimùm Congregationis, Familiæque numerus, ubique nomen Beati Romualdi deprædicatur.

CAPUT XXXVII.

De Meditatione, quam fecit S. Romualdus circa proprietatem Abietis Arboris in Campo Malduli.

SAnctus Romualdus Eremitici, ac Monaſtici ſtudij alter poſt S.P. Benedictum inſtaurator à Deo Opt. Max. datus & ſingularis eruditor, inſtitutô poſt plurima loca Cœnobiô Vallis Caſtri, ubi ſacrum Corpus eſſet terræ commendatu-

daturus, de loco quoque rursus maximopere erat sollicitus, ubi contemplativæ vitæ formam, regulas, & instituta perfectiori modo quam in aliis locis, mundo traderet, ac posteris relinqueret. Itaque factum est divinâ providentiâ, ut Vir Dei per confraga densis dumetis & arboribus in Appennino iter habens, densissimam valde abietum sylvam sit ingressus, atque ad amœnum pulcherrimumque in ea recessum venerit, qui prati speciem referens Campus Malduli speciosus, & amabilis dicebatur. Hoc in loco Vir DEI Romualdus sistens gradum, de ejus pulchritudine Deo gratias agere unà cum Discipulis ex satiari non poterat. Erat autem illic pellucidus fons (is ad hanc diem apud Templum prorumpere visitur) cujus crystallinis undis Vir Dei pellectus, necesse duxit esse laborem itineris non nihil remittere, & (quod sæpè ad inventas vivas aquas facere solebat) paululùm ad ipsum fontem requiescere. Itaque precibus Deo fusis sumptóque modico cibô haud mora (quemadmodum semper ad cœlestia erigebatur incredibiliter sanctissimi Patris animus) incidit ei de loci speciositate, deque abietis natura pulcherrima in corde meditatio. Cujus gratia inhians tota mente in superna fluenta fontis vivæ, speciositatem cœlestis Patriæ considerare cœpit, & à radice, usque ad verticem circa proprietatem Abietis arboris pariter philosophabatur. Quatenùs videlicèt singulæ partes ei arbori ab universi orbis artifice attributæ vestigia almæ charitatis, si rectè inspicias videntur referre: præsertim quatenùs considerare possumus quatuor charitatis qualitates, de quibus eximius Doctor gentium prædicabat 1. Cor. 13. *Charitas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, charitas nunquàm excidit.* Philosophabatur autem imprimis charitatem in radice secundùm Apostolicum eloquium in charitate

ritate radicati, & fundati: in eoque capite tolerantiam charitatis in justo Noë Patriarcha maximè relegebat, qui cum mortales sui temporis, corruptis moribus, atque omni infando scelere Deum ad perdendum diluviô mundum adegissent, bonus malos, justus injustos, pius impios incredibili patientiâ per longum tempus toleravit: nec à charitate in arca inclusus unquàm recessit, licet secum essent feræ omnis generis. Quasi ad totius Orbis multitudinem Romualdus concionaretur, ajebat: felices qui mundum relinquunt virtutem charitatis possidendi gratiâ; felices, qui ad pedes Christi Crucem amplexati nîl magis, quàm mysterium humanæ redemptionis meditari student. Quis enim vereatur quin unà cum Noë bestiis dominari possit, id est conculcare sæculum, & concupiscentiam ejus, qui seipsum contemptui habens, subdiderit Cruci, & obedientiæ Conditoris: quis non exploratum habeat, quod sicut Noë post diluvium obtulit Deo sacrificium de animalibus mundis, & non immundis, quin ipse quoque adeptus virtutem charitatis secundùm Deum, & proximum non offerat se Deo sacrificium laudis, & contriti cordis? id est, ut ait magnificentissimus Vates regius, *sacrificium DEO spiritus contribulatus. Cor contritum & humiliatum DEUS non despicies. Utique holocaustis non delectaberis.*

Philosophabatur item sanctus Pater charitatem in caudice alto, recto, & nodoso, in quibus virtutem charitatis quæ omnia credit, altiùs pensabat, quatenùs à solo virtutis fidei principio ascensus ad cœlos homini paratur. In eoque charitatem in amico Dei Abraham considerans, de quo habetur in sacris eloquiis (*credidit Abraham DEO, & reputatum est ei ad justitiam*) quasi cunctis mundi Principibus, ac nobilibus concionaretur, ajebat. Ecce mundi poten-

tes, ecce quomodò per bonarum actionum varietates, animique apparatus charitas in virtutum habitibus sic continet alimentum, ut honorum atque divitiarum contemptus ad Deum usque haud dubiô pertingat. Ecce quomodò Abraham Vir dives & potens credens Deo, divina mandata peragens, & animum suum supernæ voluntati in omnibus conjungens, meritô virtutis fidei, spei & charitatis amicus Dei fuit dignus appellari, nec non benedictionis omnium Tribuum terræ in semine suo promissum recipere. Eia agite cum Abraham paternâ domô demigrate, qui enim dixit Abrahæ offer mihi genitum tuum, idem non desinit unumquemque vestrum per Sapientiam vocare. Fili prabe mihi cor tuum; ego sto ad ostium & pulso si quis mihi aperuerit ego intrabo, & cœnabo cum illo.

Recogitate, quòd nulla alia de causa Abraham ante nos peregrinatus est, nisì ut nos peregrinos esse nunquàm obliviscamur, qui terram cælestis promissionis cupimus intrare. Intelligite id ex abietis in Cœlum tendentis natura. Erudimini, quod hæc arbos, nullum omnino patiatur cultum, nullam sobolem à radice profert, seu reliquias plantæ, ad designandum nimirum, quod quicunque vult charitatis virtutem possidere, is necesse habet in negligentia corporis ante omnia animum accuratissimè excolere, ut deinceps veluti vere in radice charitatis fundatus, proximi vitæ ædificium, & animæ suæ ad Cælum volatum parare possit.

Philosophabatur similiter S. Pater in ramis, tam in intervallo, quàm in numero prægrandibus, & quodammodò infixis folia semper viridantia, rara tamen & serrata, in extremitateque pungentia. Meditabatur autem ex illis charitatem, quæ omnia sperat, præcipuè in Patribus & populo

Israël.

Iſraël. de quibus habetur : *in te ſperaverunt , & liberaſti eos : non ſunt fraudati à deſiderio ſuo.* Jam jamque quaſi in conventu Religioſarum perſonarum verba faceret, dicebat. Diſcite ſervi Dei : diſcite, quali Deo vinculo charitatis obligati ſitis in terris, & quæ præmia vobis proponantur in Cœlis. Fugerunt Patres populi Iſraël ex Ægypto : mare tranſiêre rubrum, & in deſertum, eremumque venêre ducti ſola charitate Dei : qui per diem in nube, nocte verò in columna ignis ductor illis extitit, quare ? ut diſcerent Deum amare gratis. Fugiſtis & vos ex Ægypto mundanarum ærumnarum, ut in ſolitudine eremi per ignem tranſeuntes & aquam, per charitatem ſic vigore pudicitiæ, & ſanctimoniæ novitate reflorere nitamini, ut Deus ſit ſemper in vobis, & vos in illo ſecundùm Apoſtolicum eloquium. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Induite armaturam fidei, accipite galeam ſpei & ſalutis, ut ſicut DEUS pluit populo electo manna in deſerto dum ad terram promiſſionis venirent, ad inſinuandum, quòd charitas eſt arx virtutum promiſſio Regni, & præmium ſummum Sanctorum in Cœlo, ita in vobis nîl dulciùs, nîl gratiùs Dei amore emineat. Diſcite Dei juſtitiam, qualiter ſcilicet populus Iſraël non niſi per eremi aſperitates ad terram venit promiſſionis. Ut vobis detur intelligi, quòd nisì religioſi Viri per ſpem almæ charitatis fugerint ex Ægypto, id eſt ex hujus ſæculi deſiderio, & nisì ſint utentes hoc mundo tanquam non utantur, neutiquàm hoſtes fugere valebunt, & tentationibus reſiſtere, nec relinquere peccata, nec denique ſugere mel de petra, qui eſt Chriſtus JESUS, cui ſervire regnare eſt.

Philoſophabatur quoque S. Pater, quod abies non ſit fragilis, ſed nervoſa, lignoſæque apparentis medullæ. Cu-

jus ſanè truncum rami triplici numero totam gradatim complent. Meditabatur autem ex his charitatem, *quæ omnia ſuſtinet*, in ipſo Deo, & Homine JESU Chriſto Domino noſtro, qui eſt vera charitas, quæ nunquam excidit. Et in ea cogitatione relegens toto cordis affectu, quanta bona fecit *Verbum Caro factum*, & quanta mala ſuſtinuerit dulciloquis ſuſpiriis clamabat. *O pietas! O magnum myſterium! O Redemptionis Mundi indicibilis Charitas, Charitas te bone JESU de Cœlis in terras traxit.* Charitas te ſummum rerum opificem edocuit ſingulari patientiâ Diabolum perferre tentatorem; Diſcipulum traditorem; odiorum populi electi flammas, atque linguarum peſſimarum non devitare æſtus. Charitas te, qui mortuos vivificas, ac toties ab inferis excitaſti, patibulum crucis, & mortis anguſtias pati ad hortata eſt. Nec mora abietem amplexatus intulit. O felicem arborem! jure rami tui crucis figuram referunt, jure triplici numero eos transfundis, ſiquidem illis, tùm crucis, tùm incircumſcripti luminis ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium haud dubiè deſignatur: Quemadmodùm incarnationem Divini Verbi Pater operatus eſt in Majeſtate, Spiritus Sanctus in cooperatione, & Filius in ſuſceptione humanitatis. Tùm Diſcipulis propiùs ad ſe vocatis, quaſi cor ſibi ob Dei amorem in varias partes præ charitate diſcinderetur, ſic verba facere exorſus eſt. Hic locus, Filii, cœleſtis paradiſus in terris mihi eſſe videtur; haud enim amœniorem usquàm me inveniſſe memini, quot quot abditiſſimas ſylvas per univerſam Europam luſtraverim. Maximè verò ex pulcherrima hac abietum corona, quanta ſit Dei erga humanum genus charitas elicitur, ſi ejus opera ſcrutemur, & quot miris modis ipſe ſuâ clementiâ hominem ad ſtudium cœleſtis Philoſophiæ ubique excitet, qua juſti-

justitiam & pietatem colat, & solida ipsa, & vera atque æterna bona consectetur, quæ cum fallacibus mundi bonis ac celeriter interituris nullatenùs sunt conferenda. E ja dulcissimi in Christo JESU Flii, discite qualis, quantaque sit hujùsce arboris virtus, quæ vobis omnia sanctæ charitatis munera insinuat, præcipuè quòd ex ea transfunditur oleum, per quod, mysterium & insignia considerare debetis. Porro id dulcissimum nomen JESU Domini nostri est, quod in Pontificatûs, regalisque dignitatis oleo, quô delibuti sunt in Lege Moysis Sacerdotes, & Reges, atque ipsi etiam Prophetæ Domini, maximô mysteriô fuit expressum. Ipse namque verus est Rex omnium sæculorum; ipse verus Pontifex futurorum bonorum, ipse verus Propheta, qui prophetias inspirat, de quo per magnificentissimum Regium Prophetam dicitur. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga Regni tui*, & iterum, *unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Spiritus Sanctus, Filii mei, in sacris volumnibus per oleum lætitiæ designatur; Christus enim dicitur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech eâ maximè ratione, quia nimirùm, cum fuerit ante Legem Moysis, non fuit unctus oleo chrismatis, nec ex successione generis suscepit sacerdotium, sicut Hebræi Sacerdotes facere consuevêre. Christus quippe JESUS semper fuit Sacerdos, & Rex Regum ante mundi constitutionem. Ecce Filii quod sæpè dicere solitus sum vobis, qualiter materia Olei se habet; ut omnibus reliquis humoribus supereminead. Ex Oleo siquidem Charitas Dei, & Proximi designatur, quæ omnibus virtutibus sublimior comparatur; usque adeò; *ut dives quisque pauper sit, si charitate careat, & pauper cum charitate ditissimus*; est enim dives sine charitate illi similis, qui habet plures lucernas, sed lucem nequaquàm habe-

re

re valent. Videte Filii, videte, qualiter veſtras lucernas probè aptetis, & ſanctæ charitatis vinculô in Deum ex tota mente feramini, qui vocavit vos in ſpem vivam, ut nutriamini in dies almæ Charitatis æternæ.

CAPUT XXXVIII.

S. Romualdus è præcipiti ſaxo in flumen à Dæmone præcipitatus mirabiliter eripitur, ejusdemque de Diaboli poteſtate ſermocinatio.

SUb ipſâ Fontisboni ædificatione cum B. Romualdus nimis acriter pondus diêi, & æſtûs perferret, placuit divinæ Bonitati non pauca miracula per Servum ſuum patrare; nec non confluentibus undiq; ad illum populis propter ſuâ merita innumera beneficia exhibere. Cæterùm humani generis hoſtis Diabolus, ut fuerat Viro Dei ubique ſemper infeſtus, tunc operibus ſanctis magis, ac magis invidens, in eumque atrociús ſolitò ſæviens, illum totis viribus nunquàm impugnare deſiſtebat. Quem cùm nullis laqueis, nullis terroribus, nullis denique artibus ſeù dolis ab inchoato opere revocare poſſet, novum maleficium novâ calliditate hujusmodi excogitavit. In deſcenſu eremi penes *Sonorum* fluvium, qui venientibus Camaldulum neceſſariò tranſiri debet, ſtrictus valdè erat callis ſuper vaſtiſſimi ſaxi dorſo præ anguſtia loci, qui magno aquarum gurgiti maximopere præceps prominebat. Ad hunc locum

cum

cum sanctus Romualdus quadam die festinus venisset, & Discipuli, qui secum erant nonnihil ab eo remoti, invicem de potestate Diaboli in homines tentandos, post Patrem venientes, sermocinarentur, spiritus nequam oportunam nactus occasionem S. Romualdum ex ipso præcipiti saxo in flumen deturbare, in vastumque gurgitem præcipitem dare pertentavit. Verùm Vir sanctus in discrimine vitæ positus manus extendens ad saxum (ad solitam invocationem dulcissimi nominis JESU) Dæmonis vim, impetumque adeò illæsus contudit, ut ipsa saxi durissima materies, extensarum manuum accessum, perinde ac mollis cera, illico exceperit. Interea Discipuli propiùs facti, & tempestivè ex insolita Patris voce factum compertum habentes, celeriter accurrêre, visô miraculô, quòd hujusmodi periculo Vir sanctus liberatus fuisset, Deo gratias egerunt, & veniam ante omnia, quod ab eo remotiùs mansissent, petiêre. Tùm Petrus Dagninus magnæ Sanctimoniæ Discipulus, qualiter de impugnatione dæmonum sermonem ad invicem habuissent cæpit ei exponere. Cui Vir sanctus hæc dedit responsa. *Benedicat vobis JESUS unicum animæ meæ desiderium, Filij mihi in Eo, in cœlestem spem vivam Charissimi, & desideratissimi, quorum meritis ipse misertus mei, me à teterrimi hostis insidiis liberavit. Oportunè vos quidem certè ea de re sermonem intuleratis: Dæmones siquidem sedula pugna homines exercitant odiô, & invidiâ perciti, quòd homo in cœlesti Patria illis sufficiendus sit, ex qua ipsi dejecti fuêre, quod Lucifero adhæsissent, qui perperam supernaturalem felicitatem appetijt. Non quidem quòd appetierit se esse Deum, ut quidam temerè crediderunt, quod sciebat esse impossibile, neque quòd appetierit esse æqualem Deo simpliciter, sed ea potissimum ratione: quòd videlicet, sicut Deus est beatus à seipso, & non ab alio beatificatus, ita & Lucifer se beatum esse appe-*

appetiit, sed non veluti à Deo; sicut nec credidit propria virtute felicitatem supernam habiturum; sed peccavit, quia nec de sua, nec de divina virtute cogitavit; id enim est, quod habetur apud Prophetam: *Ponam sedem meam ad aquilonem, & ero similis Altissimô.* Licet autem Dæmones & propterea homini semper infesti sint, & in potiori loco, dum tentant, in aëre consistentes, homo autem in terra; nihilominus potior est pars nostra, tùm per auxilium gratiæ Dei, tum per custodiam Angelorum bonorum. Proinde Helisæus ad ministrum ajebat 4. Reg. 6. *noli timere plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.* Tùm Petrus Dagninus ut erat semper discendi avidus, Virum Dei summà reverentiâ, ac modestiâ sic compellavit. *Pater sancte, edissere nobis, si placet, unde sit quod Dæmones non pæniteant, & dent Laudem & Gloriam DEO? misericors enim & miserator Dominus nîl odit eorum quæ fecit*, ut inquit Psalmographus, *& habemus ipsius Dei vocem per Prophetam* Ezech. 18. *si impiùs egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor. Hinc verisimile esse videtur, quòd Diabolo etiam pœnitenti parceret DEUS.* Cui ille: *tua quæstio Petre levi responsione solvitur, quòd Diabolum in eodem appetitu semper perseverantem nunquàm pœnitere posse; quia quod facit hominibus mors, hoc malis Angelis semel fecit casus: post primam enim electionem fuerunt in termino nunquàm resiliendi, sicut & Angeli boni fuerunt, & sunt in termino, ut nunquàm valeant peccare in gratia confirmati.* Tunc rursus Petrus, *Utrum Pater sancte Dæmones sic homines excruciare juvet, quod per hoc eorum fortè minuatur pœna, sicuti sæpe improbis hominibus contingere videmus: qui lætitiâ alieni mali exultantes malum suum alleviare quodammodo videntur!* cui *duplex locus ad pœnam dœmonibus assignatus est*, Pater Venerandus respondit. *Alij namque illico post lapsum in infernum detrusi sunt ratione*

ratione suæ culpæ, qui supernè homines nullis maleficiis afficiunt per se, & si in Inferno cruciandi sontes animas ex divina justitia munus exequuntur. *Alii ex divina permissione in caliginoso mediæ regionis aëre ad hominum exercitium locum sortiti, qui licet jugi impugnatione hominibus sint infensi, ac molesti, nunquàm tamen ignis æterni cruciatuum sunt expertes; quia ubicunque Diabolus est, semper tormenta suarum flammarum secum defert, sicut ignis quocunque in loco accendatur, & qualicunque ex materia, nunquàm suam naturam amittit, & vires.* Hic subjunxit Petrus interrogationem, *quomodo Dæmones corpora vexantes operentur interiùs commovendo carnem sanguinem, & membra per spiritus vitales.* Cujus postulatis, continuando iter, Pater sanctus satisfacere volens in pulcherrimam incidit hujus rei sermocinationem hujusmodi. Deus, Filii, justorum neminem unquàm interiùs Diabolo torquendum commisit, & si exteriùs servum suum Job à planta pedis ad verticem usque gravi ulcere, ad insinuandam ejus bonitatem, & patientiam vulnerari permiserit. Quid quid de vexatis à Dæmone legimus, & videmus, de his, qui aliquo peccato irretiti sunt, haud dubiè intelligi debet. Propter quod eos in Sues & bestias non semel introire voluit, sicut peccatores computrescunt ut jumenta in stercore suo. Unde benè ait Greg. in Dial. suo, quòd Datius Mediolanensis Episcopus Corinthi in quadam domo (ubi habitabat malignus spiritus: quiescens, dum rugitus Leonum, balatus pecudum, rugitus asinorum, sibilos serpentum, porcorum grunnitus, & murium stridores audisset, contra antiquum hostem inclamavit, *benè tibi miser contigit. Tu enim, qui dixisti ponam sedem meam ad aquilonem, & similis ero Altissimo, ecce præ superbia tua similis bestijs factus, bestias imitaris.* Quibus verbis antiquus hostis locô cedens nunquàm redire ausus est. Ea

 recor-

recordatione quasi Pater sanctus cum tota Philosop horum schola loqueretur subjunxit; *mementote Peripateticorum doctrinam fugere, qui immaginationi dæmonum effectus tribuêre, asserentes; quòd phantasia brevi momento animam hominis vitiare faciat, & instar somniorum mutationes in multiformes passiones, & imaginum species vertat. Dum enim animus semper naturaliter movetur, motus ipse vel phantasia, vel quædam intelligentia, vel magis corpus triste ipsum est, ut illi volunt, quod elevet intellectum, atque divertat: quibus rationibus Dæmones nullô pactô esse, neque hominum habere formam, aut vocem, sive potentiam quæ ad nos pertranseat, sibi persuadere queunt. Quod falsum ea potissimum ratione est; quia sicut anima humana inter immortales spiritus infima corpus ad libitum movere potest quadam limitatione: quin idem superioribus spiritûs faciendi potestas sit, negare non possumus, quin etiam alicujus elementi partem (puta montem) ut docet Augustinus movere possunt, quemadmodùm superiores illis movent corpora Cœlestia & orbes. Quo fit, ut omnes effectus operari possint Dæmones, qui per naturalia fiunt corpora, eaque movendo applicare ad effectum aliquem, puta sanitatis vel infirmitatis. Potest ergo Dæmon immutare phantasiam hominis imprimendo nova phantasmata, sicut in somnio agitur. Potest figurare, ac colorare oculis aërem sub diversis speciebus rerum, sicut cùm B. Antonio apparuit in forma argenti. Potest circumponere cuique rei corporeæ quamcunque formam, ut in ejus specie videatur, sicut accidit in ungue, aqua, & præstigiis, quibus furta exquiruntur. Nec mirum quòd in eo casu à pueris, & virginibus se videri permittant Dæmones, ab eisque advocati frequentiùs adveniant; nam id ea ratione faciunt, ut nimirùm veluti munditiæ amatores, homines in suæ Divinitatis opinionem adducant. Possunt denique Dæmones vexare corpora interiùs, ut Petrus proponit, operando commovendo carnem, sanguinem & membra per spiritus vitales,*

tales, licet non per informationem, sed tantùm per operationem, Usque adeò ut viderimus, quam sæpissimè Dæmones sic obsessis dominari, ut eos vel ratione uti non sinant. Quos etiam secundùm Lunæ incrementa magis excruciant, tùm lunam creaturam Dei infamandi gratiâ, tùm etiam, quia cum non possit operari nisi mediantibus virtutibus naturalibus, occasionem à cerebro natura humidissimo desumunt, in quo perficiuntur vires animales; quodque maximè subjicitur operationi lunæ, quæ ex sui proprietate habet movere humorem. Videte ergo quam Platonici Peripateticis in hoc præstent, qui non humanæ imaginationi, ut illi: sed ut res se habet, spirituum supernorum effectibus Dæmonum operationes tribuant, & Christianæ veritati mirabiliter adhæreant. Quis enim mortalium varios Diaboli effectus variis in Dæmoniacis non vidit? non exhorruit? non admiratus est? Quæ natio, qui populi, quæ Urbs, quod oppidum, quis locus ejus maleficia unquàm vitare potuit? Num Ægyptii? num justus Job? num Saul? num Achab? num ipse Mundi Salvator ab eo in deserto tentari renuit? Hinc tot claruerunt semper exorcistæ, hinc tot magi. Hinc legimus Act. 19. Quòd adjurantibus quibusdam Dæmonium in nomine JESU, quem prædicabat S. Paulus; illud respondisse, JESUM novi, & Paulum scio, vos autem qui estis? & aggressus est eos Dæmoniacus repentè, & spoliavit, ac vulneravit, multi namque provinciam ejiciendi Dæmonia inibant in nomine Christi, qui ei non adhærebant, ut habetur. Luc. 9. Hinc multi per exorcismos Salomonis Dæmones fugabant, maximè si radicem cujusdam herbæ in naribus obsessi ponerent. Unde & Josephus astruit tempore quo Vespasianus Judæam vastabat, se exorcistam ad Imperatorem adduci vidisse, qui annulum habebat, sub cujus gemma radix inerat, quæ naribus cujusdam Dæmoniaci adhibita, adjuratus Dæmon ab eo exivit, signumque dare

coactus pelvim aqua plenam ſubvertit. Hinc Joannes Apocalyp. 8 vidit Angelum clamantem quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ, mari, atque arboribus, ſicut Deus de ſontibus per eos pœnas ſummit ad exemplum aliorum. *Enimverò Dæmones ex ira & odio, viris præſertim bonis invident, eorum rebus gerendis obſiſtunt, metus ac perturbationes inducunt, fallereque nituntur, & omnia conquaſſare, ne homines poſt ſupremum vitæ diem meliorem illis ſortem aſſequantur.* Cœperat item verba facere S. Romualdus, qualiter regnum Diaboli potiſſimum in poſſeſſione humanarum voluntatum conſiſtit, magis quàm corporum, licet corpora (uti prædictum eſt) tam immaniter exagitet, & excruciet, quandò jam propiùs ad receſſum Fontisboni factus, Theobaldus Vir religioſiſſimus Aretinus, qui poſtea electus eſt Epiſcopus, qui ut fabricam hoſpitii Fontisboni videret, ſimulque Sanctum Romualdum viſitaret, in montes cum quibusdam Preſbiteris, laycisque Aretinis aſcenderat, ei occurrens dulci ſermoni finem fecit. Præceſſerant ſermocinantem S. Romualdum quidam alii hoſpites, qui ab Eremo venientes, ex alia parte fluminis miraculo ſanctiViri interfuerunt, & quid factum fuiſſet artificibus ædificii, ipſique Theobaldo jam prænarraverat. Quocirca Theobaldus locum feſtinabundus adire voluit, ibiq; Sacellum ſuffragante Maldulo erigendum ad perpetuam rei memoriam curavit, quod uſque hodie S. Romualdi Caſella vernaculâ linguâ propterea nuncupatur, quòd ex inde quoties ob pluvias, vel atros nimiùm Nimbos ad Eremum Patri ſancto noctis tempore redire non daretur facultas, illic ſuper ipſo nudo ſaxo excubare, ac placidam quietem capere conſuêſſet; verùmtamen ibidem manuum ſuarum impreſſionem ad tanti Miraculi teſtificationem omnes ad hanc diem liquidò admirantur.

CAPUT

CAPUT XXXIX.

S. Romualdus ex Sacra Eremo abſcedens, Venerabilem Petrum Dagninum in Priorem creat.

POſtquàm S. Romualdus chariſſimos Diſcipulos ſuos in Eremo Camaldulenſi per annos aliquot Eremiticis moribus imbuiſſet, Spiritu Sancto dictante, aliò, ubi majus Deo ſuo animarum lucrum parare poſſet ſe transferre ſtatuit. Verùmtamen antequàm inde proficiſceretur bonus Paterfamilias, vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua, ut illo longiùs proficiſcente ſollicitè negotiarentur: eos ad viriliter agendum in Eremi pugna hortatur, ad ſanctæ charitatis munia implenda excitat, & qualiter tria ſanctæ Religionis vota incorrupta mente ſanctificare, præcipuè verò obedientiæ Sacramentum nullâ unquâm occaſione temerare debeant, edocet.

Quibus Petrum cognomine Dagninum, qui prudentia & religioſis moribus longè præſtabat, legitimè præeſſe voluit. Tandem Diſcipulis ſuis coram ſe conſtitutis ſic eos allocutus fuiſſe perhibetur. Quo animo in vos fuerim, quamdiù vobiſcum verſatus ſum Filii chariſſimi, quia operibus vobis oſtendere: nunc autem diſceſſurus ad exemplum Domini mei JESU Chriſti, Pacem & Fraternam dilectionem vos ſemper invicem paternô affectu habere moneo; ſatis enim videor mihi feciſſe, ſi pro terrenis caducisque (quibus vos pro Dei amore carere ſemper ſuaſi) pretio-

pretiosam hanc margaritam vobis relinquam, quam si inviolatam apud vos servaveritis, nec corporalia alimenta, nec spirituale gaudium vobis deerit; nam diligentibus se, dixit ipsa veritas, hæc omnia adjicientur, & iterum: *vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. DEUS autem Patientiæ & Solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum, ut unanimes uno ore honorificetis DEUM: sit omnium vestrum anima una, cor unum, & DEUS pacis erit vobiscum, quem habentes omnia possidebitis.* Verùm Paupertatem sanctam tanquàm Sponsam habete, & obedientiam tanquàm sororem cum perseverantia usque in finem diligite. Me de cætero dilectissimi præsentem habere non potestis, aliò enim me vocat spiritus, quid acturi sitis, apud vos manens, exemplis, ac frequenti exhortatione non negligenter vos informavi. Exempla quæ dedi æmulemini, & verba quæ locutus sum vobis, cordibus insculpta servate. *Jam autem ne sine Duce Ambuletis, Petrum (licet non illum, quem JESUS universæ Ecclesiæ præposuit) sed hunc Dagninum vobis Præpositum relinquo, ipse Prior, ipse Dux vester erit.* Tu verò Petre, quem semper præ cæteris dilexi, *pasce oves meas*, imo non meas, sed Christi, non quasi Dominans in eis, *sed quasi forma gregis factus ex animo. Exemplô tuô eos instrue cum charitate, & patientia. Noli animas eorum irritare, sed potiùs eos cum aliquandò confractos videris, quasi Fratres tuos dulciùs conforta, quod, si fideliter præstiteris, cum apparuerit princeps Pastorum, immarescibilem proculdubio percipies gloriæ coronam.* Quibus dictis, & singulis eorum spirituali osculô datô, omnibus simul paternè valedicens, inde recessit.

CAPUT

CAPUT XL.

De novissimo reditu S. Romualdi ad sacram Eremum Camalduli. Ejusdemque ad Eremitas sermo valedictorius.

TAndem posteaquàm S. Romualdus finem ædificandi sanctæ conversationis loca fecit, videns prope esse tempus ut depositum suum æterno Patri redderet, cordetenùs gestiens jugi precatu cum Propheta ajebat, quando veniam & apparebo ante faciem tuam? dilexi Domine decorem domûs tuæ, satiabor cum apparuerit gloria tua. Interim exæsa longissimô seniô, diutino labore atque nimis districtæ vitæ asperitate labantia corporis membra incredibili modo sustinere nitebatur, usque dùm singula fere loca ultimatim reviseret. Novissime igitur cum ad sacram Camalduli Eremum remeâsset, Conciliô Fratrum convocatô, Concionem paterni àffectus plenam, atque syncerissimæ charitatis exuberantem ad eos hujusmodi habuit.

Oportet Fratres, & Filij in Domino JESU charissimi, ac desideratissimi, nos semper ita stare & ambulare, ut exhibeamus nosmetipsos sicut DEI Ministros. Visum est illi, qui me ex sæculi blanditiis, seu potiùs tenebris in admirabile sanctæ Religionis lumen vocare dignatus est, inter multa, quæ suæ Divinæ Bonitati construxi loca sub auspiciis nigri habitus, quem primitùs in Classensi Cœnobio susceperam, Eremum congrega-

gregationemque hanc vestram instituere in albis vestimentis, propter mysterium visionis Cœlestis Scalæ, hic apud fontem, uti vos non latet, mihi cœlitus ostensum. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri JESU Christi, cujus stat verbum in æternùm; quòd una hæc Eremus, unà cum Fontisboni hospitio brevi temporis spatiô Anachoretici studii, cœnobiticique instituti eò faciliùs reliqua à nobis erecta loca quasi vitis fœcundissima, fertilissimusque ager antecellat, quò candidus color, omnibus aliis coloribus puritate, ac synceritate præstat, præsertim spiritualiter. Futurum est enim magno sanctissimæ Trinitatis arcano, ut una hæc domus, fundis, opibus, Cænobiis, ac fortunæ bonis Christi fidelium largitione mirô modô in dies augeatur; ejusque vivendi forma, Pontificum omnium, ac Regum præcipua tutelâ, patrocinoque latissimè se extendat. Jam verò propè adest, ut vergente corpore meô in resolutionem, sarcinam corruptibilis molis apud Cœnobium Vallis Castri, ut sæpè jam prædixi; deponam. Itaquè discessurus à vobis, nec ultrà reversurus, vos ante omnia in visceribus dulcissimi Domini JESU rogatos esse volo, ne contrstemini ob meam discessionem, nec perturbetur cor vestrum; sed clementissimum Patrem omnipotentem precibus ac votis ardenti pietatis studio rogetis, ut ipse mittat S. Angelum suum de Cœlis, qui vos parrociniô cœlesti custodiat, seduloque excitet ad omne opus bonum vitæ æternæ, inquo & vos confirmet: quod sanctæ charitatis officium & pro vestris Fratribus aliis in locis Deo famulantibus, præstare non obliviscamini; qui similiter sine intermissione pro vobis orant: ut Spiritus Sanctus urat renes vestros & cor vestrum igne sui sancti amoris, multiplicetque in dies super vos, ac super successores vestros dona misericordiæ,

atque Gratiæ ſuæ. Præterea rogo vos cum Apoſtolo in Domino JESU, *ut ambuletis quemadmodùm accepiſtis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare, & placere DEO.* Propoſita ſiquidem vobis ſemel cœleſtium anhelatione, jugi recordatione reminiſci debetis, vos non obtuliſſe Throno ſanctiſſimæ Trinitatis *holocauſta medullata cum incenſo arietum, nec boves cum hircis; exhibuiſtis enim vosmetipſos hoſtiam viventem ſanctam, Deo placentem*, vobis ergo Dominus dicit. *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò aptus eſt Regno DEI.* Et Apoſtolus vobis ſtimulos addit inquiens. *Sic currite ut comprehendatis*: veſtra enim converſatio in Cœlis eſſe debet. Porrò cùm omne agens agat propter finem, duo vos potiſſimum in ſancto inſtituto quàm maximè confirmare debent, & ad bravium æternæ ſalutis incendere. Alterum eſt dignitas Philoſophiæ, atque militiæ Eremiticæ; quæ nimirum talis tantaque eſt, quam omnia humana ſtudia, omniſque Mundi Gloria, atque ipſa imperia minimè ſuperare poſſint. His namque Mundi gloriam atque terrena vix ſibi comparare poſſunt homines. Illâ verò cœleſtem Patriam, Deique perpetuam viſionem Chriſti ſervuli cum perenni lætitia conſequuntur. In hanc arenam prodière feliciſſimo ſucceſſu Chriſti Domini Athletæ Paulus primus Eremita: Antoninus Magnus, Hilarion, Macarii duo, & reliqui Viri DEO pleni, qui Eremi vaſtas ſolitudines ante nos priores incoluêre. Qui quantùm innocentiâ vitæ: quantùm corporis, ſenſuumque mortificatione; quantùm carnis maceratione; quantùm fervore ſpiritûs, quantùm perpetua oratione, quantùm antiqui hoſtis virium propulſatione, ac propterea quantùm Dei vivifica viſione hanc ipſam militiam illuſtraverint, nemo neſcit, qui geſta ſanctorum Patrum aliquandò legerit. Cum vos igitur

tur ego ad eorum veſtigiis inſiſtendum ſponte ſatis excitatos eſſe videam, pluribus verbis in hoc capite non laborabo, ne equo currenti calcaria addere velle videar. Alterum, quod vos in ſancto Inſtituto confirmare debet, eſt fructus, qui ex ipſa Eremi militia, eiusque perſeverantia colligitur. Hic fructus qualis quantusque ſit, Apoſtolus poſt Prophetam inſinuat dicens: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit DEUS diligentibus ſe.* Quin etiam ſtat firmum Domini JESU promiſſum: *Omnis qui reliquiverit Domum vel Frattes &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* O Filioli, gaudium meum, & dulcedo cordis mei! O quàm bene meditabatur hæc magnus Gregor. dicens: *quæ lingua dicere, vel quis intellectus capere ſufficiat, quanta ſupernæ Patriæ ſint gaudia, Angelorum choris intereſſe, præſentem DEI vultum cernere, & incorruptionis perpetuæ munere lætari?* vileſcant vobis Filioli, vileſcant, quæ habentur in terris, conſiderantes quæ & quanta vobis promittuntur in Cœlis. Ad ea inardeſcat animus, ubi ſperamus ſine fine nobis fore gaudendum. Propoſuiſtis vobis in agone Eremiticæ militiæ pro his magnis præmiis comparandis laborare. Aſcendiſtis in montem, undè venit vobis auxilium ex alto cœlorum habitaculo: in montem videlicet ſanctum: in montem divinæ contemplationis: in montem de quo dictum fuit ad Loth, *in montem ſalvum te fac*: in montem de quo Petrus nusquàm abſcedêre voluiſſet propter gloriam & præſentiam ſanctiſſimæ Trinitatis in transfiguratione JESU regis gloriæ dicens, *Domine bonum eſt nos hic eſſe. Si vis faciamus hic tria tabernacula.* Tria Petri tabernacula, Camaldulenſes dulciſſimi mihi in JESU Filii, ſunt vobis contemplativæ vitæ excitanda in hac ſacra Eremo ædificia, ubi Angelicam vitam

in

in Dei servitute ducentes, post hanc miseriarum Mundi vallem ad Civitatis Dei mansionem transferri feliciter mereamini, ubi (O incomparabile beatificatorum spirituum gaudium) *omnes sancti amicti stolis albis cantant canticum novum ante Thronum DEI & Agni.* Porrò trium tabernaculorum fundamenti pars prima sunt Fides, sine qua impossibile est ut docet Apostolus, placere Deo. Spes; quia Deus regeneravit nos in spem vivam. Charitas, quia in Charitate radicati, & fundati, Justitiæ Dei cultum in vero ejus timore potissimum servi Dei retinere possunt. Altera Fundamenti pars, sunt tria S. Religionis vota. Paupertas primùm quia parum esset ut Eremitarum quisque sæculi commoda, fortunæque bona abdicaverit, nsì is cum Petro & aliis Discipulis Domini, etiam propria voluntate, propriisque affectibus se se omnino nudaverit; nam hic status ipsius Magistri summi JESU consuetudinem nobis refert, Qui cùm sit Deus, & omnium Virtutum largitor, exhibitor bonorum, ex paupere Virgine nasci dignatus est, in præsepe se reclinari permisit; pauperes Discipulos elegit: & Adolescenti diviti dixit; *si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in Cœlo.* Obedienria deinde; quia sicut JESUS mansuetissimus Agnus in operando redemptionis humani generis mysterio non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem Patris æterni, qui misit illum; ita quicunque discipuli ejus esse cupiunt summâ ope niti debent, ut per obdientiam cum Abraham amici DEI apellari digni sint, & per mansuetudinem cum Moyse in monte Deum alloqui mereantur. Castitas ultimô locô, quia cum omne, quod in mundo est, *sit aut concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*, nemo debet duci in desertum, nisì à Spiritu

 Sancto

Sancto ut tentetur, cum JESU famelico, à Diabolo. Quis enim in Eremo esuriens, aliud quàm fructus spiritus esuriat? siquidem scriptum est? *quæ seminaverit homo hæc & metet.* Numquid alium cibum appetierunt Paulus primus Eremita, & Antoninus magnus, qui in ejus excessu à Deo illuc directus est, ut una cum duobus Leonibus sepulturæ sacrum Corpus traderet. Num Petrus in Crypta pœnitendo? Num Maria Magdalena dum audiret JESUM loquentem? Num alii Viri DEI qui se castraverunt propter regnum DEI?

Trium Tabernaculorum murus ex lapidibus mundæ Conscientiæ, habitûs, aspectusque Majestatis, & bonæ secundùm Deum voluntatis, veris omnibus Christi servis erigendus est. Est conscientia primus lapis apprimè necessarius; quia docente Apostolo, *gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*; quippe, quæ est Paradisus, in qua plantatur lignum Vitæ, & Cœlestis Sapientiæ, & cujus tanta est vis Joanne Evangelista teste: *quod si cor nostrum non repræhenderit nos, fiduciam habemus ad DEUM, & quid quid petierimus accipiemus ab illo.* Præfulget deinde & lapis Majestatis habitus, & aspectus Deo servientium propter præceptum Domini JESU. *Nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus.* Undè, quia Deum nemo decipere potest, contra quem *non est consilium, non est sapientia, non est prudentia*, meritò de hypocritis illa promulgata est sententia. *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* His autem addendus est preciosissimus, ac fulgentissimus omnium lapis bonæ voluntatis, quia scriptum est, *quam bonus Israël Deus his qui recto sunt corde.* Deus enim in servis suis cor inspicit intus; quàpropter nil ditius offertur Deô bonâ voluntate, quam qui facit, manet

net in æternum, ficut ècontra malâ voluntate mifer quisque efficitur, quod accidit quoties voluntas hominis avertit fe à fuperiori incommutabili bono, & ad inferiora convertitur. O magnum myfterium Camaldulenfes Filii, videte ne ullus veftrum aliud ponat in fpirituali ædificio fundamentum, præter id quod virtutum eft auctor, JESUS Chriftus. Videte, qualiter fuper ipfum nullum aliud poni poteft ædificium, præterquàm *gloriæ in excelfis Deo, & in terra pacis hominibus bonæ voluntatis*. Quis aliter fe affiftere poffe fperet cum anhelante Petro gloriæ fummi Regis JESU? & cum eo, atque aliis duobus perterritis Difcipulis ejus dulciffimam vocem audire? *furgite, nolite timere!* Tectum tabernaculorum in monte divinæ contemplationis cum Petro excitandorum ex tribus Eremi ftatûs potioribus muneribus diligentiffimè aptandum eft. Ea funt, *Oratio perpetua, Silentium, & obfervantiæ fanctæ rigor*. Oratio, quia omnis ædificationis fpiritualis fecuriffimum operimentum orationis trabibus fuftineri imprimis dicitur; quæ in re exemplo funt Jofue, & Prophetæ, quorum ille folem ufque ad alteram diem ftare ne advefperafceret, impetravit, ifti cum Deo locuti, & videntes propterea apellati funt; ad infinuandum nimirùm nobis, quòd fervorum Dei oratio, fit locutio ad Deum, & quod nemo fe fecurius in fpiritùali contubernio continere poteft, quàm perpetua oratione mediante, ad quam utique nos Propheta invitans inquit; *benedic anima mea Domino & omnia quæ intra me funt nomini fancto ejus: & rurfus, benedicam Domino in omni tempore, femper laus ejus in ore meo*. Et Dominus. *Orate & nunquam deficite*. Secundò filentium, quia fcriptum eft, *cultus juftitiæ filentium*. Unde Propheta, *Silui*, inquit, *à bonis*; quid quid enim non ædificat, in periculum vertitur dicentium

tium & audientium; sermoque vanus vani spiritualis ædificii index est; quia subrepunt sensim abstractionis mentis venti, cadunt desuper imbres & pluviæ tentationum, atque variarum cogitationum, quibus homo ad libidinis incentiva, & in reliqua vitia prolabitur, ad mundi inanem gloriam accenditur, & in ocio superfluaque dormitione marcescit. Tertio. Observantiæ rigor. Quia sicut nullum manufactum ædificium absque suis compagibus, atque trabibus, seu catenis diuturnum esse potest, ita nemo in sacra militia contemplativæ vitæ structuram, quæ citò collapsura non sit, & interitura, facere potest, nisi ex compagibus Charitatis, catenisque perseverantiæ, atque patientiæ, eam diligentissimè formare, stabilireque studeat. Id enim est, quod in divinis paginis habetur, quod dum Elias diù famis angustiâ pressus cœlestem cibum meruit accipere, & Joannes Baptista, qui locustis, melleque sylvestri, camelorum pilis indutus, vitam longo tempore sustentavit, Agnum Dei Christum JESUM digitô dignus fuit ostendere. Id, quod Moyses jejunaverit diebus XL. ut legem populo Dei promulgandam acciperet in monte. Id, quod ait Salvator, non qui incæperit, sed, *qui perseveraverit usque in finem salvus erit.* Id, quod uxor Loth retrò aspiciens in statuam salis versa est: tanta est subtilitas spiritualis, sanctæque in Dei servitio perseverantiæ, patientiæque virtus & efficacia. Enim verò sapientes estis vos Architecti Camaldulenses Discipuli, qui in montem, ut dicebamus, venistis, in quo cum Petro assistentes JESU in gloria constituto, tria Tabernacula ædificetis. O quàm felicissima omnium erit hæc Sacro-Sancta Eremus, si vos tales artifices. ac Magistros in eis excitandis exhibebitis successuris vobis Fratribus, ut pro stabili eorum fundamento quilibet fidem humili-

militatemque Publicani ardentissimè consectetur, qui stans à longè non audebat oculos ad Cœlum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: *DEUS propitius esto mihi Peccatori*; hæc est enim Scala Jacob quæ à terra in Cœlum vertice pertingebat. Hæc est quadriga, qua Elias raptus est in Paradisum: hæc est virga, in qua Moyses signa & prædigia coram Pharaone patravit, maria aperiri, & rursus in unum misceri fecit. In ædificii verò reliqua perfectione charitas nunquàm refrigeat: vigeat sanctæ observantiæ fervor, cadat cœlitus Manna sacræ lectionis, assiduè non desit in Altari panis vivus esurientis animæ, expurget quisque ita se à commissis delictis, ut ne in veniali quidem peccato, quantùm per fragilitatem licet, se Deo mentiri patiatur. Peragatur opus Dei tali devotione; ac fervore, *ut comedat vos zelus domus Dei*; Et in conspectu Dei psallatis, *& serviatis Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Quid quid temporis residuum fuerit, privatæ orationi, cœlestiumque meditationibus impendatur, aut scribendo, vel quid aliud honesti operis faciendo tribuatur. Adeò ut ne punctum quidem temporis prætereat, quin fratres aliquid semper honesti operis faciant. Id enim est quod ajebat S. Hieronymus, *Castrum mihi carcer est, & solitudo Paradisus*. Hæc vox, quæ ad Arsenium in palatio Principis facta est, *fuge homines*, *& salvaberis*. Hæc ratio, quà vos vitatô Urbium populique concursu huc Deo in deserti confragosa, aspera, montuosaque regione militare duxistis. Porrò Filii Camaldulenses, si homines naturalium rerum Philosophiæ, contemplationique dediti procul omni mortalium curâ frequentiaque, abditas sylvas, latebrosos montes, ac singulares recessus perquirere consueverunt, nempe, ut exoptato ocio sibi frui liceret. Si Democritus Abderides Philosophus insignis, ocu-

oculos sibi ultro propterea eruit, quod rerum naturalium Philosophiæ sibi impedimento esse viderentur. Quantò magis Eremitarum, Cœnobitarumque studium in eo maximè versari debet, ut abstractus Frater ab hominum frequentia, non modò in Eremiticam Cœnobiticamque Philosophiam in Eremo, seu in Cœnobio procul omni impedimentô incumbat, sed etiam velut cœcus, mortuusque mundo, Deo vivat. Humana namque Philosophia tantummodò circa naturalia versatur, Divina verò, Cœlestia & æterna, rimatur. Illa secundùm hominum traditionem est, hæc secundùm traditionem Spiritûs Sancti. Illa Professores suos cum morte deserit, hæc JESU Christi Servulos Angelicam vitam in terris agere facit, & in Cœlis æternam. O Excelsam Eremitici studii militiam! O vitam sanctam! vitam perfectorum, & semper magis ad perfectionem tendentium! vitam Angelicam, non humanam! vitam pœnitentium, vitam contra mundum, carnem, & Dœmones pugnantium, vitam ad Deum fugientium. O desertum Christi floribus vernans, O solitudinem in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi Civitas magni Regis extruitur. O charissimi ac dulcissimi Camaldulenses Filii, ligate hæc in cordibus vestris. Amate solitudinem, perseverate in Eremi convictu, capessite ejus Philosophiam, aspirate toto spiritû ad Cœlestes delicias ut ad sancta Paradisi gaudia per ejus studium pertingatis.

Libuit hæc Filii dulcissimi, & in Domino JESU desideratissimi monita vobis tradere, ac relinquere. Non quidem; vel quia de promptissimo animi vestri proposito, vel de humilitate, vel de patientia, vel de fortitudine, atque constantia, sive de perseverantiæ spe, aliquid dubitem, quos in sancto Dei servitio valdè confirmatos jam diù cogno-

cognovi. verùm paterno amore, Deique charitate adductus: ut novissima hortamenta, in ultimo meo à vobis discessu ad consolationem quoque posterorum non desint. Parcite dulcissimi filii lachrymis, nolite ex mea discessione contristari. Ego *bonum certamen certavi, cursum consummavi*, reliquum est, ut nîl magis cupiam, quàm *dissolvi & esse cum Christo.* Relinquo vobis dulcissimi in Domino JESU filii Camaldulenses, testamentum pacis & mutuæ dilectionis in vinculo sanctæ Charitatis: nec non benedictionis DEI, & Domini nostri JESU Christi. Et sicut benedixit Isaac, Jacob, & Jacob Joseph filio suo, pax DEI, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corpora vestra, & intelligentias vestras in omni opere bono, & justitiæ cultu in veritate, & sanctitate timoris DEI, & D. N. J. C. qui est benedictus in sæcula, Amen.



CAPUT XLI.

Sanctus Romualdus Theodaldo Episcopo ante mortem suam Eremum, & Camaldulensem Familiam commendatam relinquit.

POstquàm Beatissimus Romualdus finem dicendi fecit, mox inter lachrymas, & amplexus, singulis fratribus in osculo sancto salutatis, ab Eremo discedens ad Reverendissimum Theodaldum Episcopum Aretinum divertit, ut ab illo ultimam benedictionem pro mutua inter sese observantiæ veneratione, ad Cœnobium Vallis Ca-

ſtri migraturus reportaret, pariterque ſacrum Eremi, ac Fontis boni locum cum omni familia, ejus præſidio ac patrocinio commendatum relinqueret. Audiens ergo Pontifex ſervi Dei adventûs cauſas, difficile dictu eſt quantô ex ipſa ejus diſceſſione mœrore fuerit confectus, & quantùm Pater ſanctus operæ ac ſermonis inſumpſerit, ut ei perſuaderet, ſic voluntatis Divinæ eſſe, ut alibi, quàm in ſacra Eremo Camalduli, depoſitum corporis ſui usque ad diem octavæ ſanctiſſimæ Reſurrectionis, deponeret. Quibus rationibus, uti Deo in nullo contrarius, demùm Præſul aquieſcens. ſanctum Romualdum à ſe prius dimittere noluit, quàm longis de Cœleſti gloria protractis invicem ſermonibus, & quòd ſæpe, cum ejus copiam haberet, facere conſueverat, ejus pedibus proſtratus peccatorum admiſſorum generali expiatione factâ. Cui, cum in omnibus Pater ſanctus feciſſet ſatis, proſtremò ſacram Eremum & Fontem, bonum, ac novam aſſurgentem Camaldulenſem familiam eidem uti ſingulari Patrono in viſceribus Charitatis Domini JESU etiam atque etiam commendavit. Cui extunc pientiſſimus Antiſtes patrocinari ob ejus memoriam ſic cœpit, ut uſque dùm vixerit nunquàm ejus commodis, & amplificationi ſtudere deſierit: cujus veſtigiis ſucceſſores quoque, uti dicetur, mirandum in modum incubuêre.



CAPUT

CAPUT XLII.

Theodaldus Episcopus Aretinus Camaldulensium patrocinium init, sacramque Eremum Donationibus ac Privilegiis primus exornat.

INterea Deo plenus Antistes Theodaldus Anno 1027. post felicem S. Romualdi transitum videns pauxillum gregem in solitariæ militiæ exercitatione plurimùm in dies proficere, subvereri cœpit, ne nimia loci omnium rerum sterilitas, paupertasque obstare possit, quo minùs in hujusmodi sanctæ vocationis proposito validiùs imposterum firmarentur, nisi aliquô auxiliô sublevati. Congregatô igitur S. Aretinæ Ecclesiæ Clericorum ordine, Mense Augusti in Claustro Canonicorum copiosam, gravemque ad eos habuit orationem: per quam eis in memoriam revocavit: qualiter S. Romualdus Camaldulensem familiam suggerente Spiritu sancto in Beatissimi Donati territorio instituerit, eamque studiosissimè in ultimo suo recessu sibi per viscera Charitatis Christi commendâsset. Se non semel ad sanctum locum accessisse, vidisseque eandem in dies in summa Vitæ disciplinæ austeritate: in Dei vero cultu, ex sanctissimis exemplis, atque populorum concursu, proficere; adeò ut splendore ejus non Tuscia modo, sed universa Italia, ac totus fermè orbis terrarum maximopere propterea illustretur. Sacram familiam rerum omnium, quæ ad sustentationem necessariæ forent, ob loci infœcunditatem, adventantiumque hospitum frequentiam, multùm inopiâ premi. Cùm veò Deus nulla alia ratione pauperes faciat, nisi ut probet divites, di-

cens per Prophetam: *frange esurienti panem tuum, & carnem tuam ne despexeris.* Et Apostolorum Princeps. *Pascite eum qui in vobis est gregem Domini.* Cujus sententiam magis explanans Doctor gentium dixit: *si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* His omnibus de causis sua, & totius Civitatis præsentia perorando conclusit, temporalibus sacræ Eremi commodis, ejusque dignitati atque incolumitati velle prospicere. Qui omnes cum libentissimo animo Pontificis consilium laudassent, ille primam Donationem, primumque exemptionis, ac libertatis Privilegium sacræ Eremo concessit. Cujus tenor est hujusmodi.

In Nomine sanctæ & in dividuæ Trinitatis, Theodaldus sancti Donati Vicarius. *Si servis DEI, eisque maximè, qui divinæ contemplationi insistunt, de bonis Ecclesiæ vitæ necessaria conferimus, sanctorum Patrum statuta proculdubiò servamus. Dignum quippe est, ut his, qui intra sanctam Ecclesiam Mentes suas in Cœlestibus defixas habent, Rectores Ecclesiarum temporalia commoda subministrent. Quapropter omnium fidelium Christianorum hoc dilectio noverit: quod nos ab amorem piæ memoriæ spiritualis Patris nostri D. Romualdi clarissimi Eremitæ comuni consiliô, & consensu Fratrum Clericorum nostrorum donamus, & concedimus pro remedio Animæ nostræ, omniumque successorum nostrorum Episcoporum D. Petro Venerabili Eremitæ ad usum, & sumptus confratrum Eremiticam Vitam sub eo ducentium, suisque successoribus Eremitis quandam Ecclesiam in mediis alpibus juris Episcopalis sancti Donati, quàm nos rogatu præfati D. Romualdi Eremitæ consecravimus sub honore & nomine Domini nostri JESU Christi sancti Salvatoris, consistentem in territorio Aretino ad radices alpium dividentium Thusciam, & Romaniam, in loco qui dicitur CAMPO MALDULI per sua loca designata. Primo*

igi-

igitur latere præcurrit rivus, qui vocatur niger, cui ècontra obviat quidam alius rivus, qui dicitur de tellito, ambo pariter emergentes in rivum cujusdam fluminis. De secundo latere est via descendens à summis jugis alpium. De tertio latere sunt feri montes apud intonsa juga alpium. De quarto latere sunt Sicheta prorumpentia in præfatum rivum nigrum. Intra præfixos igitur terminos enitet ille locus, qui dicitur CAMPO MALDULI: Campus speciosus & amabilis, septem purissimi fontes, & amœna vireta. Hunc igitur locum D. Romualdus pius Eremitarum Pater delegit, & providit aptissimum contemplativæ Vitæ DEO servientium: constructaque inibi Basilica sancti Salvatoris, quinquè cellas cum suis tabernaculis ibidem distinxit, atque ab invicem separavit; sed & singulis cellis singulos deputavit fratres Eremitas, qui sæcularibus curis, & sollicitudine remoti, soli divinæ contemplationi insistant. Quibus etiam Venerabilem Eremitam Petrum tanquam fidelem Ministrum, & præceptorem dedit. Cui nos quoque cum nostris posteris successoribus, ut cum denominato sancto Viro Romualdo partem in æterna vita habeamus, largimur memoratum locum secundùm præfixos terminos ad usum Fratrum Eremitarum pro tempore ibidem DEO famulantium, atque per paginam hujus nostri privilegii eum investimus in his omnibus, quæ infra designatos terminos nos hodie ad manum nostram habemus & detinemus. Præterea addimus prælibatæ Ecclesiæ sancti Salvatoris ad usum, & sumptum confratrum Eremitarum medietatem Ecclesiæ S. Miniatis in Villa, quæ dicitur Alina, una cum medietate unius Mansi, & Donnicati sicut regitur per Vivalem, & Bonizonem Presbiteros cum decimatione ejusdem Villæ de Alina, sicut Petrus Abbas de Campo leonis in commutatione à nobis habuit, & nos hodie recipimus, & ad manum nostram tenemus. Donamus etiam eidem Ecclesiæ S. Salvatoris Mansam unum in Monte, sicut quondam rectum fuit per Ursum Manfredi, & modo regitur per quosdam suos nepotes. Sed & ad

usum

usum & sumptum confratrum Eremitarum pro tempore ibidem solitariam Vitam agentium concedimus illi Venerabili loco Sancti Salvatoris integras decimationes totius Villæ quæ dicitur Larinano: constituentes inviolabiliter, ac præcipientes, ut de omnibus quæ incolæ illius Villæ laboraverint, passim per quascunque alias Villas & loca, soli illi Vener. loco S. Salvatoris nominaliter integras decimationes DEO reddant, sicut prædictus Petrus Abbas in concambio à nobis habuit, & nos ad manum nostram habemus & tenemus. His igitur illi almo loco S. Salvatoris in alimoniam confratrum Eremitarum ita concessis statuentes, & cum universo Clero nostro per omnia corroborantes præcipimus, ut ipsi Fratres Eremitæ, qui ibidem pro tempore DEO servierint, nullo unquàm tempore sese, suosque actus ad aliam, præterquàm Eremiticam, & solitariam atque contemplativam Vitam transferant, nec unquàm liceat eis ipsum sanctum locum ad Cœnobitarum Monasterium retorquere. Quia ergo quod nos pro salute & remedio animæ nostræ, nostrorumque successorum Episcoporum DEO obtulimus, per æterna sæculorum spatia ratum, firmum, atque inconvulsum debet permanere per DEUM omnipotentem, & Dominum nostrum JESUM Christum, sanctumque Spiritum interdicimus, & modis omnibus inhibemus, ut nullus noster Successor Episcopus Aretinæ Ecclesiæ prædictum Fratrem Petrum Eremitam, suosque posteros Successores Eremitas de his, quæ S. Salvatori concessimus ad usum, & sumptum Fratrum Eremitarum, aut ipsi à nobis, aut aliis hominibus aquisiverint deturbare, molestare, inquietare, aut ullam diminutionem inferre præsummat. Quod qui fecerit (nisi emendaverit) in die tremendi judicii se se tanquàm sacrilegum, à Domino judicandum pertimescat. Ut hæc igitur nostra donatio à nostris posteris Successoribus Episcopis per æterna sæculorum spatia conservetur, & conservata jugiter permaneat, hujus Privilegii paginam manu propria confirmari, & muniri Sigillò sanctæ nostræ Ecclesiæ, corroborarique jussimus.

CAPUT

CAPUT XLIII.

Episcopus Aretinus, si ad inopiam deveniat, ab Eremo Camaldulensi honestè inter teneri debet.

TAndem tractu temporis orta est controversia inter Episcopum Aretinum, & Priorem, atque Eremitas Camaldulenses: propterea quod ipse Episcopus prætenderet jura Patronatûs in sacram Eremum, & quædam loca, Oppida, & Prædia, quibus sacra Eremus ab Episcopis Aretinis in præjudicium Successorum (ut sibi videbatur) jam olim aucta, illustrata, datatáque fuisset. Usque adeò, ut cùm major pars patrimonii S. Donati in Eremitas sic collata fuisset, alimentorum quoque jura, si quandò ad inopiam vergeret, sibi competere existimaret. Econtrà verò Eremitæ vigore translationis pleni dominii in Eremum omnium donatorum locorum; nec non virtute Privilegiorum tum Apostolicæ sedis, tum Imperatoriæ Majajestatis; se se ab omni hujuscemodi jure immunes, ac liberos efficere contenderent. Cùm autem memoratus Episcopus prætensa Jura in Eremum diutiùs prosecutus fuisset, Honorii Pontificis demùm intercessit auctoritas, quâ hujusmodi controversia finaliter decisa est. Ut, videlicet, Episcopum; uti optimè, ante omnes alios, de sacra Eremo, déque toto ordine Camaldulensi meritum, veluti præcipuum Patronum recognoscant. Ipse verò Episcopus ut olim, ita imposterum sacræ Eremi, & totius Ordinis Camaldulensis patrocinium semper studiosissimè agat. Si quandò verò (quod absit) ipsum

vel Successores ad indigentiam rerum necessariarum tendere contingat, Eremitæ honestum victum, decentemque vestitum cum duobus famulis eidem officiosissimè suppeditent. Possitque propterea ab eo semper impediri, quò minùs dissipationem Fremi Bonorum faciant, maximè ex Episcoporum Aretinorum largitione collatornm; aut eadem suspectis Episcopo personis, vel ejusdem inimicis quôcunque modô alienent. Utque electionem novi Prioris Eremi infra duos Menses literis, vel Nunciis Episcopo significent Eremitæ; absque tamen electi præjudicio. Advenientemque semel in anno Episcopum Diæcesano jure ad Eremum cum moderato Virorum, & equorum numero teneantur cum honore excipere; ille nihilominùs cum tota familia cibariis communibus contentus maneat. Cæterùm nullam sacræ Eremo, vel Ordini ab ipso injuriam inferri debere. Datum &c.

CAPUT XLIV.

De felicissima, sanctissimaque Beatissimi Patris Romualdi morte in Eremo Vallis Castri.

MUltis fuit perquàm utilis sancti Patris Romualdi oratio, multorum animas & corpora sanavit ejus doctrina & benedictio, omnemque Italiam sanctitatis ejus replevit opinio. Sub cujus regimine sancto, & mirifico; in regulari observantia Cœnobitarum pollebat veneranda Congregatio. Omnes in comuni viventes absque proprio, gestiebant unanimiter placere Altissimo, circumsepti Patris sancti admirandâ vitâ, & exemplô. Et ut infinita, brevi sermone compre-

comprehendam: bonum medium Italiæ in Romualdo indulserat Christus. Quis non tristitiam mutavit in gaudium apud Romualdum? quis non iram vertit in pacem? quis turbatus luctum ad ejus non mutavit aspectum? quis non abjecto paupertatis mœrore, statim & divitum despexit opulentiam, & suam lætatus est paupertatem? quis post lassitudinem Monachus non ejus refectus est aspectibus? quis adolescens ætatis succensus ardoribus, non ex ejus admonitione pudicus factus est & castus? quis vindictæ cogitationibus distractus, non sanô animô est ab ipso regressus? sciebat, enim Pater sanctus, quô quisque laboraret incommodô, & ex Vitæ merito discretionem spirituum, agnoscens, adhibebat unicuique verborum, prout erant vulnera, medicinam. Unde factum est, ut innumerabilis multitudo Nobilium & ignobilium, senum & juvenum, ad ipsum confflueret, & quasi ruinam mundi fugiens, Christo servire sub ejus Magisterio affectaret. Quos sanctus Pater benignè suscipiens, docebat vanitatem Mundi despicere, & desideria carnis elidere, ac in regulari observantia vivere, jugiterque permanere.

Post hæc sanctus Pater Romualdus videns Monasterium Vallis Castri regulari observantia optimè ordinatum, maximè multitudine Fratrum copiosè repletum; nec ampliùs dubius de celeri sua resolutione, cellam sibi ædificari cum Oratorio haud procul à Monasterio inter duos altissimos Montes in nemore præcepit, in qua recluderetur, ut silentium usquè ad obitum observare posset; factô itáque reclusoriô, cùm mens ejus in eo esset, ut jam ingrederetur perpetuam reclusionem; convocatâ universâ fratrum multitudine ita prolocutus est. *Ultimam filioli Patris audite sententiam; non enim arbitror; ut in hoc sæculo ampliùs vos videam:*

cogit namque conditio Naturæ humanæ, ut post centenarium numerum, quem annis jam viginti supergredior, tandem resolvar. Ita locutus audientium fratrum pectora nimiùm quantùm contristavit; móxque gemitus & lachrymæ, verba secutæ sunt. Amplexabantur universi fratres Senem cum lachrymis, quasi jam ampliùs non visuri. At ille tanquàm aliena deserens, ad propria proficiscitur, magna cum lætitia properans ad Reclusorium.

Quadam igitur nocte, cum solus in cella oraret, cœpit paulatim corporis virtute destitui, & ingruente molestiâ graviùs fatigari: viditque in spiritu Angelorum cuneos, quasi scintillas in arundineto discurrentes, in sui venire obsequium. Mox Vir sanctus intelligens Salvatoris quoquè adesse præsentiam, non quasi funeris, sed jam quasi præstolatæ gloriæ suscepit triumphum, in manus Domini suum commendans spiritum. Nimirùm qui sic obiit ut prædixit, illuc transiit quò speravit. Nunc igitur inter vivos Cœlestis Jerusalem lapides ineffabiliter rutilat, cum ignitis beatorum spirituum turmis exultat, candidissima stola immortalitatis indutus, ab ipso Rege Regum vibrante in perpetuum diademate coronatur. Sole itáque jam ad occasum vergente, præcepit duobus fratribus qui adstabant, ut foras exirent, cellulæque januam post se clauderent, ac post matutinas laudes ad se remearent. Cúmque illi de ejus fine solliciti velut inviti exirent, non statim ad quiescendum properant; sed ne Magistrum obire contingeret anxii, pretiosi thesauri talentum prope cellulam latentes observant. Aliquandiu igitur commorantes; cùm deinceps curiosis auribus attentiùs auscultarent, & néque motum corporis, neque sonum vocis audirent, jam quod evenerat, rationabiliter opinantes, perfractâ januâ, velociter irruunt, lumen accendunt, & beatâ

animâ

animâ in Cœlum raptâ, supinum jacere sanctum cadaver inveniunt. Jacebat itáque velut neglecta tunc Cœlestis Margaritha, in summi postmodùm Regis ærarium honorificè reponenda. Rumor confestim de transitu sancti Patris Romualdi totum stupendo sonitu concutit Monasterium, currunt mœrentium fratrum agmina, omnes lugentes veniunt à primo usque ad ultimum, plangunt filii destituti sancti Patris aspectu, & quem ultrà, ut prædixit, visuri non essent, cum lachrymis prosequuntur. Dolent amarissimè totum ipsorum solatium cum illo recessisse, & se in valle lachrymarum relictos, non jam à suo Magistro ulteriùs consolandos. Vix à dilaceratione corporum solus pudor continet manum. Imperat claustralis censura silentium, extorquet vis doloris gemitum, & singultum. Tument lachrymis facies, & novas adhuc aquas moribundi cordis impetu subministrant. Accurrunt Comites Camerinæ Provinciæ cum caterva Militum, & multitudine armatorum, ne forte de pretioso thesauro, qui jacebat in medio, pati contingeret detrimentum. Commovetur etiam totius Marchiæ provincia, atque infinitâ multitudine gentes inundant, omnesque sanctum, omnes Deo charum Romualdum proclamant, & inter laudum verba, nonnulli præ gaudio lachrymis manant. Fratres quoque memores, quòd Advocatum perpetuum, & Patronum præmiserint ante Deum, & ipsi luctum proprium convertunt in gaudium, & cantum mæroris mutant in jubilum laudis. Levatur pretiosum pignus, cum hymnis & laudibus ad Monasterium Vallis de Castro portatur honorificè tumulandum. Veneremur itaque & nos Nationis Ungaricæ Eremitæ, & votivis honoremus obsequiis sanctum Patrem nostrum Romualdum, perquem omnipotens DEUS totius Ordinis nostri voluit illustrare con-

ventum; ut dum gloriosissimum Patrem nunc amando, & imitando prosequimur, ipso intercedente ad gaudia Regni Cœlorum pervenire mereamur. Quod nobis præstare dignetur.

JESUS Christus DEI Filius, qui est super omnia DEUS benedictus in sæcula, Amen,



CAPUT XLV.

Romualdi Cannonizatio à Pontifice Maximo, Joanne XX. facta; ejusque Corporis incorruptio.

A prima die qost felicem nostri Romualdi ad Cœlum transitum, universo Orbi ejus sanctitatem Omnipotens Deus testatam reddidit: ad sepulchrum namque ejus ex longinquis terrarum partibus toto annô, maximè verò ejusdem festivitate Fidelium multitudo concurrens cupita recepit beneficia. De Miraculorum ejus frequentia *Petrus Dam. Episcopus Ostiensis* hoc in Fastis suis perhibet testimonium: quæ, *inquit*, apud sepulchrum ejus fiunt miracula, tanta sunt; ut melius putemus cuncta silentiô præterire, quàm narrare. Corpus ejus effossô post quinquennium tumulô, teste ante citato fideli Scriptore, sanum illibatumque reperiunt, velut tunc fuerat, cùm sepulturæ illud primitus tradiderunt. His impulsus summus in terris Christi Vicarius Joannes XX. sine aliquô alio processu quàm totius Italiæ testimoniô post suæ beatæ mortis quinquenium cum Maxima Ordinis sui gloria eum Sanctorum cathalogo adscripsit. Anno reparatæ salutis 1032.

De

De reseratione Corporis Sancti Patris Romualdi, & Epistola Michaëlis Abbatis venerabilis.

ANnô à partu Virginis millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto, Michaële à sancto Laurentio Montisfalisci Abbate, cum incidisset sermo inter suos Monachos, utrùm Corpus sacratissimum Sancti Patris Romualdi in Sepulchro adesset, necne; dicentibusque nonnullis, non esse impossibile, quin ex variis rerum, ac temporum mutationibus Sarcophagum aliquando temeratum fuisset: refellentibusque aliis argumentum ea potissimum ratione, quia Sepulchrum integrum in omni sua parte appareret; factum est, ut unus ex illis omnium audacissimus, Bartholomæus nomine, sic divinâ disponente providentiâ, quomodo sese res haberet, tacitus videre velle dispofuerit. Is noctis tempore ad sepulchrum accedens cum quodam complice, cuneisque vasto superiori lapide per vim elevato: facinoreque detecto; die vigesima secunda Novembris, mirabilia Dei ex illius audacia eô modô patefacta: sicut ipse Venerabilis Michaël Abbas his verbis testatum per suam Epistolam reliquit.

Spectabilibus ac Venerabilibus Viris Prioribus, & comunitati Sancti Quirici salutem.

DEcet meam parvitatem per omnia primum aperire literis meis, & quid mirandum nuper illuxerit, insinuare. Notum quidem est cunctis, tam de Provincia Anconitana, quam de tota Italia, sanctissimum Romualdum, qui fundavit primordia nostræ Religionis, in Monasterio Vallis Castri per quadringentos & quadraginta, vel circa annos jacuisse invisum, & anteaquàm tumulus ejus patefieret nobis, omnes qui illuc confluxêre à die sepelitionis

ejus

ejus Sacro-Sanctum corpus sedulo veneratos fuisse. Placuit novissimè sanctissimo Patri (licet per temerarium & præsumptuosum, Sarcophagum illud fuerit apertum) se diebus istis palam facere obtutibus nostris, ut quod diu latuerat, ad infidorum fortasse confusionem se visibile faceret mortalibus oculis. Vidi propriis oculis sanctissimum cadaver sacco cilicino vestitum usque ad talos, desuperque parvo habitu posito. Accersivi Primates Fabrianenses, ut ad tale spectaculum visendum properarent. Qui omni mora postposita, una cum Præsule Camerinense, atque Commissario Apostolico, adjuncta maxima Virorum multitudine ad monumentum ipsum Vallis Castri accesserunt. Stabant circa sepulchrum vehementer attoniti, videntes sanctissimum Virum ætate longævum (nam centesimum & vigesimum annum transegit in terris) & diuturnitate quadringentorum quadraginta annorum, vel circiter, ibi jacentem, maximam devotionem, præcipuamque venerationem præseferentes. Quo viso Præsul Camerinensis assurgere è tetra cœpit, omnibusque accurrentibus præter visum à tactu prohibuit dicens; quisque aspicere, non tamen tangere Sacro-Sanctas reliquias debet. Postquàm prohibitionem ex sua liberalitate quadraginta dierum veniam advenientibus indixit. Lætetur modo sancta Mater Ecclesia, quæ una cum cæteris sanctis Beatissimum adscivit Romualdum. Gaudeat non solum Fabriana tellus, verùm Provincia omnis, in cujus gremio noscitur consedere. Plaude & tu Quiriquina tellus, quæ talem, ac tantum tua juxta confinia meruisti Romualdum habere sanctissimum. Quem si tota animi devotione, ac fide integra imitati fueritis, pro certo sciatis vobis adesse propitium. Timeant vehementer illi, qui vobiscum incolunt, non verentes procacissimam linguam adversus illud Venerabile corpus commovere. Expectent paulisper ultionem, qui nituntur adversari veritati. Placuit igitur mihi, pro eximia affectione, quam gero erga Terram & Claustrum vestrum hæc scribere, ut tanti Viri mirabilium, ac meritorum participes efficiamini. Bene Valete. Die 3. Decemb. 1466.

Inte-

Interea missis nunciis Camaldulum, quæ gesta fuissent in primis Marioto Generali nunciata sunt. Qui factus certior rem magni momenti talem accidisse, adeò ut nemo, ipso absente, quicquam deliberare auderet; festinanter iter in Picœnas arripuit, circumstantium Prælatorum comitante caterva; acriusque solitò impulsis equis, Fabrianum ad 15. diem pervenit. Ibi autem visitato Episcopo, impetravit sibi tradi ipsum Bartholomæum Monachum detectionis auctorem, quem in vinculis habebat; ut scilicet secundùm libertatem privilegiorum in eum per se animadvertere posset; qui nec leves quidem suæ temeritatis, admixta misericordia, luit pænas. Porrò dum Mariotus Generalis in Cœnobio sancti Blasij Fabriani degeret, dum nobiles quique illum visitatum adirent; gestiebant multi ennarrando miracula, quæ Deus Optimus Maximus ad sacratissimum Corpus patrare dignabatur in horas. Quæ cum ille digna reputaret, quæ posteritati commendari deberent, eam operam Joanni Juliano à Laterino Notario, & Scribæ suo demandavit, se dictante. Ea nos in Bibliotheca sancti Mathiæ Murani invenimus, sicut Maurus Lapius illa ab ipso Domino Generali, & Michaële Abbate acceperat, & ex originalibus transscripserat. Tertia autem die advenienti Generali ad Vallis Castri Cœnobium, occurrit Monachorum conventus cum processione, ipse verò Templum ingressus, & sacratissimum Corpus pronus reverentissimè in primis adoravit, & tres Ulnas serici panni illi obtulit. Cum verò propter podagram Missam canere non posset, ab uno ex sociis Prælatis id muneris præstari voluit. Ecce autem inter Missarum solemnia, mulier unicum filium in ulnis gestans, duos cereos sacrato Corpori offerre nititur, sed nimia populi multitudine, quæ aderat, impeditur ad

illud

illud accedere. Cui populi frequentia denique per strictum callem locum dante, illa propius ad Sepulchrum facta, gratias agere Deo, & Sancto Romualdo exsatiari non poterat; narrans quomodo filius à media corporis parte jam deperditus, & contractus, meritis sanctissimi Patris in vota invocati fuisset liberatus: quæ res omnibus lachrymas ob lætitiam excussit.

Miracula que in detectione Corporis Sancti Romualdi facta fuêre.

MIracula quæ DEUS Optimus Maximus in detectione Corporis sancti Romualdi facere dignatus est, plurima notata fuêre Retulit Marioto Generali Antonius Fabrianensis de nepte Filia sororis suæ quæ adeò membris contracta erat, ut non posset se movere, nisi quatenus à domesticis gestaretur, idque replens totam domum clamoribus, sed hæc commendata à marre Sancto Romualdo, illico suis pedibus ad sacrum Corpus cum cereo perrexit, benedicens Deo, viditque illam ipse Generalis Sanam cum aliis Prælatis, Retulit Tiburtius, quòd Bartholomæus cæmentarius murum in sua vicinia erigens, ex ponte ligneo cadens cum machina tota, & S. Romualdum invocans, lapidum, ac lignorum congerie obrutus, mox illæsus inde exivit, stupentibus cunctis, qui accurrerant, & Deum laudantibus. Venitque ad Generalem, & quomodo per merita sancti Patris vitam haberet, ennarravit.

Retulit Paulus Eques, quod cum ipse Româ remigrasset, in febrim maximam inciderat, adeo ut medici de salute desperassent. Cum ille interea se devotissimè Sancto Romualdo

mualdo commendans; ex improviso leviorem à febri redditum esse cognovit, redeuntesque Medici stupuerint.

Filia Marioti rustici à Cerreto Fabriani tumore ingenti poplitis vexata, perexerunt parentes ad sacrum Corpus, illam sancto Patri commendantes, redeuntes sospitati redditam invenerunt, & ad Vallem Castri adduxerunt.

Uxor item Casparis Oppidi Castelletti filium lactabat ernii, apostemate periculoso laborantem, pro cujus salute cùm votum emisisset, illum repente sanum factum deprehendit.

Filius item Angeli Fabrianensis tibiæ dolore crudeliter cruciatus, vim sibi fecit, ut ad Sanctum Romualdum pergeret, & confestim se liberum cognovit, & redivit lætissimus.

In agro Aesino boves arando Axillo exagitati, aratro Burim fugiendo in alvum & intestina Bubulci impegere. Qui domum relatus & medicamentis fotus, cum somnum capere vellet, nec posset præ dolore, visus est audire vocem sibi dicentem. Commenda te Corpori gloriosissimo Sancti Romualdi nuper in Monasterio Vallis Castri detecto, à quo sine dubio sanitatem recipies, quod cum fecisset, mox se ab omni vulnere sanatum cognovit.

Petrus Joannis in Oppido Arcarotti diuturno labore crurum impeditus, se sine baculo substentare non poterat. Is audita Sancti Romualdi detectione, votum vovit, & sanitatis gratiam se invenisse commeruit, & voto satisfacere non distulit.

Retulit Baptista Nicolai die 20. Dec. Domino Generali, quòd cum ejus filia gravissimis lateris doloribus torqueretur, ille timens ne moreretur, ad imaginem Sancti Romualdi, quæ habetur ad sancti Blasii Templum, tristisimus venit, devotissimeque ipsam illi commendavit; post preca-

tionem verò domum rediens, ex Uxoris relatione eam ſoſpitem eſſe cognovit ex inſperato.

Item Uxore ejus quartana febre crudeliter laborante, adeò ut quadam die ad extrema veniſſe videretur, adivit rurſus Baptiſta ipſam imaginem, orans Deum pro ejus ſalute, & S. P. & domum regreſſus, eam paritet convaluiſſe gaviſus eſt.

Retulit D. Bernardus Aretinus Prior ſanctæ Mariæ de Serra Maſſacii 17. Jan. in oppido Soci eidem Domino Generali; quod Frater ſuus, qui ſanguinis fluxum tres Annos patiebatur, meritis Sancti Patris Romualdi ſanitatis beneficium impetrarat, & quod Filius cujusdam ſui Filii ſpiritualis eandem gratiam, ſanatus ab ernio, receperat. Item quòd ruſticus ad ſecandum ligna egreſſus, & à quadam cadente arbore oppreſſus, ob commendationem ſui ſancto Romualdo liber evaſit.

Miracula ſcripta ſunt præterea numero 109. à Franciſco Hiſpano venerabili Eremita ſacræ Eremi, qui à Marioto Generali ad reformandum Cœnobium Vallis Caſtri miſſus, ibi ſex Menſes in ſummo auſteritatis rigore degit, & ſancto Corpori ſervivit devotiſſimus: diligentiſſimeque illa ex ore eorum, qui veniebant ad ſolvendum vota, notavit, & ad ipſum Generalem miſit, quæ in Bibliotheca ſancti Matthiæ Murani videri poſſunt, hic brevitatis gratia prætermittuntur.



Mira-

Miraculum de Uxore Petri Medicis Clarissimi Viri ex Epistola Venerabilis Abbatis Michaëlis Vallis Castri, & de scpulchri sancti Romualdi ultima Clausura.

Venerabili in Christo Domino Mauro Monacho in Monasterio sancti Matthiæ Murani Fratri amantissimo salutem.


CAptâ oportunitate Nuncii, placuit has Literas meas ad te mittere Frater, & Domine mihi semper honorandissimè. Licet namque jam dudùm complura ad te famâ per lata sint sanctissimi Patris nostri Romualdi miracula; hodie tamen nec dici, nec scribi potest, quàm mirabiliter se gerat hic mirificus Pater noster. Et ob id placuit Duci illustrissimo, ac Patri meo scribere de tanto sancto, illumque multis precibus adhortans, ut Regionis illius incolis gloriosum sancti Patris nomen manifestum reddat, & mirabilia, quæ omnipotens DEUS meritis sui sancti operari dignatur, clarissimis Civibus Venetianis significet. Petrus de Medicis Vir illustrissimus in solemnitate sancti Patris Romualdi aurea cuncta Altaris paramenta obtulit pro maximo beneficio, quod ab ipso Patre sanctissimo recepit Uxor ejus Lucretia, quæ longo tempore gravissimis, & inauditis excruciata languoribus, de Morte fermè ad Vitam restituta fuit. Hinc tu quoque Maure, Domine, & Frater mihi venerande, age cum Urbis tuæ incolis, tuoque interventu disponas illos, ut suâ largitate illustrare velint hunc sacrum locum: quatenùs meritis tanti Patris serventur & ipsi immunes unà cum Republica tota à morbo pestifero. His cursim exaratis; benevaleas. Ex Abbatia Vallis Castri die decima tertia Junii Anno millesimô, quadringentesimô sexagesimô octavô. *Frater tuus. Michaäl Abbas Vallis Castri.*

Dum hæc Deo Optimo Maximo per merita ſanctiſſimi Patris Romualdi exhibere populis beneficia placet, Mariotus Generalis ante ſuum diſceſſum locum opportunè reformare volens, ad conſolationem populorum, qui ita fieri flagitabant, utque Religio ibi, atque ad Sepulchrum ſancti Patris Romualdi in dies majora caperet incrementa, habito Prælatorum Conventu, hæc ordinat.

Ut in Cœnobio regularis obſervantia de cætero perpetuò vigeret: ſimul ut illuc quinque ex ſancta Camalduli Eremo locarentur Eremitæ, quos & matura ætas, & vitæ merita commendarent: quique optimè regulariter vivendi normam tenentes, & obſervantiæ initium præſtarent, & cæteros ibidem viventes ad bene regulariterque vivendum verbis & exemplis provocarent. Amovit præterea ex loco Monachos aliquot licentiùs viventes. Quoniam autem non ſine difficultate per ſolum Abbatem in ſpiritualibus, ac temporalibus regi, ac gubernari duo illa Monaſteria poſſent; videreturque Abbas alterius auxilio indigere, de conſilio omnium Prælatorum, necnon prædictorum Monachorum, Abbatisque voluntate, datus eſt ipſi Abbati pro adjutore in temporalibus tantùm, Abbas ſanctæ Elenæ, qui & conſtitutionem loci calleret, & rerum peritiam habere videretur. Nullô etiam Prælatorum diſcrepante, in eodem loco indictum eſt Generale Capitulum de Menſe Junii in feſto ſancti Romualdi proximè futuro ſolenniter celebrandum. Ad quòd ut convenirent, univerſi Ordinis Prælati, tùm pro negotiis Ordinis tractandis, tùm pro honore illius ſanctiſſimi Corporis diligenter ſignificatum eſt. Data deinde per D. Generalem fuit opera, ut Corpus ipſum Romualdi ſanctiſſimum arctiſſimis cuſtodiis traditum tegeretur, relicta ibi à ſuperiori parte ferrea crate, per quam inſpiciendi corpus

eò

eò convenientibus daretur facultas; minimè autem tangi, vel aliqua parte minui posset. Decretum postremò est, ut pecuniæ, cæteraque votiva dona, quæ continuò ad sancti Romualdi Corpus offerrentur, in ligneo stipite aliquo tutiori loco reconderentur. Et quoniam ob quorundam malignitatem dictarum pecuniarum, & munerum numerus minui videbatur; constitutum est, ut earum Reclusorium tribus clavibus custodiretur quorum primam Abbas ob dignitatem, alteram Capellanus, tertiam homines Oppidi Porcarellæ conservarent. Eodem tempore, inter cætera, missus est Abbas Anglarius ad Urbem Romanam pro obtinendis Indulgentiis ad consolationem, accurrentium Fidelium; pro quibus Impetrandis, ipsemet Ordinis Generalis scripsit literas compluribus Cardinalibus in Curia Romana valdè potentibus, & sacræ Religioni apprimè addictis.



CAPUT XLVI.

De translatione Corporis S. Patris Romualdi.

CORpus Sanctissimi Patris nostri, quod in Monasterio Vallis Castri prius fuerat conditum, post quadringentos & sexaginta annos aperto tumulo integrum fuerat repertum, eaque totius oris specie, membrorúmque ac vestium compositione, ut somnum placidè capientis, non tanto ante tempore defuncti præseferret imaginem. Quod dùm toto Orbi inclaruisset; non multos post annos duo Monachi subalpini, qui apud Patres Classenses sacræ Militiæ nomen dederant, de auferendo clàm sacro corpore impium consilium inierunt.

Mox oportunitatem nacti nocturno tempore vectibus, & cuneis saxum moliuntur, sceleratas sacro corpori manus injiciunt, quasi integrum sublaturi, sed vix attigerant, tùm habitu, ac carnis specie mox in cinerem delapsâ, ossa tantùm supererant, quæ illi festinanter rapta, ac multas in partes divulsa in saccum immittunt, temploque egressi, in seposito & inaccesso domûs latibulo ita condunt, ut omnem perquirentium sagacitatem fallere facilè possent. Summô mane in templum reversi, primi omnium surreptum Patris corpus exclamant. Strepitu, mœrore, luctu, Cœnobium totum permiscetur. Abbas, cellas omnes, omnes Templi ædiúmque angulos perlustrare, cuncta rimari, excutere incipit; sed incassùm: ergò missi protinùs, qui diversis itineribus frustrà sacrilegos persequerentur. Illi verò dies aliquot in Cœnobio commorati, nocte constitutâ, cum rebus quibusdam aliis è sacrario sublatis, pretiosum saccum conducto jumento imponunt, ac Æsium versùs iter arripiunt. Cumquè prope arcis portam ad Cauponam divertissent, ibique sacras reliquias in cubiculo diligenter clausissent, ut quædam ex iis divenderent, quæ postremò sustulerant, Urbem ingressi sunt. Insigne interea miraculum est consecutum. Puer Cauponis, ostium cubiculi, in quo sancta ossa posita erant, cum pertransiret, lucem quandam effulgentem visus sibi conspicere, rimis oculos admovet, ac statim perterritus, Parentem magna voce ad restinguendum incendium, quod ingens arderet in cubiculo, plorans inclamat. Præcipitat, moras Pater, inspicit per easdem rimas, volvi flammas ad tectum videt. Dejectis foribus, nullum ignis vestigium, nullæ flammæ repertæ. Vilis tantùm saccus humi positus cernebatur, quem Caupo exolvens, ubi ossibus plenum offendit, novo terrore perculsus, miraculi magnitudinem multis undique venientibus narrat. Interea Vallis

lis Castri Monachi, & reliqui Milites ab Abbate, & Civitate Fabrianensi ad comprehendendos sacrilegos missi, superveniunt. Rem omnem ad Episcopum deferunt, quò caupo illico ad prodigiosum eventum in suo diversorio significandum accersitur. Perquiruntur sacrilegi Monachi, qui comprehensi, adhibitis tormentis facinus confitentur, & in carcerem detruduntur, postremò dimissi, postquàm ob timorem Religionis Superiorum profugi hinc inde vagarentur, fama volavit, in quodam nemore à feris immaniter devoratos, infelices miserè vitam finivisse. Hæc Pro exemplo Deo permittente facta sunt; ut quivis sanctorum reliquias in veneratione habeat, & illas intactas, ubi reperiuntur, & indivisas relinquat, cùm solùm ad proprios Prælatos jus eas dividendi, alioque transferendi pertineat. Episcopus cum Clero, & universo populo ad Cauponam se confert. Inde sanctissima ossa in majorem Ecclesiam processionaliter translata honôrificè collocat, ubi erecta magnificentissima ara in honorem Sancti Romualdi usque in hodiernum diem visitur. Quæ cum ad aures Juliani Abbatis Vallis Castri perlata fuissent. Ille non segnis festinanter ad Episcopum pervenit, suppliciter postulans sibi Sacro-Sanctas reliquias restitui. Quas cum obtinere non potuisset: Fabrianum remigrat. Populoque longa oratione prædicat injuriam hanc vindicandam, & sacratissimum corpus (cujus thesausauri per tot annos hæredes, custodesque fuissent) hortatur redimendum. Igitur facto per Oppidum rumore, confluit in forum omnis populi multitudo; nec desunt, qui armatâ manu. Æsinates adoriendos esse tumultuando sint parati. Cæterum senioribus obsistentibus, res ad Piceni Legatum processualiter defertur. Is post multam partium contentionem, sacras reliquias, quibus ablatæ fuerant, restituendas


das decernit ; brachii tamen osse Æsinis concesso , quod illi summa ad hanc diem Religione venerantur. Reliquum corpus magnificentissima pompa in sancti Blasii ædem Fabrianum defertur. Cujus celebritatis memoriam duo inter cætera illustriorem fecere. Alterum quod excitata in itinere controversia, essetne ad Antiquum Vallis Castri monumentum, an Fabrianum eundum, mulus, cui sacrum onus erat impositum, nulla ratione adigi potuit, ut ducentem Fabrianum viam omitteret. Alterum, quòd pridie ejus Diei, quo in Oppidum tantus thesaurus illatus est : cùm sub noctem suburbio appropinguarent nec ullus eâ de re nuncius ad Cives pervenisset, omnes repente campanæ suâ ipsâ sponte signum publicæ felicitatis præclarum dedere ?

FINIS PARTIS PRIMÆ.



VITA
BEATISSIMI
PAULI JUSTINIANI,
ROMUALDINÆ CONGREGATIONIS MONTIS CORONÆ
FUNDATORIS
INCLYTI,
AC
MUNDI, CARNIS, & DÆMONIS
TRIUMPHATORIS
ADMIRANDI.

O Filioli gaudium, meum, & dulcedo cordis mei! Paterna vos in Domino JESU adhortor dilectione: ut ita ambuletis; quemadmodùm accepistis à nobis. Exempla quæ dedi vobis æmulemini, & verba, quæ locutus sum ad vos opere complere non negligatis. S. Romualdus Exhortationum suarum Cap. 30.



PROLOCUTIO.

PATRES & FRATRES IN CHRISTO VENERANDI

PAX VOBIS.



SAluberrimis verbis illis, quibus Beatus Petrus Dagninus ardentiſſimâ Chriſti Charitate vulneratus primus Sacræ Eremi Prior ſuos affari conſuevit, ad Vos Sermonem meum ordior; *Memineritis Patres & Fratres in Domino JESU Chariſſimi, qualiter Vos Sanctiſſimi Patris ROMUALDI hæreditas maneat.* Nempe ſedula Eremiticæ Militiæ exercitatio, profundiſſima à viventium conſortio ſolitudo,

tudo, importunarum MUNDI, CARNIS, ac DÆMONIS tentationum expulsio. Præclaram hanc Fratres de facilî dubiò procul adire potestis hæreditatem; atque in ejus possessione vos palam ostendere, si Patris tam Sancti, tantique Magistri Vos Discipulos esse jugi memoriâ recoletis, si ejus præceptis atque monimentis studiosissimè inhærendum curabitis, si Paupertatis Castitatis, & Obedientiæ thesaurum indefessâ observantiâ, perpetuisque Dinvinæ Contemplationis studijs custodire non negligetis: dicit namque Vobis Dominus: *Vovete, & reddite Domino DEO vestro omnes qui in circuitu ejus affertis munera.* Ad id autem faciliùs vos in dies excitari continget, si Sanctissimi Progenitoris, & Legislatoris vestri Vitam *parte primâ Operis hujus* fideli calamô exaratam sedulâ Virtutum suarum reminiscentiâ relegere nunquàm obliviscamini.

Sed ne Congregationis Montis Coronæ Confratribus meis (quos syncerâ complector charitate) in quopiam deesse videar, VITAM DIVI PAULI JUSTINIANI dictæ Eremiticæ Congregationis INSTITUTORIS GLORIOSI, omnis omninò labis & impuritatis expertem parte hac exarandam decrevi.

Ubi

Ubi & Primordia, Progressumque Novæ Romualdinæ Societatis perspicuè intueri licebit. Tandem *et documenta dabo, quâ sitis origine nati*. & Parentem vobis offero Paulum Justi-Patrem, nianum; *Nam & si decem millia pædagogorum habeatis in CHRISTO, sed non multos Patres. In CHRISTO enim JESU, per Evangelicorum Consiliorum traditionem ipse vos genuit. ad Cor. 4.* Cujus illustrissima Vitæ Sanctitas summo vobis universis ejusdem Clientibus sit incitamento, opportet; ut ad majorem erga Patrem amantissimum cor vestrum animetur amorem, ad ulteriorem excitetur venerationem, amplioremque in dies erigatur, spem & fiduciam.

Nullus quapropter vestrûm Patres & Fratres in CHRISTO dilectissimi ambigat, quîn genuinos Filios suos, sedulosque Sanctioris Vitæ suæ imitatores in Paternæ Protectionis tutelam assumat, sublatosque in humeros Providentiæ, & Beneficentiæ ad altissimum evehat Perfectionis, Sanctitatisque fastigium.

Et certè si altiùs aciem mentis vestræ dirigatis, indubiè comperietis: quòd ille ipse; qui vos sua intercessione, hic in Eremi solitudine tempo-

rali-

ralibus alit nutrimentis, Cœlestis Beatitudinis magis consortes fieri expectat, & ad Thronum DEI proindè sedulò perorat. Currite igitur magnanimi, & fortes stadiodromi, contentis viribus severioris licet Eremiticæ Disciplinæ stadium decurrite! *Sic currite, ut comprehendatis*, ad exemplum eorum, qui in stadio constituti, totô conatu, & plenô cursu ad desideratam feruntur metam: nec respiciunt, quantum jam decurerint spatium, sed sollicitè provident, quantum ipsis etiamnùm decurrendum supersit. Consimiliter & vos Patres & Fratres dilectissimi præteriti vestri cursûs, & profectûs obliti ad anteriora semper contendite; neque recogitetis, quid præclarum, & commendabile hactenus egeritis, sed solùm quid imposterum restet agendum. Mementote, NOVITII scriptum esse: *Bonum est homini, cùm portaverit jugum ab Adolescentia sua.* Roboramini PROFESSI, ut cum Divo PAULO Magnanimo Athleta CHRISTI gloriari valeatis: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, Fidem servavi; in reliquo reposita est mihi Corona Justitiæ quam reddet mibi Dominus in illa die Justus Judex.*

In universum verò fraterna vos obtestor charitate ; ne quis vestrûm in vanum gratiam DEI recipiat ; sed ita currite in stadio terrenæ Eremi, ut bravium Cœlestis Hierusalem DEI misericordiâ accipere mereamini. Si amaritudo asperioris solitudinis , vel nonnunquàm rigidioris abstinentiæ , instar Israëlitici Populi , de aquis amaris vos calicem Domini quovis modô bibere præpediat , injicite Fratres charissimi , injicite vivificæ Crucis Domini nostri JESU Christi lignum , interponite memoriam suæ sacratissimæ Passionis , & statim omne amarum dulcescet , omne Mundi fel in dulcissimum mel convertetur , & omne asperum fiet vobis in vias planas. Si serpentina tentatio vos vel in cautos momorderit memoriâ exaltati serpentis in Eremo , id est : *Respicientes in faciem CHRISTI* propinquissimô vobis semper medicamentô vulnus sanate. Quid enim aliud Fratres dilectissimi vult sibi Eremitæ Nomen, quàm ut quilibet , qui in solitudine DEUM quærit , & CHRISTI esse desiderat , *crucifigat carnem suam cum vitiis , & concupiscentiis suis* , intemeratamque Legislatoris sui imitando Vitam , Paternarum Virtutum se faciat ex asse hæredem.


Quod

Quod ſicut omnibus, ac Univerſis Romualdinæ Diſciplinæ Clientibus cordicitùs voveo, ita mihi vel maximè ardentiſſimis votis exoro, laboresque meos Charitatibus veſtris conſecrans pro grandi Munere expoſtulo; quatenùs mei viventis, ſupplici illâ Eccleſiæ precatione, *Salvum fac ſervum tuum Domine*, Defuncti vero; *requiem æternam dona ei Domine*, meminiſſe ne dedignemini.

HIS VALETE.



PARS



PARS SECUNDA.

CAPUT I.

Sancti Pauli Justiniani Ortus, & Juventutis studia.

PAulus Justinianus Eremita Camaldulensis, ac Fundator Societatis Eremitarum sancti Romualdi Montis Coronæ: cui antè ingressum Religionis nomen erat Thomas, Venetiis anno ab Orbe redempto 1476. ex clarissima Justinianorum Familia natus est. Patrem habuit Franciscum Justinianum Virum Patritium, atque ab amplissimo Senatu, ob inclyta gesta Equestris Ordinis, Militiæque insigniis magnificè decoratum: Matrem verò Paulam *de Maripetris*, Matronam Nobilissimam, ambos Christianæ pietatis maximè cultores. Qui ab incunabulis ipsis magnum futuræ Virtutis specimen ostendere cœpit: eò præcipuè, quòd sola literariâ tabellâ delectari solitus. vix fari peritus, elementa noverat cuncta ordinatè pronunciare. Pueritiam autem in Grammatices rudimentis, ac Rhetorum figuris, ita fructuosè expendit, ut nondùm pubes, disertissimus evaserit Orator; hinc latinis græca conjungere cupiens, perindè se in eo ludo exercuit; ut non facilè discerneretur, latinanè, an verò græca lingua in eo excelleret magis. Hæc dum domi Paternæ agerentur, mirabantur domestici omnes, & in studiis

diis diligentiam, & in factis innatam pueri modestiam: & quamvis natura hilaris, facetusque dignoscebatur, attamen cum discreto silentio, studebat gravitati. Foris cum coætanis pueris & modestè ludere, & aliorum moribus, honestate servatâ, se se accommodare non dedignabatur. Hoc certè in puero meritò divinum existimabatur; quòd nunquàm lectulum ascendere, aut indè descendere visus est, quin genibus flexis, devotè aliquantulùm oraret: cibum capere mane, re sacrâ non auditâ nunquàm ei persuaderi potuit. Parentibus obedientiam, Magistrisque reverentiam, fratribus, & cæteris omnibus gratum officium perpetuò libens præstabat. His demùm naturæ Virtutisquè dotibus præditus erat, ut futuræ virilitatis miranda opera clarè pueritia ipsa præmònstraret. Quam ob causam multi non imprudenter considerantes, in eum, illud Evangelicum retorquebant: *quis putas puer iste erit*? Decimò septimô ætatis annô, jam utroque Parente orbatus, non lascivientibus juvenibus, ut fieri solet, se miscuit: non similis ætatis deliciis se dedit: sed potiùs domô, Patriaque relictis, à clarissimis fratribus, atque dilectis sororibus (habebat enim sex, & fratres duos) discedens, Patavium se contulit. Ubi per annos undecim, & Philosophicis, & Theologicis, in florentissima, totóque orbe celeberrima Academia, studiis sedulam navavit operam. Ita autem scientiis perdiscendis animum applicuit, ut se à Virtutibus exquirendis nusquàm averterit: vitia fugere, tempus studiosè redimere semper intentus. Eam tandem doctrinam sibi juvenis comparavit, ut nulli, ætatis suæ vel doctissimo Viro, extiterit secundus: cujus rei nobis satis plenum testimonium perhibuit Delphinus libro Epistolarum decimo. Epistola quinta ad eundem, in hæc verba: *omni tempore, inquit, futura est tibi solatio divina lex, meditanti in ea die*

die ac nocte: nunc ad latinos, nunc ad græcos Doctores conversus, atque alternis oblectatus congressibus, vel utilissimè, vel jucundissimè disponas otium. Idem testatur eodem libro ad Cardinalem Volaterranum scribens. Verùm cum de ejus documentis, (qui multa scripta, & nonnulla vulgata reliquit) agetur, pleniùs ejus studia demonstrabuntur. In ipso studiorum suorum felicissimo cursu multos habuit Paulus officiosos, summáque amicitia conjunctos socios: quorum tamen præcipui extitêre doctissimus ille Paulus Canalis, & Caspar Contarenus, Vir Nobilissimus, & postea S. R. Ecclesiæ mertissimus Cardinalis. Verùm inter omnes Pauli amicos primas semper tenuit Vincentius Quirinus, & ipse Patritius, qui deinde tam dilectum sodalem secutus, Eremita factus est; quique Romæ Cardinalis designatus, licet nondum insignitus, feliciter obdormivit in Domino; de quo inferius uberior fiet mentio.

CAPUT II.

Paulus in Patriam revertitur, ac dotes Corporis & animi prænotantur.

PAtavinis itaquè studiis tempore debitô relictis, vigesimum octavum ætatis annum agens domum revertitur; non minori virtute, quàm doctrina imbutus. Et quanquàm Nobilitas sanguinis, ac scientiarum ornatus, elationis fomentum ministrabant; nihilominùs ipse, & inter æquales servato decore, semper mitis, & apud inferiores benignus apparuit. Hinc animos omnium ad se trahere, cunctos benevolos sibi facere, amicitiâ conjungere, ac populi reve-

rentiam comparare cœpit. Erat quippè animo facilis, ingenio clarus, aſpectu affabilis, ſermone blandus, & cum gravitate jucundus. Quibus ſanè, & corporis delineamenta per omnia correſpondebant: nam ejus ſtatura mediocris, corporis plena habitudo; erat facie venuſtus, gravis inceſſu, ac viribus robuſtus: per quæ exteriora ſigna, animi quoque celſitudo deſignabatur: nec ſinebant divini ignis portionem in pectore latentem cernentibus occultari. Delectabatur frugalitate victûs, gulæ, & ebrietatis maximus oſor; ſicut ſobrietatis, ac parſimoniæ impensè amator. Inter omnes autem ejus Virtutes, modeſta taciturnitas, divinumque ſilentium mirabiliter præluxit; eoque libenter remota habitare loca, domeſticorum colloquiô, librorumque lectione contentus, aſueverat. Undè inter familiares, & amicos, hoc frequentabatur dicterium: *Thomæ Juſtiniano* (ſic enim appellabatur) *cubiculum cum pane ſatis eſt.* Si quandò domo egreſſus, animi juſtam recreationem quærebat; non per vicos, & plateas, vagabundo ſimilis oberrare; ſed Eccleſias, Religioſorum Cœnobia, aliavè pia loca viſitare, magis placuit ſemper. Præterea laſcivas juvenum converſationes cautè declinans; maturis, ac ſenſatis Viris, conſilio, atque honeſtate pollentibus avidiſſimè uſquequaquè adhæſit. Quibus prudenter conſideratis, multi aut filios, aut alios familiares, cognatosvè ſuos diſſolutioni deditos objurgantes, illicò Thomæ Juſtiniani exempla in medium proferebant, typum virtutis eundem appellantes. Jam cum multi ex Nobilioribus ejus amicitiam modis omnibus venarentur, non omnes ille admittere, ſed paucos admodùm ſtudiis, ac moribus ſibi conſimiles elegit. Quâ quidem in re ſtupendum ei ſemper fuit judicium: nequè unquàm aliquem in amicum habuit (quos ſuo loco recenſebimus) qui aliqua

præ-

præclara Virtute non eluceret. Rursùs fratres, & cognati eum hortabantur Palatium frequentare: Senatorum animos, aurésque (ut fieri consuevit) demulcere; atque ad publica munia, quæ in illa Republica multa, & amplissima sunt, obeunda, aspiraret. At noster Paulus longè se aliter sentire, & potiùs fugienda, quàm amplectenda esse, labores eorum, qui talibus funguntur, considerandos, & Animarum detrimenta in hujusmodi negotiis ponderanda, respondebat. Item desiderabilem animi quietem solicitè quærere; pium justumque otium, omni curiosô commerciô rejectô, sequi satius esse: nec non damnosam corporalium sollicitudinem, cum utilissima spiritualium rerum delectatione sagaciter esse permutandam. Attamen cum nostri corruptissimi sæculi status se ita habeat; ut salutaria quæque difficilè suaderi queant: & inter cives, notosque nostros; piè vivere, non satis liceat: cumque res humanæ ita videantur compositæ, ut qui sanctitatis opera inter suos exercere velit, exosus fiat; inde citiùs recedere cogitavit. Domum igitur, ac civium frequentiam fugiens: in suburbanum (cui Muranum nomen est) cum sola librorum supellectili, recessit. Ubi in remota, propria tamen domo, satis solitarius, quemadmodùm ipse in quadam Epistola testatur, prout optabat, tribus annis vixit.

CAPUT III.

Paulus studia mutat, & Hierosolymam proficitur.

DUm sic ab omni sæculari strepitu segregatum se videt Paulus, nova aggredi studia, quæ scilicet, non sæculi

li rebus, ſed ſpiritui prorſus conducant, animo ſtatuit. Atque imprimis ſe optimo, peritoque Confeſſario viſceribus patefactis, totum tradit, cujus conſiliô cuncta ſe facturum, propriæque voluntati, quæ ſæpe ſenſus noſtros pervertere ſolet, jam tunc renunciare, firmiter proponit. Futuri autem operis hoc fuit ſtabile fundamentum: temporis cujusque diei diviſionem facere, ut futura exercitia juſta diſtributione procederent, ne poſtea ſubſecuta confuſione, laborum fructus impediretur. Deindè exercitia ipſa, quæ aſſummenda propoſuerat, inchoare non diſtulit. Manè, ac ſero, eorum quæ noctu diuque acciderant, ſtricta fiebat diſcuſſio, literariis ſtudiis certâ parte aſſignatâ, quod reliquum fuerat, totum orationi, ac meditationi cedebat.

Verùmtamen quia in his duobus hactenùs parùm, aut nihil verſatus erat, utpotè totus in Quæſtionibus ſcholaſticis, lectionibúſque variis occupatus, magno labore, vel modicùm proficere poterat. Nitebatur nihilominùs novus tyro, & mentem erigere, & fluctuantes cohibere ſenſus. Repugnantem carnem flagellis, cilicióque domans: nec non moderatis jejuniis, carnales appetitus refrænans. Sed ecce, ut incipientibus evenire ſolet, inſurgunt perturbationum cogitationes peſſimæ, immiſſiones ſcilicet, per angelos malos. Adde quod quaſi in Ægypto confuſionum poſitus, *linguam, quam non noverat, audivit*: afflictiones nempe ſpiritûs, quas nunquàm expertus fuerat; nec ſinè labore magno novæ artis principia ſuperare valuit. Dum in hoc genere non infrugiferè perſeveraret; accidit aliquandò, ut dum ſalutiferam Paſſionem Chriſti meditaretur, loca ipſa mente conſiderando diſcurreret. *Hic nimirùm, factus in agonia Patrem orabat JESUS: hic reliquerat Apoſtolos ſanctos: hic Petrus, & Joannes cum Jacobo ſeorsùm dormiebant: hic Judas proditor oſculum*

osculum dedit benevolo magistro: hìc cecidêre retrorsum perfidi Ministri: hìc comprehenderunt JESUM: hac viâ ligatus funibus trahebatur: hæc est Annæ domus, quò ductus est primùm, ubi alapam accepit: hæc Caiphæ Pontificis habitatio, ad quem postea missus est: en tibi Pilati prætorium, ubi flagellis, & alapis crudeliter cæsus, & inde foras extractus, nudus, plagatus, cum spinea corona populo ostensus est: en Palatium Herodis, ubi illusus, & ad Pilatum inde remissus. Hìc Crux ponderosa suis humeris imponitur: hac portâ onustus Urbe egreditur: hac via in Calvariam vadit: hìc Simon Cyrenæus angariatur: hìc ad mulieres consolandas convertitur. Ecce locus Calvariæ: hìc Cruci affigitur, affixus extollitur, pendet in ligno justus, & moritur. Deponitur, & ecce sepulchrum, in quo sepelitur, ex quo etiam gloriosè resurrexit. Hæc & alia, multa similia, dum mente pertractat Paulus, tanto desiderio Hierosolymam peregrinandi affectus est, ut nullo modo ab eo, donec effectum est, avelli potuerit: Cumque per annum, aut eò amplius rem differens; ex Deo nè spiritus iste foret, diligenter examinans, atque in dies magis ac magis in proposito confirmaretur, Confessariô (cui se totum manifestaverat) approbante, Hierosolymam peregrinari statuit. Tandem Annô 1507. ætatis suæ 31. navim ascendens felici satis navigatione, brevi temporis cursu, illuc incolumis pervenit.



CAPUT IV.

Paulus loca Sancta devotè perlustrat.

ET si Paulus ex Patria Hierosolymam Literas commendatitias secum detulerat, quibus non minimum sperabat

bat favorem: attamen id in diminutionem meritorum ratus, easdem apud se occultavit, donec inde recessit, dicebat enim intra se, *quid tu agis? ille cujus famulus esse cupis ex regia stirpe natus hic in proprio solo, interque cognatos & notos, abjectus contemptusque haberi spontè voluit, & tu vermis & non homo, hominum gratiam quæres, qui tibi applaudant, & inserviant, qui te indignum, honore afficiant? Humillimi Salvatoris vestigia inspecturus, venisti, & dedignaris inter pauperes, ac mites computari?* Hinc omni spe humanâ rejectâ, aliis etiam pauperrimis peregrinis se commisceri, eisdem obsequium, atque auxilium præstare, infirmos propriis manibus attrectare, fovere, ac verbis, & opere summa cum benignitate consolari, in nullo se reliquis divitiarum vel Nobilitatis ratione præferens, sed omnibus ultrò se subjiciens. Loca autem mysteriis consecrata, quasi in singulis Christi vestigia impressa intueretur, tantâ veneratione percolere curabat, ut cæteris Peregrinis magna esset admiratio; utque facilè agnosceres, non curiositate videndi, aut divagandi gratiâ (ut multi solent) sed verè contemplandi, lachrymandique causâ, Hierusalem petijsse. Perquirebat tamen curiosè omnia, quæ in præfata meditatione mente conceperat. In quibusdam locis, quæ communiter visitari, ac venerari solent, ea cordis lætitiâ se affici, agitarique sentiebat, ut sibi omnibus sensibus pænè deficere videretur. Tria autem loca non satis habuit semel & bis visitare; Calvariæ, in quo Crux erecta fuit. Montis oliveti, ubi vestigia pedum Christi ascendentis in Cœlum apparent: atque Sepulchrum sanctissimum, in quibus præcipuam consolationem sentire aliquandò confessus est. His, quæ Hierosolymis sunt accuratè perlustratis, non satis habuit, Paulus, nisi & sanctificatas Jordanis aquas videndo biberet,

beret, & ſacri baptiſmatis myſterium, in proprio loco contemplaretur: nec hoc quidem contentus, transacto flumine famoſa deſerta Jordanis circumjacentia, ſanctorum Patrum olim habitacula, & ut quidam volunt, ad Sinai usque penetravit. Eo autem vaſtæ ſolitudinis deſiderio captus, ac nimia affectione ductus, ad loca ſancta Hieroſolymorum, crebra viſitatione percolenda accenſus, illic ad extremum usque diem manere proponit. At cùm omnium, quos de hac re conſulerat, opinio, ejus propoſito contraria foret, maluit aliorum conſilio, quam proprio deſiderio, acquieſcere. Non tamen prorsùs inane fuit propoſitum illud, eò quòd ex illa die nunquàm ſolitariæ vitæ deſiderium animo excidere potuit; imò futuræ electionis radix firmiſſima extitit. Sacris ergò locis animo impreſſis, quòd tamdiù optaverat, Judæam reliquit, & licet non ſine laboribus multis, variisque periculis, Patriæ tamen incolumis reſtituitur. Animus illi erat in ſolitam Murani habitationem reverti, ibique donec de eligendo futuræ vitæ ſtatu plenè deliberaret, manere. Sed Deus, qui novum militem inſtruebat, aliis exercitiis, primisque multùm contrariis exercere deſtinavit. Non etenim ſufficit, in uno aut altero genere pugnæ expertum eſſe eum, qui aliorum Dux & Magiſter eſſe deberet; ſed oportet eum in variis certaminum modis eſſe exercitatum, quò ſuos aliquandò tyrones ad futurum prælium inſtruere ſciat. Oportet inquàm eum, qui Deo placere intendit, non ſemper ſuam, ſed ſæpè alterius facere voluntatem, nec ſuis ſemper commodis, ſed plerumque alienis ſervire.

CAPUT V.

Paulus ſpecie recti deceptus negotijs ſæcularibus implicatur.

CUm primùm itaque Venetias appulit, fratres (ut par erat) ſororesque inviſere ſolicitè curavit, qui omnes eum læto animo accipere, venientem diu deſideratum Fratrem arctiùs amplecti; & quò ad poſſunt penes ſe (etſi fruſtra) retinere nituntur. Erat illi Soror præ omnibus dilecta, quæ cuidam nobiliori de Contarenorum præclara Familia, nupſerat, quæque viciſſim Paulum intensè amabat. Ad quam cum divertiſſet aliquando novus hoſpes, Mulieris manus, qui tot Viris ipſum rogantibus viriliter reſtiterat, non evaſit. Sic namque illa lachrymis admixtis lamentari cæpit: *Intelligo chariſſime Frater, te iterum in tua ſolita ſuburbis caverna, velle abſcondi, meque cum cæteris cognatis, atque dilectis tuis, quaſi alienam relinquere, ſeu ut meliùs dicam, quaſi feram leænam fugere. Scio te ſapientem, ſed in hoc te decipi, mihi perſuaſum habeo: vereorque ne dum tu Deum quærere intendis, ejus præcepta contemnas. En duo ſunt tibi Fratres, opera tua utique egentes ambo ſex ſunt tibi rurſus Sorores, quarum duæ ſine viro, ſineque parentibus manent, quæque à te uno ſolatium ſperant. Non tu illis Frater, ſed Pater eſſe debueras: quæ te non ut Fratrem, verùm plusquàm Patrem diligunt, ac reverentur: in te miſeræ omnem ſpem ſuam collocantes. Quid? nonne chariſſimus Frater tuus Jacobus moriens, duas tibi filias, quas Orphanas relinquebat, ſummis precibus inter poſitis commendavit? Nonne easdem puellas cum facultatibus ſuis tibi educandas,*

das, ac defendendas fiducia tradidit. At tu dum labores vitas, dum otium quæritas, dumque tuis inservis commoditatibus, hæc omnia misericordiæ opera prætermittis: hæc sancta exercitia contemnis, ac parum sapienter pro nihilo ducis. Sanè Frater non jam mihi pius, sed impiissimus esse videris: tu tygride immanior, ac crudelior leone, quem nec fraternus amor, nec Orphanorum desolatio, nec pupillorum necessitas quidquàm movent. Jam si alibi fortassis inter tuos habitare non placet, hic mane mecum: hæc tua domus sit, eadem pro libitu utere; hoc mihi, hoc Domino Marito meo (de cujus assensu ipsa loquor) gravissimum erit. Memento tandem pupillorum, ac pauperum nos curam gerere, voluisse Christum; non autem sibi soli prodesse. Hæc cum finisset mulier, in dubio audientis animus versatur, nec quò se vertat, satis deliberare potest. Ponderat quanti momenti sit animi, jam aliàs gustata, quies, urget è															contra charorum necessitas, ac pietatis opus. Denique hac inde multis rationibus, tacitâ linguâ, mente pertractatis, tandem vicit pium hominem fraterna charitas; atque Fratribus, Sororibus Neptibusque pupillis subveniendum potiùs duxit, quàm sibi uni tantùm consulere. Firmato itaque proposito in domo Sororis suadentis manere elegit; ac deinde Sororum, quæ sine Viris erant, ac pupillarum negotia gerenda suscipit, sicque sæcularibus curis pius homo immergitur. At dum ista peraguntur, incipit tepescere animus, frigescit spiritualis fervor, à divinis mens ipsa distrahitur. Rursus temporalium rerum sensim subintrat affectio, nascitur ob multa adversa carnalis passio pullulat in corde iracundia, accenditur bilis, ex quibus, & mentis subsequitur perturbatio. In summà, in tanta rerum occupatione, dimittuntur studia sacra, cessat oratio, & in actionem periculosam vertitur præterita contemplatio. Adeo ut ipse alicubi, vicem suam

 dolens;

dolens: aperte confiteatur, se dum talibus intentus esset, parùm innocenter vixisse. Sanè in his quoque expertum fieri servum suum permisit Deus. Jam fere biennium transierat, ex quò sic delusus detinebatur miser, nec se inde extricare valebat, donec repente Deus eundem quasi è somno mirabiliter excitat. Residebat eo tempore in eadem Urbe Delphinus totius Ordinis Camaldulensis Generalis, Vir & morum sanctitate, & doctrina clarus, ac rerum gerendarum longa experientia doctus. Cum hoc Venerabili Viro magna erat ei, atque diuturna familiaritas: hunc (ut sæpe solebat) quadam vice convenit Paulus; cui, quid ipse agat, quo in genere vitæ versetur, quo se immiscuerit periculo, quamque anxiè vivat, ritè manifestat: nec non ab eodem consilium salubre hos laqueos evadendi, supplex expostulat. Cui senex, *nosti fili charissime scriptum esse; qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Si tu quæ mundi sunt tractare, velis, certè mundi afflictionibus, passionibusque involvaris, necesse est. Equidem pium est quod agis, sed parùm pium est teipsum perdere. Nec te ignorare credo, quàm periculosa sit nostris temporibus sæcularium rerum tractatio, cùm vix jam sinè fraude, atque malitia inter homines quicquâm agatur.* Et tamen scriptura teste: *Qui amat periculum, peribit in eo. Parum profectò tibi proderit, si totum mundum lucreris, animæ autem tuæ detritnentum feceris. Diverte ergo à malo, & fac bonum, inquire pacem & persequere eam: quod, mihi crede, non facies; nisi opera ista tenebrarum abjicias, nisì sæculum fugias, atque aliquam bene ordinatam Religionem ingrediaris. Sunt autem hodie Religiones multæ, sed quæ tibi earum magis conveniat, ego non dicam. Assiduè tibi orandum consulo, donec Deus, quo sibi placuerit, te vocare dignetur. Verumtamen si te animi quies, ac solitudo (quemadmodùm nobis insinuasti) tantopere delectat, nostram Eremum*

mum Camaldulensem tibi præ cæteris propono : sed cùm loci ipsius situs, atque vivendi modus rigidissimi existant, tibi pleniùs deliberandum censeo.

CAPUT VI.

Paulus scrutiniô de quibusdam Religionibus factô, Camaldulum pervenit, & fit Eremita.

OPtimi, Delphini consiliô confortatus, roboratusque animô, Paulus, rem quò citius ad effectum perducere statuit. Eoque Urbe egressus varias Italiæ partes peragrare, variasque Religionum species maturè considerare voluit, ne temerè aliquam earum ingressus, postea cum dedecore inde recedere cogeretur. Cùm autem ad Eremum Camaldulensem ventum est, cæpit & loci habitatis, atque Eremitarum ibi commorantium conversatio mirum in modum homini solitudinis avido placere. Postulat Vir prudens ab ipso loci superiore, quatenus ibidem proprio habitu per dies triginta, Eremitico autem more experiundi causâ ei commorari liceret; quod illi benignè concessum est. Cui per id tempus, prout Eremitis, omnia quæ ad victum pertinent, ministrabantur; illeque vicissim nîl eorum, quæ ad observantiam pertinent, prætermittebat, quò minùs observando ad unguem adimpleret. Jejunabat, psallebat, vigilabat, orabat, & in jugi silentio manens, cuncta ut peritissimus Eremita, complere studebat. Mense tan-

tandem in hac sancta experientia transactô, Eremitam fieri, ibidemque habitum sanctum suscipere decrevit. Verùm antequàm id fieret domum reverti, ac de rebus suis, quasi tunc moriturus, disponere voluit, ne postea aliquid impedimenti superesset, quo pium propositum impediretur, & faciliùs ab omnibus mundi laqueis extricatus, ab omnique sæcularium rerum cura expeditus, nudus Christum sequendo illuc remearet. Qualiter autem ibidem prædicto tempore conversatus sit, his verbis Lucæ Monacho scribens, exponit Delphinus Camaldulensium Generalis. *Petis*, inquit, *fieri certior, placuerit ne Thomæ Justiniano Eremi nostræ commoratio, & situs per id tempus, quo ibidem commoratus est. Respondeo; adeo cordi fuisse illi locum ipsum; sic est solitudine nostra, & universo ritu oblectatus, ut non potuerit magis. Non est territus austeritate Eremitici propositi, non fractus jejunio panis, & aquæ, non fatigatus prolixitate psalmodiæ, atque nocturni officij, non longa silentii custodia tædio affectus est. Denique ita se gessit in Eremo, ut non minùs ei locus satisfecerit, quam ipse loco. Nam tanta ibi moderatione, & humilitate conversatus est, ut uno Eremitarum consensu sumopere laudaretur, omniumque promeruerit gratiam. Nonus hic est dies, quo abijt, rediturus ut nobis constantissimè appromisit.* Hæc Delphinus. Ad suos itaque reversus. Justinianus noster, quæ sibi agenda restabant, citiùs (sano tamen ac prudenti consilio) expedivit. Constituit scilicet, qui sororum ac puellarum curam gereret, & bona omnia, quibus jure obveniebant, reliquit.



CAPUT

CAPUT VII.

Pauli iter, & Religionis ingreſſus.

TAnti momenti futura erat Juſtiniani noſtri Converſio, ut ſive Deo ſervum ſuum probante, ſive dæmone impediente, ſine magno impedimento, ac difficultate fieri nequierit. Quamobrem non pigebit, ſummatim ea hic referre; quæ ipſe ad Quirinum, & Ignatium ſcribit. Expeditus igitur, & rebus omnibus bene diſpoſitis, nemine domeſticorum conſcio, famulô quodam familiariſſimò ſecum aſſumptô, nomine Petrô, die quadam ad ſolis occaſum navim conſcendit. Cumque in ipſo noctis crepuſculo, ſilentiô factô, navis ſuaviter Adriaticum ſulcaret, per immiſſam illuſionem à proprio ſenſu Vir bonus abſtrahitur. Videbatur ſibi adhuc domi eſſe, & coram ſe Fratres, Sorores, Nepotes, Domeſticosque omnes, atque amicos conſtitutos habere: quorum alii eum diſcedere volentem amplecti, alii collum aſtringere, alii pedibus advolvi ei repræſentabantur; vocesque quodammodò ſenſit dicentium. *Quid nos deſeris laborum noſtrorum unicum levamen? quid inte peccavimus, ut noſtrorum ſic fugias aſpectum, nosque tuo privare velis?* Audit cælibes ſorores expoſtulantes. *Si nos deſertas relinquere decreviſti, Frater, occide prius, ne quod ſupereſt vitæ, in deſolatione tranſigere cogamur.* Aderant aſtantes orphanæ puellæ prædefuncti Fratris Filiæ, cum ſingultibus ululantes, vocesque præ cæteris extollentes. *O crudelis,* inquit, *Patrue, tu qui nobis futurus eras Pater, cui nos genitor noſter moriens, cum tanta fiducia educandas, defendendasque tradidit,*

didit, cui nos quæso dilaninandas, bonaque nostra diripienda relinquis? Hæccine est fides, quam Fratri tuo decendenti dedisti? Etenim corripiet te DEUS de infidelitate tua. Erant & amicorum voces varia acclamantes: & simul omnes eum, ne domo exiret, detinebant. Hac illusione diu vexatus inexpertus athleta; nisi præsto Dei auxilium ei affuisset, proculdubiò pugnæ cessisset, seque hosti tradidisset cum magno dedecore victum. Attamen paulatim respirans oculis in Cœlum versis: O bone JESU, ait, nonne tu dixisti: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem suam, & Uxorem, & Filios, & Fratres, & Sorores, non potest meus esse Discipulus?* nonne tu præ omnibus his diligendus es, atque sequendus? quis enim eorum pro salute mea intolerabiles labores, verbera, & tormenta passus est? quis eorum pro peccatis meis crucifigi velit? porro nemo hæc mihi beneficia præstare potest. Unde meritò dixit quidam, *neglecta Matre, & calcato in limine patre, ad crucis tuæ vexillum esse evolandum: summumque pietatis genus esse, in hoc esse crudelem.* His & similibus scripturarum jaculis contra inimicum jactis, satis lætus navigabat Paulus: cùm ecce derepente, sive ventorum sævitiâ, sivè nautarum imperitiâ, ad quædam scamna arenosa navis impegit: unde nisì à piscatore quodam extracti fuissent, actum erat de omnibus, qui in navi erant. Rursus cum per Æmiliam Camaldulum versùs iter ageret, ad Bidentem rapidissimum fluvium ventum est: quem Petrus fidelissimus itineris comes, primus ingressus est, cujus equus aquarum impetu abreptus, periculosissimè cum suo sessore trahebatur: dum autem periclitanti famulo opem ferre nititur herus, eodem gurgite involvitur, ex quo nisì à quodam paupere in rippa stante (qui se protinùs in flumen dedit) adjuti fuissent, simul ambos absorbebat vorago.

Idem

Idem Petrus, non multùm inde progressis illis, in profundam foveam nive plenam cum equo cecidit, & in magno periculo constitutus fuit, nec sine rusticorum adjutorio, multáque difficultate inde extrahi potuit. Tandem cum jam arduos Alpium montes ascenderent, quia propter lubricitatem viæ jumenta pedem firmare non poterant, & passim cadendo sessores deturbabant, inaccessibiles fere colles pedes ascendere coactus est Paulus. Res quidem illi inassueta, & gravis: ideóque in sudorem versus, & intollerabili labore defessus, suggerente dæmonio, in varias pessimasque incidit tentationes, quas ipse perlongum enarravit, nos autem brevitatis causa omittimus. At dum inter has undas tentationum agitaretur novus miles, miserante Deo, illi in mentem venit præclara Apostoli sententia: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Hæc & similia mente pertractans viator noster, ad solis occasum Musoleam (magnificam Camaldulensium domum) vix semivivus pervenit. In ipsa domo tunc Delphinus Generalis aderat, qui viso Paulo, valde gavisus est, eumque nocte illa apud se retinens, miro modo, & corporali & spirituali recreatione refecit: sequenti verò die, quæ 17. Decembris computabatur, ad desideratam sacram Eremum eundem suis equis, & comitibus datis, emisit. Qualiter autem ibidem habitum Eremiticum assumpserit, in hæc verba ad Eusebium Priolum scribens, refert ipse Delphinus. *Quod igitur felix, ac faustum, & salutare, tum ipsi, tum Eremo futurum speramus; heri* (erat enim Nativitatis Dominicæ dies) *in missa de aurora Justinianus conterraneus noster, jucundus, & hilaris, habitum Religionis de manibus nostris accepit: congaudentibus omnibus de hujusmodi revera mirabili hominis conversione: quòd in delitiis enutritus, arduum hoc,*

atque asperum, tùm loci situ, tùm austeritate vitæ, elegerit institutum. Et post pauca, *non ampliùs Thomam didimum, id est dubium; sed Paulum, mutato nomine, placuit appellari, ut ejus in adversis, & sæculi varietatibus æmuletur constantiam, qui plus cæteris Apostolis, Apostolorum minimus laboravit:* Vocatum est itaque ei nomen novum, quod olim os Domini Saulo dedit. Acta sunt autem hæc die Nativitatis Domini M.D.X. ætatis verò renati Pauli XXXIV.

CAPUT VIII.

Pauli Novitiatus, & Petri Quirini conversio.

SUsceptô itaque sanctæ conversationis habitu, sine mora Paulus se totum Deo tradidit: Eremiticæ observantiæ admirabili quodam modo incumbens, super omnia autem jugi orationi insistens. Sed hac de re audiamus iterum Delphinum Generalem differentem. *Mirantur*, inquit, *omnes constantiam ejus, devotionem, humilitatem, charitatem, atque rerum omnium mundanarum contemptum: exemplô est omnibus religione, & pietate, nulli est in Eremiticæ districtionis observatione secundus. Heri namque visitavi Eremum, & reperi Paulum exultantem in Domino, ac non tantùm corpore, sed et spiritu valentem.* Hæc & alia multa de ejus religioso tyrocinio antedictus Generalis libro 10. Epistolarum suarum enarrat. Etenim non in congruum erit hic referre, perindè se à principio abnegâsse, Prælatorumque manibus se totum tradidisse, ut nihil prorsùs sine expresso moderatoris consensu inten-

intentare, aut minimam cogitationem celare ſit auſus. Unde factum eſt, ut etiam in ijs, ad quæ nimius fervor (ut incipientibus accidere ſolet) eum impellebat, ſumma ubiquè cum diſcretione ſe haberet; eoque abſtinentiis panis & aquæ, juſtâ moderatione utens, ut nullum ei detrimentum in corpore tale jejunium attulerit. Sic in vigiliis, diſciplinis, & aliis piis exercitiis ſemper viſus eſt prudentiſſimus, in omnibus deniquè temperatè agere novit, oratione & ſilentio exceptis, in quibus nec modum, nec tempus ſervare poterat; quin ſemper & ubiquè (nisì impeditus orare, vel loqui compulſus) clausô ſuper ſe oſtiô ſilens & in cella quieſcens cœleſtem Patrem precabatur. Tentationes multas, & magnas perpeſſus omnes facile prudentia, opeque divina ſuperabat: tres autem earum longo tempore ei infeſtæ fuere. Prima fuit recordatio pupillarum, quarum curam ipſe domi agebat; non enim poterat, pro innata pietate non illis compati, & condolere. Secunda, curioſum deſiderium erat (opus ſathanæ) ut ſcilicet ſacra Eremus lapideo muro ſtringeretur: quod Delphinus Generalis eidem ſcribens exprobrat, immiſſiones, aſſerens, per angelos malos. Tertia multò his durior, & durabilior viſa eſt; quia majori ratione nitebatur, plusque ponderis in ſe habebat, quæ quidem ſi exitum conſideremus, tentatio non erat, ſed Dei inſpiratio; quæ jam tunc velut ſemen futuræ ſegetis à Spiritu Sancto, in novo agro ad hoc præparato, ſerebatur. Porrò hæc imaginatio quædam fuit, ſeu potiùs conſideratio in intellectuali parte formata, ipsáque rationabilitate procedens. Conſiderabat namque Vir deſideriorum, quàm ſancta in ſe conſiſteret EREMITICA INSTITUTIO; quamque apta non ſolùm ad ſalutem æternam, ſed etiam ad perfectionem vitæ in terris conſequen-

 dam

dam vel maximè ſit idonea : admiratus ſiquidem ſolitudinis quietem, orandi opportunitatem, à populari tumultu ſequeſtrationem, & ſervorum Dei perpetuam converſationis ſanctitatem. Accedebant ad hæc; mirabilis ſancti Silentii obſervatio, ciborum parſimonia, nocturna pariter, atque diurna officiorum divinorum melodia; ſtupebat ſtrictæ obſervantiæ exactam cuſtodiam, reverentiam omnium erga ſuperiores, mutuam invicem charitatem, ac ſimiliter admirabatur vigilantiam, & benignitatem Prælatorum. Ex quibus facilè ſibi perſuaſum habebat, ſolitariæ Camaldulenſium vitæ, aliam inſtitutionem ſimilem ſub ſole non inveniri. Econtrà animadvertens tam pretioſum theſaurum in tam anguſto vaſculo concludi, & quod omnibus manifeſtum eſſe debuit, tam paucis innoteſcere; quodque per totum orbem terrarum ad ſalutem animarum extendi oportebat, in uno Hetruriæ ſtrictiſſimo angulo latere, magno cordis dolore afficiebatur. Inde animo concipiebat, hoc tam ſanctum Inſtitutum ampliandum fore, ut multis prodeſſet, quod nunc abſconditum vix paucos juvaret, magnumque inde Univerſitati fidelium provenire damnum.

Hæc ſane profunda cogitatio ſæpiùs, perque multum tempus animo ejus adhæſit, atque mentem quodam zelo pietatis nimiùm occupabat, quamque tam efficaciter imbiberat, ut nunquàm potuerit à ſe depellere. Ac præter id, quòd ad mores, & tentationes ejus attinet, multis modis pii animi affectionem in ſuo Novitiatu oſtendit: nam ex propriis pecuniis, quædam ædificia domui utiliſſima conſtrui curavit. Obtulit & quædam non minimi pretii munera in Templi ornamentum. Tanta præterea erat in moribus ejus modeſtia, & in converſatione affabilitas, ut Magnates multi, Prælatique non pauci Eremum inviſerent,

ea

ea potiſſimum de cauſa, ut ejus aſpectu, dulcique colloquio vel modicum fruerentur. Inter quos Joannes Medices Cardinalis, qui poſtea Papa, & Leo decimus nominatus, fuit: hic ejus converſatione adeò oblectabatur, ut quoties Paulum Juſtinianum nominaret; *noſtrum* addere non pigeret. Julio quoque Cardinali, qui deinde Papa creatus, Clementis nomen accepit, chariſſimus extitit, à quo & multa tempore ſuo Privilegia accepit, & gratias ampliſſimas obtinuit. Poſſem hic & aliorum multorum Nobiliſſimorum Virorum Comitum & Principum amicitias enarrare, quas tamen (brevitati ſtudens) ex induſtria reticebo. Poſtremò, non ceſſat interim diligens vineæ Domini operarius, Quirinum Nobiliſſimum Virum, & alios compatriotas amicos literis crebris ſolicitare, ut fallaci ſæculô relictô, ejus exemplô ad Eremum confugiant. Quâ ſanctâ induſtriâ intra annum tres magnæ Nobilitatis Viros, omnes Patritios Venetos, in ſolitudinem traxit. Horum primus Quirinus, ſecundus Hieronymus Georgius, tertius Joannes Baptiſta Ignatius fuit, qui tamen poſtremus Ignatius horrore auſteritatis fractus, receſſit, Erat autem Quirinus Hebraicæ, græcæ, ac latinæ linguæ peritiſſimus, haud vulgaribus in Patria legationibus functus. Tales quippe ad ſe trahebat Juſtinianus, qui aliquando ſolatio Religioni eſſent. De iſtis tribus Patritiis Venetis, ſic ad Cardinalem Volateranum ſcribit Delphinus: *Agas DEO gratias, quod ſuſcitare dignatus ſit de lapidibus filios Abrahæ, qui, ſicut omnes vaticinantur, labenti, & cadenti Religioni humeros ſupponere idonei ſunt futuri.* Hoc idem ſentit Euſebius Priolus, cum ait, ornatam fuiſſe tunc temporis Camaldulenſem Religionem duobus luminaribus magnis Petro Quirino, & Paulo Juſtiniano. Venit Quirinus ad Eremum circa finem anni Novitiatûs

tiatûs ipsius Pauli, utpote, qui de ejusdem Generalis die Cathedræ S. Petri M.D.XII. habitum sumpsit.

His tandem, cùm in ipsa Eremo biennio summa cum omnium laude vixisset, Romæ Cardinalis designatus, feliciter obiit. Justinianus autem tyrocinii annô felicissimè transactô, cum jubilo vota emisit, qui post paucos menses, simul cum Quirino, sacris ordinibus decoratus est, DEI Sacerdos factus.



CAPUT IX.

Paulus Sacræ Eremi defensorem agit.

DUm in stricta tyrocinii, solitariæque disciplinæ militia, sub vigilantissimo Magistro educatur Paulus: silentio, orationi, & Anachoreticæ perfectioni tantummodò intentus, quid foris ageretur, quæ essent negotia domûs, quid sacræ Eremo vel boni, vel mali contigisset pænitùs ignorabat; at professione factâ, cum Senioribus colloquio misceri cæpit; ac dùm conventualibus etiam Capitulis (quæ illic frequenter celebrabantur) vocatus intervenisset; tunc primùm agnovit domum illam adversâ premi fortunâ, ac variis modis familiam sacram vexari. Audit venerabilium Patrum suorum quærelas, & quàm mutata facie Camaldulensis Eremus incedat, manifestè percipit, ac tanti mœroris causas animadvertit. Rem insuper tacitùs considerans miratur valdè, ac tandem non potest concepti doloris non foris ostendere signa. Hinc humili quadam modestiâ, Patribus

bus negligentiam, quâ circa hæc usi sunt, tentabat objicere, addebat & modos, rationibus adhibitis, quibus tanta jactura vitari posset: atque adeò perpessum damnum recuperari. Hæc interim audientes superiores, animi virtutem, & rerum peritiam in Paulo considerantes; convocatô Capitulô, eidem adversariis resistendi, & recuperandi provinciam delegare decreverunt, plenâ ad hoc authoritate impertitâ. Quô nunciô auditô, ingemuit pius homo, & ad genua Patrum procidens, copiosis lachrymis admixtis, supplex orat revocari decretum; se novum hominem, & in similibus inexpertum causans; addens (quod ejus animam magis angebat) quid quid in spirituali exercitio tanto tempore, atque labore aquisierat, in puncto esse amissurum. Assurgunt Patres, nec satis ejus verba attendunt, sed perseverantes, ad Patientiam eum hortantur, magnum obedientiæ fructum ei proponendo. Qui egressus Capitulo Ecclesiam intrat, & coram Sanctissimo Sacramento amarissimis suspiriis Deum Optimum maximum orat, ut adjuvare dignetur mærore confectum servum suum, & quid sit facturus, inspiret. Causæ hujus inquietudinis sacræ Eremi istæ præcipuè referuntur. Basilius quidam Conventualis, Abbas perpetuus S. Felicis Florentiæ, Vir sagax, & humana prudentia maximè pollens, lingua velox, animo intrepidus, & corporis viribus præstans. Is in Hetruria vices Generalis gerens, cuncta agitabat, nec qui ei resisteret, facilè erat invenire; quem nec ipse quidem Generalis refrœnare poterat, aut certè compescere non est ausus. Inter alia hic, sive dignitatis nomine, seu factô ita permittente, Monasterium Fontisboni, & res omnes Eremitarum præter ordinem, liberè administrabat. Nec his contentus, ad radices montis, domum quandam, sivè palatium (quod Musoleam

ſoleam vocant) voluit ædificare : cujus fabricæ prætextu, multa in Eremum ipſam machinatum eſſe ; etiam hodie ſentiunt ejus cultores. Magnas imprimis exceſſiváſque pecuniarum quantitates abſumpſerat, magnoque ære alieno pauperes Eremitas aggravare : agros item, & poſſeſſiones eorum alienare non verebatur, &, quod graviùs erat, quaſi ædificio neceſſaria providens abietum ſylvas valde decoras (Eremi non parvum ornamentum) in maxima copia deſecabat. Tandem illi in mentem venit latiſſimum nemus quod incolæ *macciam* vocitant, ad ultimam uſque abietem deſecare, ratus (ut creditur) attentâ lignorum multitudine, & pulchritudine, multa millia florenorum inde parare poſſe.

Ex quo pretioſo nemore non tenues quotannis (deſectis ſolum ſuperfluis arboribus) redditus provenêre. Auditô hocce nunciô ægrè tulerunt Patres Paulumque illico ad obviandum imminenti damno ſtimulant. Egreditur itaquè foras novus defenſor, & dilectam ſolitudinem derelinquit. Convenit vicarium, & reverenti eum ſalutatione blandè alloquitur : conqueritur de damnis Eremo cauſatis, audenter exprobrat agrorum, poſſeſſionumque alienationes, enumerat etiam contracta debita, & ſylvarum devaſtationem deplorat, & tandem imminentem denuò magni nemoris extirpationem, ei diſuadere conatur. Poſtremò, cùm addidiſſet prædicta omnia illi in magnum dedecus verti, nec ſalva conſcientia id fieri poſſe. Tunc homo ferox torvo oculo, trucique vultu Paulum reſpicit, aſperáque voce hæc & alia ſibi licere aſſeverat, imo majora ſe de cætero facturum comminatur. Ad quæ Paulus ; *falleris R. Pater*, ait, *ſi credis ad hoc tibi dignitatem iſtam, quâ fungeris eſſe collatam, data namque fuit, non ut deſtruas, ſed ut ædifices ; non ut evellas, ſed ut plantes, non ut diſſi-*

dissipes, sed ut congreges; conserves, & defendas. In summâ excommunicationes, & graviores censuras privilegiorum, quæ multa & magna habet domus illa; in eos qui domui sacræ damna inferunt, seu injurias irrogant, pleniùs commemorat; eis se usurum, nisì à cæpto desistat, protestatur. Quin & si opus fuerit, summum Pontificem adire, & alia quæcunque remedia oportuna quærere, comminatur. Erubuit, Vir aliàs intrepidus, & magnâ iracundiâ accensus cum fremitu discessit. Post hæc tanta fuit in eo pertinacia, ut non solùm devastationi solitæ insisteret, sed & alia hactenùs inaudita intentaret. Ex adverso Paulus literis crebris, ac nunciis apud Delphinum Generalem (omni submissione servatâ) de damnis, atque irrogatis injuriis conqueritur; sed cum nec inde debita emanaret satisfactio (senex etenim adversùs Vicarium suum ne mutire quidem audebat) Romam se confert, & summo Pontifici longâ, elegantique oratione coram eo habita, infortunia omnia, quæ sacra Eremus sustinuit, exponit, ejus auxilium humiliter exposcens. Dum hæc inaudit Basilius, mirum in modum excruciatur, audit & contristatur Delphinus quoque Generalis, non enim existimabant, eousque negotium perventurum. Scribit statim Paulo Generalis, & quodammodò derelicta solitudinis eum arguens, pulchrè, ut ad illam redeat, relictâ Româ, nititur suadere. Atqui Patres, qui duriùs Camalduli vexabantur, eundem ad perseverantiam hortantur, imò timentes ne in tanto conflictu deficeret, aut in gratiam Delphini Generalis, infectô negotiô Curiam Romanam desereret, eidem Petrum Quirinum, in socium, & adjutorem mittunt. Quô auditô Generalis ambobus insimul scribit, eundem ferè sermonem repetens: Epistolis 70. & 73. libr. 10. Nihilominus illi constanter perseverantes,

 donec

donec Vicarius seriò inhibitus, & sacra Eremus à vexationibus liberata est, cæpto in opere viriliter persistunt. Perfectô tandem Negotiô ad optatam solitudinem, partâ victoriâ, redeunt, ubi cum maximo Patrum jubilo excepti sunt.



CAPUT X.

Delphinus, & Paulus de congruo Religionis remedio deliberant.

PEr aliquot menses in sancta solitudinis quiete, juxta desiderium suum, post reditum à Curia Romana, commoratus Justinianus noster: & ecce à Patre Generali, tunc in Fontebono commorante, accersitur; descendit obediens filius, & post factam humilem reverentiam cubiculum senis ingressus, per longum temporis spatium conferunt: inter loquendum de misero Religionis statu incidit sermo. Multa ad invicem proferuntur, atque utriusque desiderium ad unum eundemque scopum tendebat, idque erat, ut per generale Capitulum inveterato morbo mederetur. De modo autem quo idipsum pertractandum esset ab invicem discrepabant. Senex namque longâ in his experientiâ pusillanimis factus, sine strepitu Orationibus, & validis persuasionibus ad potentiores Religionis Prælatos fiendis, agendum censebat. Juvenis verè solito animi vigore actus, præter illa? Pontificum, Principumque auctoritate utendum, & nolentes, etiam cogendos esse, existimabat. Timebat senex, sicut aliàs expertus fuerat, ne pertentatô, nec succe-

ſuccedente negotiô, foris admiratio genereretur. Iſte verò conſiderans non in paucis, ſed in multis, diverſique genii viris rei cardinem verti, propterea ſine ſupremo imperio id minimè fieri poſſe judicabat. Re igitur ad maturiorem deliberationem dilatâ. Cùm ex his vidiſſet ſenex animum & maximum zelum Juvenis, & ad futura negotia idoneum agnoviſſet, lætatus eſt valdè. Etenim per annos triginta remigaverat Delphinus, quò naviculam ſuam è fluctibus eriperet, ſed fruſtrabantur labores ejus, imo quò magis ille laborare nitebatur, eò minùs proficiebat. Hanc ergo occaſionem nactus, quid quid illi in votis erat, Paulo aperire non diſtulit: quem & ſibi ſocium opus ad opus peragendum (fide mutuò datâ) aſſumpſit. Et hoc erat, quòd jam aliquot ante menſes eidem ſcribens, dixerit: *Ego* inquit, *nihil magis cupio, quàm ut mecum ſis mecumque labores.* Hujus verò ſecreti aliàs conſilii Quirinum quoque participem fuiſſe, affirmant quidam. Ideóq; de his duobus præſtantiſſimis Viris ſic ſcribit Euſebius Priolus. *Hi ubi inſpexerunt naviculam hanc Benedicti procellis agitari, ac fluctibus ferè obrui, neceſſe duxerunt periclitanti Religioni ſuccurendum eſſe.* Interim dum hæc apud eos cunctando aguntur: ecce Romanus Pontifex Julius ſecundus moritur, in cujus locum Joannes Cardinalis Medices ſuffultus eſt, Leo decimus dictus, utrique eorum (ut ſæpe retulimus) magnâ amicitiâ conjunctus. Tam lætô igitur ac proſperô nunciô auditô, Delphinus, qui tunc Florentiæ agebat; Paulum confeſtim ad ſe venire jubet: quò cum ille impiger perveniſſet, magnâ invicem gratulatione peractâ, paucis concludunt, novum Pontificem præfati negotii cauſâ ſine mora eſſe adeundum, & ejus auctoritate omnia fieri debere, intra ſe ſtatuunt. Mittitur Romam Paulus, qui prius Julianum Medicem Pontificis

Fratrem convenit, qui etiam Patres Camaldulenſes ſemper ſummopere dilexit, ſuamque operam in rebus Eremi libentiſſimè impendit; cujus favor, ac potentiſſima auctoritas, non parùm ad hoc opus perficiendum profuit: deinde ſummi Pontificis pedes oſculaturus accedens: omnia quæ in mandatis habebat, eidem humiliter exponit. Quô auditô, benignè Pontifex petitioni ultrò annuit, ut qui cuncta Religionis incommoda jam antea intellexerat, nec quid fieri opus eſſet ad ejus reformationem, ignorabat. Expeditô igitur de more Curiæ mandatô, omnibus ſimul cujuscunque Claſſis Camaldulenſis Ordinis Religioſis, generalis Conventus Florentiæ, aſſignata in literis die celebrandus indicitur. Congregatis tandem ad deſtinatum locum, omnibus tam Conventualium, quam obſervantium, nec non Eremitarum Prælatis, multa conſideratione, longoque tractatu (prout res ipſa poſtulabat) ad debitum finem generale Capitulum deductum eſt: Menſe Maij Anno M. D. XIII. In quo præter ea, quæ obſervantiæ vigorem concernebant, actum eſt; ut ſacra Eremus Camaldulenſis in ſuum priſtinum præeminentiæ ſtatum reſtitueretur? ſicut revera reſtituta fuit, & in ſuam primævam dignitatem redintegrata, inque Religionis totius caput denuo erecta. Rurſus ex Conventualibus (licet non omnibus) una, & ipſa obſervantiſſima Congregatio eſt facta, quæ unita cum ſacra Eremo capite ſuo, in unum corpus redacta eſt Camaldulenſis Religio. Ideoque doctiſſimus Petrus Bembus, qui tunc Pontificis à Secretis erat, & poſtea Cardinalis factus eſt, in principio Privilegii Leonis ad Camaldulenſes: hæc dirigit verba. *Attendite, quam piè ſanctiſſimus Pontifex Religionem veſtram reſtaurare, ac decorare ſtuduerit, ſeparata, & diſſipata pene, atque à capite ſuo Camaldulenſi Eremo diviſa membra redigere,*

gere, *& capiti suo unita*, *ad unam Congregationem reducere curavit.* Similiter provisum est, ne de cætero Generalatus perpetuus foret, sed triennalis; quodque alternatim ex Monachis & Eremitis, Prior Eremi, hoc est Generalis, eligeretur. Præterea, cum constitutiones Eremi præ vetustate, temporumque diversitate, atque auctorum varietate vix jam inter se cohærerent, obque multitudinem, quid observandum esset ægrè constaret: ordinatum extitit: ut chaos istud in justum opus, & certum ordinem reduceretur, de quibus latiùs dicto Privilegio. Hoc itaque insigne munus, imo veriùs gravissimum onus humeris Pauli impositum fuit; atque ei tanquàm fidelissimo, idoneoque Religionis ministro totius negotii substantia commissa est, cum plena tollendi, mutandi, corrigendi, addendi, & juxta arbitrium suum reformandi auctoritate. Quod prolixum, difficile, ac laboriosum opus, post longam recusationem, omninò invitus à superioribus suscipere cogitur. Quô tandem munere susceptô, multa diligentiâ, atque labore ex infinitis determinata collegit, varia, ac dissona concordantia fecit: ex multis denique unum, certumque mira arte coadunavit opus: quod quidem ex alienis, proprium suo jure reddidit. Opus inquam, quod nec gravitate Hieronymo, nec facundia Augustino, nec facilitate Gregorio cedit: in quo & auctoris ingenium, artificis peritia, scientiæ magnitudo, & omnia pietatis dogmata relucent. Porrò cum Delphino Generali, bonisque omnibus mirum in modum placuisset Libellus, eundem non constitutiones simpliciter, sed Eremiticæ vitæ regulam appellari voluerunt. Originale auctoris manuscriptum, in sacræ Eremi Montis Coronæ Bibliotheca custoditur.



CAPUT XI.

Labores & Prælatura Pauli.

MOrtalium natura, humani cordis ſenſus: & cogitationes ad malum prona eſſe, ſacra teſtatur ſcriptura; atque rectos virtutis tramites abhorruiſſe ſemper, experientia, optima rerum magiſtra, quotidie docet. Gaudet ſiquidem infelix homo, juxta proprium ſenſum, & ſi corruptum liberiùs oberrando ambulare, ac ſancta monita prudentum, ubique reſpuens, fidelem doctorem contemnit, adulatorem autem peſſimum in ſuam perniciem ſequitur, & iniquum diligit conſultorem. Unde veriſſimus illud comici Poetæ: *Obſequium amicos, veritas odium parit.* Porrò ob hæc, quæ ſupra retulimus, multi tam Monachi, quam Eremitæ paulum magis, ac magis diligentes, ſummoque amore complectentes, Patrem, ac defenſorem eum vocitabant. Etenim Religioſi omnes, & ſanctæ obſervantiæ amatores, ejus operâ, & virtute conſideratâ, hominem Dei, & Religionis zelum habentem ſuſpicere, continuisque laudibus efferre non ceſſabant, perpendentes, quanti boni fuerit auctor. At ex adversò, multi eorum, qui comitia celebrata ægrè ferebant, eò quod ſuis illicitis commoditatibus privati exiſterent, regularis quippè obſervantiæ oſores, in ejusdem obſervantiæ protectorem magno odio exarſerunt, procacibus verbis eum laſceſſere non ceſſantes. Remanſerant utique non pauci in ſua conventualitate, in qua perſeveraverunt usque ad Pontificatum Pij quinti, qui Tridentini Concilii decreta ſequens, eos, ſicut in aliis quoque reli-

Religionibus fecit, radicitus extirpavit. Isti inquam benignissimum Justinianum, tanquàm suarum calamitatum causam existimantes persequi statuerunt. Attamen Paulus, cui pia mens semper inerat, eorum omnium certior factus, patienter ferre, bonum pro malo eisdem reddere, pro persequentibus se incessanter orare, & tanquàm surdus non audiens, & mutus, non aperiens os suum, æmulorum insanias cum summa benignitate diutissimè supportavit; cuncta propter Deum, quasi stultus factus, dissimulans. Memor profecto illius, qui dixit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum.* Atqui hæc mala, & adversa, eum parum, aut nihil afficiebant, ut qui patientiæ assuefactus modicum quid etiam in magnis adversitatibus vix sentire poterat, imò ipse solitus est dicere: tunc non bene cum Dei servo agi, cum omnia ei arridere videntur, & secundùm votum succedunt: sed tunc rem illi prósperè contingere; cùm undique eum adversa circumdant, & dolore urgente premunt; juxta illud: tanquàm aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos. Reversus itáque Vir Dei in Eremum, externis negotiis omnibus rejectis, iterum solitariæ Cellæ possessor factus, secum negotiari cæpit, & quid foris boni egerit, quidve mali admiserit, justa trutina examinat: de bono gratias agens Deo, de malis, si quid erat, gravi censura corpus affligens.

Hoc illi familiare erat, nullum vel minimum erratum impunitum relinquere, propriæ scilicet carnis sævissimus ultor. Revertitur insuper ad pristinam orationis frequentiam, reassumit secreta pœnitentiæ exercitia, & quasi mundo exul effectus, omnis ejus conversatio in cœlis erat. Hoc eodem loco, & tempore, in hac assidua mentis ad Deum eleva-

elevatione (ſicuti poſtea ſuis narrare conſuevit) paſſim occurrebat illa ampliandæ Eremiticæ converſationis divina inſpiratio: quæ in ipſo Religionis tyrocinio ejus menti (ut diximus) inhæſerat. Verùm cum ipſe Seniorum disſuaſione eandem tanquàm ſuſpectam totis viribus ejicere tentaret, tunc illi tenaciùs inſidere viſa eſt. Quæ res quandoque, dum libens in illa cogitatione moraretur, conſolatio magna, ſed quoties eam à ſe abdicare niteretur, toties cordis dolor, & mentis ſumma conſequebatur turbatio. Præterea tanta iisdem diebus abſtinentia utebatur, ut miniſtri, qui quotidiè cibos Eremitis per ſingulas Cellas miniſtrare conſueverant, mirarentur; quibus rem ſuperiori nunciantibus, actum eſt, ut juſſu Majoris, majorem portionem ſummere cogeretur alimenti. Sacrum ſilentium violare nunquàm viſus eſt, nisì interrogatus: ita, ut intuentes in admirationem adduceret. Poſtremo, omne tempus, quod peractis divinis officiis ſupererat, abſorbebat lectio cum oratione; quibus eô modô ſe applicuerat, ut videntibus ſtupidus, ac ſui abſimilis appareret. Si aliquando ſylvas ingreſſus animi recreandi cauſa, prout illic fieri ſolet, deambularet; ſtatim in aliquàm non momentaneam meditationem inducebatur: quò per ea; quæ facta ſunt ut Apoſtolus ait, inviſibilia Dei intelligere poſſet. Sic utique die quadam, dum inter abietes, & fagos versùs Eremum novam, ſolus ſpeculando pergeret, ſcalam obedientiæ excogitavit, de qua poſtea elegantem libellum dedit. In cujus principio, taliter de ſe ſcribit: *O quàm dulce commercium, O quàm felix occupatio, O quàm ſuavis converſatio mihi evenerat, O utinam diutius in ea manere potuiſſem.* Hæc ſane operabatur in ſervo ſuo divina bonitas, quò poſtea, cum ſibi placuerit, à tanto otio ad majores labores eum avocaret: ſic eundem exer-

exercens ut ſuo tempore & actioni, & contemplationi ſimul eſſet idoneus, nec otioſam tantùm, aut laborioſam, ſed mixtam perageret vitam: unde illi contigit, quòd vix per ſemeſtre, guſtata dulciſſima quiete, ad exteriora iterum negotia egredi cogeretur: cum enim experientia didiciſſent Patres, quanta in eo eſſet rerum peritia, alium neceſſitate occurrente mittere, ne cogitabant quidem. Nec illi quicquàm profuit magna, qua uſus eſt apud Superiores excuſatio, quò minùs perſeverantibus in propoſito Patribus, obedientiæ jugum ferre cogeretur; quod ipſe etiam proprio ſenſu repugnante, ſemper libentiſſimè amplexus eſt. Hinc factum eſt, ut ſine mora foras egreſſus, amata ſolitudine relicta, ad populares tumultus accederet, factus quippe quaſi mollis cera ad omnem formam obedientiæ recipiendam aptus. Dum igitur extra Cellam, imo extra fines Camalduli verſatur, dum ſæcularia inter ſæculares tractat, quod labores, quanta incommoda perpeſſus ſit, explicari non poteſt. Unum prætcrire non debeo; quod ſcilicet, quandocunque vel in cubiculo, vel alio in loco ſolum ei manere datum eſt, toties, ſuſpiria emittere, & lachrymis abundare non ceſſaret (atteſtante ejus comite) continuò dilectæ Cellulæ amiſſum ſolatium deplorans. Neque hic ſilentio prætereundum eſt, (quòd ultrò ejus ſocius referre ſolebat) nunquàm videlicet vidiſſe eúm aliquod negotium tractare cæpiſſe, niſì longa oratione præmiſſa, propterea cuncta incredibili temporis brevitate, mirabilique facilitate perficiebat. In his ergo negotiis, quæ multa, & difficillima tunc temporis in eadem Eremo fuerant, propter quædam beneficia recuperanda, ferè biennium conſumpſit, vix tertium quemque menſem in Eremo agere valens. Cruciabatur miſer tot laboribus, difficillimisque itineribus fatigatus, nunc Romam,

nunc Florentiam; Senas, Aretium, & alias Civitates adeundo: nunc Cardinales, nunc Episcopos, ac sæculares Principes interpellabat. Tandem Deo auxiliante ab omnibus extricatus in solitudinem revertitur. Sed dum post longum tempus relicta pia Exercitia reasumit, dum denuò cœlestis roris libamina degustare incipit: ecce Anno M.D.XVI. quarto nempe à Professione sua, Generalis votis omnium declaratus est; Quam, supremam, scilicet, Ordinis Prælaturam invitus suscipere adactus; eâ diligentiâ, & rectitudine administravit, ut omnium, qui tunc secum degebant testimoniô, nunquàm meliùs, neque utiliùs sacra Eremus tam in spiritualibus, quàm temporalibus gubernata fuerit. Multa dùm hoc Generalatu emineret memoriâ posterorum dignissimâ gessit, quæ omnia hic referre prolixum foret; inter alia tamen opere pretium est scire, brachium unum sanctissimi Patris Romualdi ad Eremum deportâsse, quæ per annos ferè quingentos sine reliquiis sanctissimi Fundatoris mansit. Quod quidem mirabili quodam modo obtinuit, nec sinè miraculo à sacro ejus corpore abstraxit, de quo suo loco pleniùs. Finito autem ejusdem prælaturæ cum summo Dei honore, Religionis decore, & utilitate, triennii tempore, cum ipse viam unitivam, seu contemplativam experiri unicè desideraret, humiliter loco & tempore debito reclusionem sibi per annum concedi petiit. Est autem reclusio apud Camaldulenses, cum quispiam in Cella ad hoc destinata perpetuò, aut ad tempus, de licentia Superiorum suorum semet includit, de qua reclusione, inferiùs ex professo tractabimus. Hæc tamen gratia tam ardenti desiderio expedita, non solùm non fuit illi concessa, sed illico reclusionis loco, Romam quorundam negotiorum causâ missus est; ubi coactus fuit per aliquot menses residere.

dere. Camaldulum poſtea reverſus, ſed nec ibi deſuerunt illi occupationes, & diſtractionum fomenta: quamobrem tanquàm puer ablactatus, ſeu à lacte depulſus, quietis religioſæ privationem amaris lachrymis plorabat; videns omnem viam ſpiritualis otii, quàm ipſe tantopere anhelabat, prorsùs ſibi eſſe ademptam. His & aliis juſtiſſimis laboribus virtute obedientiæ ſedulò vacans, Deo, Religioni, & ſibi ſatisfacere conabatur piiſſimus Dei Servus.

CAPUT XII.

Vetus deſiderium Pauli, Eremiticum Inſtitutum dilatandi, matura deliberatione expenditur.

Meminiſſe oportet nos in ipſo Operis frontiſpicio, Paulum Juſtinianum, ſecundùm Romualdum nominâſſe, quod quidem vel ex hoc ſatis comprobari poteſt, quòd ab initio converſationis ſuæ vehementer eum optâſſe manifeſtum eſt, ut Eremitica Camaldulenſis proles latiùs propagaretur. Quod ſimiliter & ſanctiſſimo Romualdo ſemper in votis fuit, qui per totam vitam novas, & novas Eremos condere, ut ſuam Religionem dilatare anxiè ſtuduit, & ut Petrus Damianus annotavit: *Mundum univerſum in Eremum, & omnes homines in Eremitas convertere anhelabat.* Simile quid fieri noſtro quoque Juſtiniano deſideranti, diſplicuit nimis, tanti boni viam mortalibus claudi, nec non animas ſuas lucrandi occaſiones tolli. Ut autem ea, quæ diximus rectiùs intelligantur, ſcire oportet; ea ætate inter Eremi-

tas Camaldulenſes inſtitutum fuiſſe ; ne Eremitica familia, extra illam Eremum Camalduli dilataretur, & qui ibidem de augmentando Ordine verba faceret, non parvam Patrum notam incurrebat. Quæ ſuperſtitioſa obſervatio Paulo Juſtiniano, & aliis meliora ſentientibus Viris parùm æqua viſa eſt. Non defuerunt argumenta, quibus zelum Pauli ſubvertere niterentur, ajebant namque multa condidiſſe Romualdum Eremitoria, quorum hodie vix veſtigium ſupereſt; eò quòd difficile ſit Inſtitutum, & in diverſis locis illud exactè obſervari non poſſe. Quam ratiocinationem Paulus paucis diſſolvit; dicebat enim: eandem rationem retinendæ obſervantiæ in ſingulis; (licet pluribus) locis haberi poſſe, quæ in uno ſolo habetur, quod numeroſa aliarum Religionum Cœnobia nos docent. Nec obſtat plurima Romualdi Eremitoria, quæ bellicis illius ætatis tumultibus infeſtata defecerunt. Sanctô igitur zelô plenus Paulus noſter, non amplius nitebatur coram Delphino Generali, & aliis coeremitis ſuis talia proponere, & juſtis rationibus honeſtum utileque futurum oſtendere, à quibus ejus ſententia longe ſemper rejecta fuit, eoque jam ei ſuperflua videbatur omnis de hac retractatio. Verumtamen non ideò ex toto in eo ceſſabat pia intentio, quin imò ſancto ſuggerente ſpiritu, magis ac magis augebatur, & velut parturiens ad producendum fœtum impellebatur. Quæ res (& ſi ſancta) magno ei fuerat impedimento in conſervanda animi quiete, frequenter mentem ejus à divino abigebat conſortio. Huic alia potentior, magiſque moleſta jungebatur perturbatio, perpetua videlicet exteriorum cura, & negotiorum occupatio continua. Scimus enim, quot labores, & animi moleſtias, ut Eremum à diripientibus tutaretur, pertulit. Vidimus ad generalem Conventum congregandum qualiter

insudavit: in Constitutionibus conscribendis, quot dispendia spiritualis boni sustinuit, quot vigilias egit, insomnesque noctes pertransiit.

Rursus in Generalatu suo, quantis occupationibus, curis, & anxietatibus pressus, & angustiatus esse putandus est? Itinera, difficultates, controversias, & animi cruciatus in tot negotiis peragendis, quis valebit enumerare. Quid moror, nunquàm sine gravi rerum agendarum pondere Camalduli vixit, & ut verbô dicam, ex Eremita factus est negotiorum gestor. Hæc dum intimiùs secum cogitat Dei servus, non benè agi secum sentit: frustrà patriam, donumque paternam reliquisse, frustra Urbes, ac popularem turbam fugisse, sine causa in solitudinem venisse, & tandem in vanùm seipsum, suosque abnegasse, sibi persuasum pergit. Hinc Deum, quem ipse quærebat, & mundum simul quem fugerat, amisisse: atque in profundum perturbationum, tempestatum, negotiationisque barathrum iterum incidisse, miratur. In summa, cum prædictis de causis sese à divino commercio alienum penitus perpenderet, cæpit de oportuno remedio cogitare. Qua in re cum diu multumque detineretur, inter cogitandum (mirabile dictu) non ampliùs laborum præteritorum recordabatur, nec molestiarum supradictarum meminerat, nîl aliud menti occurrebat, quàm ut conceptum suum viriliter prosequeretur, & sanctum propositum ad effectum niteretur perducere. Et cum adhuc propter Delphini (quem semper magni fecit) & aliorum sententias quodammodò hæsitaret: ecce alia exadversò ratio ipsum ad hæc ulterius pertractanda, vi quadam, impellebat. *Quis* (intra se ait) *rationabiliter dubitabit, plures salvari posse, si plura ad hoc loca præparentur? an non duplici rete plures capiuntur pisces? an solius Camalduli Deus?*

aut

aut inter abietes illas tantùm habitantibus divinæ infunduntur gratiæ? absit à nobis id sentire. Non tanti facienda est horum opinio, ut eam Benedicti, aut Romualdi consilio anteponamus: qui sanctissimi Viri usque ad ultimum vitæ, in Cœnobiis, Eremitoriisque ædificandis, atque Fratrum familiis adaugendis, sine intermissione desudarunt: quod & omnes Religionum Fundatores fecisse in confesso est. Et quot millia Discipulorum Benedicti in catalogo Sanctorum relata leguntur; nunquid Cassini omnes salvi facti sunt? multa insuper millia Romualdinorum beatas possident sedes; nunquid omnes ex Malduli agro illuc volaverunt? an Divus Romualdus illic obiit? an sancti Viri Joannes & Benedictus, Bonifacius & Parisius, Dominicus loricatus, & Joannes de laude, Matthæus & Cristinus, & alij quam plurimi vitæ suæ sanctitatem in hac Eremo adepti sunt? quorum vix aliquis Camaldulum vidit: quos tamen scimus inter electos Dei triumphare. Jam si laudanda est Eremus ista Camaldulensis ratione integritatis & observantiæ; nunquid non aliàs similes potest dare Deus? non est, non est revera abbreviata manus Domini. Illud profecto illud in hoc laudabili Viro valde mirandum venit, quòd præfatum suum desiderium, seu veriùs, ut credendum est, divina inspiratio, non erat in Italia, neque in Europa remanendi, sed ad Indos, atque Antipodas noviter repertos, aut in terram sanctam, denique ad infideles nationes Anachoreticum institutum animus dictabat transferendum.

Memor equidem beatissimos olim Antonium, Hilarionem, & alios Sanctos solitarios, multùm exemplô & instituto suo nascentem tunc Ecclesiam juvisse: simili modò existimans hodie in India, vel ut vocant Orbe novo, plurimùm profuturum solitudinis propositum ad infideles illos convertendos. Dum ergo in hac deliberatione per menses aliquot dubius versatur animus, plurimæ illi occurrunt tum

tùm opportunitates, tùm etiam difficultates ad hujuſce modi rem peragendam. Quamobrem ad aliorum conſilium, orationesque multorum confugit, à quibus ipſe, nec quidem momentô vacabat: jejunia ſtrictiora addens, & aliis ſpiritualibus ſecretioribus Exercitiis non parcens. Quò videlicet, dubietatis certitudinem à Patre luminum obtinere mereretur.



CAPUT XIII.

Beatus Michaël conſulitur & reſpondet.

COmmorabatur tunc temporis in ſacra Eremo Eremita quidam piiſſimus nomine Michaël, qui per annos, ut ferunt, viginti, ſecundùm Religionis noſtræ morem in quadam Cella ſeorsùm incluſus manſerat: Vir magnæ ſanctitatis, cui Deus de theſauris gratiarum ſuarum quinque talenta tradidit, quibus ipſe negotiari, & alios multos ditare abunde valeret. Fuit imprimis miræ abſtinentiæ, & raræ parſimoniæ poſſeſſor, ſilentii ac ſolitudinis impensè amator, cilicio ac jejunio eſt ſingulariter delectatus; in tentationibus, & ſpiritualibus pugnis, quæ illi copioſæ fuêre, fortem atque invincibilem ſe ubique præbuit, ferventiſſimæ orationis aſſiduus conſervator; Viſiones denique, & crebra divina colloquia, quæ illi Deus largiter communicare dignatus eſt, quis enarrabit. Extitit & Miraculorum operator, & prophetiæ ſpiritu mirificè dotatus fulgebat.

Iſte

Iste est, qui coronam dominicam, quam hodie Patres nostri tot indulgentiis ornatam, devotis fidelibus distribuere solent, in eadem reclusione divinitùs accepit. Huic sancto Viro cum Paulo magna fuit semper spiritualis animorum conjunctio, sanctaque amicitia.

Quorum mutua benevolentia, ex hoc satis manifesta apparet; quod requisitus B. Michaël per serenissimum Urbini Ducem, ut sibi tunc in lucem editum filium sacro Baptismatis fonte ablueret, præpeditus reclusionis lege illuc ire, Paulum Justinianum, ad tam sanctum, honorificumque opus præ cæteris substituere voluit. Hunc ergo præcipuum consultorem habuit Paulus, pro facti, ac intenti sui scrutinio; quem cum non raro interrogaret, quò ejus super propositionibus factis sententiam intelligeret, hunc ferò in modum solitus est semper respondere. *Quod tu mente concepisti Pater mi, nec laudare, nec damnare audeo; sed cùm res magni ponderis existat, orationibus insistere, jugique mentis intentione Deum deprecari tibi suadeo.* Quadam autem vice instantissimè, precibusque multis à Paulo, quasi adjuratus, post quoddam amarissimum emissum suspirium, ait: *Vellem te memorem esse, quantus fuerit meus semper erga te amor, quantumque te in visceribus JESU Christi dilexerim: hæc eadem fidelis dilectio me retinet, quò minùs pro tua ista peregrinatione, ex corde puro DEO preces effundere valeam. Desiderans summè, quousque tibi vita comes fuerit, te hic apud nos manere. Novi enim (& si in hoc voluntario carcere clausus) quàm utilis sit, tùm domui, tùm parvulo gregi huic, tua præsentia. Nec ignoro, quantùm incrementi domesticis dederit prudentia, quâ dotatus es. Et quòd plus cæteris, animum meum movet, satis mihi notus est fervidus zelus, quem tu circa Eremiticam observantiam perpetuò in pectore tuo accensum geris, quo certè non uni, aut alteri, sed univer-*

universis Eremicolis nostris plurimùm prodes. Nec te latere debet, quousque accreverit in hac sacra Familia tuis monitionibus ac regimine, Eremiticæ observantiæ rigor, tuo exemplo, ac vigilantia, Religiositatis norma sit stabilita. Quid multis opus est? omnes te suspiciunt, omnes reverentur, cuncti denique te libenter audiunt, & correctiones tuas cum gaudio admittunt. Omnes Seniores honorem tibi gratanter deferunt, juvenibus tu Pater, Dux, & antesignanus, & ut verbô cuncta complectar, nutu tuo tota hæc sancta Familia pendet, ac regitur. Nunc èconverso cogita, quantam mæstitiam discedens congeres in corda nostra, quâ afflictione afficis omnium nostrum animas, perpende qualis in sacra Eremo, tui causâ fiet perturbatio. Concidet sanè juvenum fervor, senes contristabuntur, & omnes, te discedente, animum despondebunt. Si tu lucrum animarum mihi objicere velis, ego persuaderi non possum, te alibi (quocunquè ieris) plures aquisiturum, quàm in hac lata DEI officina Christo comparare potes. Jam tu mente peragrâsti orbem, jam transacto mari penetrâsti Indos, jam infideles barbarasque nationes ad Christi fidem convertisti, & tandem illic jam mille condidisti Eremos. O quàm facile, Pater mi, rerum idæas in intellectu formamus, sed easdem ad veram essentiam perducere, hoc opus, hic labor est. In summa ne te diutiùs suspensum teneam, præstare quidem potest Deus, si pergas, ut aliquid proficias, desiderium autem tuum omnino non adimplebis.
Ex his autem ambiguis sancti Viri verbis incertior multò, quam ante fuerat, suspensus animo, multa apud se ac varia cogitatione anxiabatur; constanter nihilominus expectans Dei, juxta suum beneplacitum, dispositionem, renuncians ex animo cuncta Altissimo ex animo disponenda.

CAPUT XIV.

Paulus iterum in Generalem eligitur, & privilegium Eremitici Instituti dilatandi à sede Apostolica obtinet.

ETsi animum Pauli, ad præfatum negotium pertentandum, Spiritus Sanctus (ut creditur) secreta inspiratione urgebat; attamen temerè aliquid aggredi Vir prudentissimus veritus: juxta Evangelicum consilium, sedens, seduloque sumptus computans, intelligebat Dei opus, non hominis esse tam excelsam turrim ædificare. Dum itaque in hac perplexitate versatur, ecce iterum in Generalem omnium votô sublimatur; quam dignitatem, cum ipse valde recusaret, nec tamen quidquàm renitendo proficeret, visus est præ dolore deficere. Verùm tamen Patribus in electione persistentibus, coactus est obedire, & propria voluntate calcata, vel invitus ponderosum onus, portare. Suscepto igitur hujus dignitatis charactere, incipit, quæ sui muneris sunt perlustrare: atque compositis primitùs, quæ ad observantiam Eremitarum, & Fontisboni pertinebant. Egreditur foras possessiones Eremi visitatum, inter hæc in villam quandam ad Eremum spectantem (*quam vineam vulgò vocant*) pervenit, colonos, & quæ ibi agebantur lustraturus: cumque illic in cubiculo quodam solus horarias preces persolveret; ecce tres famosissimi illius regionis grassatores (*vulgò banniti*) domum ingressi, ubi sit hypocrita ille, clamitant furiosi; ac domûs inferiora cubicula furore magno intran-

intrantes, eidem insidiantur: quibus nisi Frater, ejus Socius prudenter obviâsset, proculdubio Vir Dei gladiis impiorum occubuisset. Cujus verò impulsu, seu quo dæmone inducti infelices illi tantum facinus perpetrare voluerint, non satis compertum habetur, neque vulgatas hujus facti suspiciones propalare fas est. At Vir pius, tantum vitæ discrimen Dei providentiâ evasisse recognoscens, ad orationem se illico convertit, in qua gratiarum actione dum ferventer instaret; in longum mentis excessum rapitur. In eo verò excessu divinitùs in suo peregrinandi proposito est confirmatus; ita quidem ut nulla in eo remanserit ambiguitas, sed firma abindè exorta fuit in eo dubiorum resolutio. Unde ad se reversus, diù quasi admirans quid hoc esset, longiorique ipsiùs novæ mutationis discussione habita, in hæc verba prorupit: *Magna est misericordia tua Domine! tu enim eruis sperantes in te: ecce eruisti me de laqueo venantium foris, & intus liberasti ab omni anxietate cor meum, nunc demùm voluntatem tuam sanctissimam cognoscens: facilè, & quid mihi faciendum sit intelligo. Ecce ne ampliùs titubaret animus, causam discendendi dedisti. Non enim frustrà dixisti tu veritas ipsa: cum persecuti vos fuerint in una Civitate, fugite in aliam. Tu inquàm, ista super me venire permisisti, ut ego fugiens, tuam sequar voluntatem. Sed undique mihi angustiæ sunt: nam si discedens: sacram Eremum deseruero, ac Patres venerabiles, Fratresque meos dereliquero, hominum indignationem incurram, atque convicia multa non effugiam. Tùm labores, qui me in arduo negotio, támque longa peregrinatione, expectant, non parùm terrent animum meum. Verumtamen si propter ista, sanctam inspirationem contempsero sequi, Spiritui Sancto resistere videor; ideoque judicium Dei non effugiam: atqui meliùs est, inquit scriptura, in manus hominum incidere, quàm in Deum,*

qui bonus est, peccare. Restat equidem, ut ad sanctorum Patrum nostrorum exempla confugiam, & ante omnia, sanctos Benedictum & Romualdum imitari non negligam; qui similes ob causas, & prælaturas deposuerunt, & perversos homines fugientes, locum mutare consueverunt, an id, quod sanctissimis his Viris licuit, mihi non licebit? Nunquid sanctos erasse dicemus? absit. Justi enim spiritu Dei aguntur. His denique rationibus, aliisque multis ritè consideratis, sanctorum vestigiis inhærendo Camaldulum relinquere, & furentibus adversariis cedere decrevit. Verùm antequàm opus aggrederetur, volumen Constitutionum, quod jam excussum habebat, vulgavit. Deinde Romam Leoni summo Pontifici omnia, quæ facere decreverat, manifestaturus se conferre decrevit: quò cùm pervenisset, ab ipso Pontifice benignè acceptus, eidem mentem suam fideliter exponit. Re auditâ, gavisus valde Pontifex, verbis multis devotum oratorem hortatur, ne à cæpto desistat, & quod ab ipso petitum fuerat, libentissime confirmat. Imò vel ex hoc à Deo illuminatum Pontificem, manifestum est: quòd cum Paulus ultra mare tantùm pergere, ut sibi liceat, postulasset: proprio motu Pontifex clausulam adjungi jubet, ut scilicet, concessione hac specialiter in Italia, & generaliter ubique terrarum liberè uti posset. Summa autem concessionis hæc est; ut liceat Paulo, & sociis ei adhærentibus Institutum Eremiticum Camaldulense in Italia, & ubique terrarum citrà, & ultrà Mare, ad Indos usque, sive antipodas ad libitum dilatare: nova Eremitoria condere, erecta suscipere, seu de manu largientium acceptare. Item venientes ad se Novitios recipere, & habitu induere, eorumque professiones àdmittere, nec non omnia sibi bene visa, tam in victu, quam vestitu statuere, ordinare, corrigere, restringere, atque mutare (dummodò

modò à ſubſtantialibus Regulæ non devietur) plena ſit ei, ac ſuis in perpetuum facultas. Quibus addita eſt ab omnibus Prælatis, & ſpecialiter ejusdem Ordinis Camaldulenſis, ac Superioribus quibuscunque pleniſſima exemptio. In eodem diplomate Congregatio hæc; Societas Eremitarum Sancti Romualdi Ordinis Camaldulenſis nuncupata extitit. Cui inſuper ſocietati à ſacra ſede Apoſtolica, omnia privilegia, & indulgentiæ ſacræ Eremi, ac totiùs Religionis, atque adeò privilegia, & immunitates cujuscunque alterius Religionis ſine exceptione aliqua, benignè conceſſa fuêre. Acta autem geſtaq; hæc fuêrunt Romæ 22. Auguſti M.D.XX. Taceo hic brevitatis causâ, quanto favore eandem Societatem proſecuti ſunt Adrianus ſextus, Clemens ſeptimus, & Paulus tertius Pontifices Maximi. Qui eidem, quid quid aliis Congregationibus, & quibuscunque piis locis, aut etiam privatis perſonis à quocunque Pontifice, & quocunque tempore conceſſum reperitur, largiſſimè ſunt impertiti.



CAPUT XV.

Paulus depoſita Generalatûs Dignitate Camaldulum relinquit.

ERunt fortaſſis, qui hic univerſa tam privilegia, quàm immunitates prædictas, deſiderent ad verbum expreſſa, quod nobis non expedire, viſum eſt: tùm quia tot inſtrumenta hìc inſerere longum foret, tum quia legentem tædiô fors afficerent. Satis cuique fore exiſtimamus, ſi quæ ad plenam cognitionem rei, de qua agitur, ſimpliciter fuerint

rint enarrata. Re igitur Romæ tantâ felicitate, ac facilitate peractâ, tot etiam gatiis (Deo præordinante) in brevì obtentis, inque suo saluberrimo proposito fortiùs confirmatus optimus Pater Camaldulum revertitur. Quò cum primùm venit, Patres de more, locô solitô congregari jubet, quibus plenô numerô existentibus, quid quid absens gesserat, singillatim enarravit, discendique animum cathegoricè exposuit. At ne quid impedimenti superesset, dignitati Generalatûs, qua fungebatur, ante omnia renunciavit: neque causas, propter quas discederet, illis voluit occultare, ex quibus clarè cunctis patere potuit sui discessus ratio. Postremò de facultate sibi à sede Apostolica, omnes palam reddit certiores: ut nimirum ipsis scientibus opus inchoaret, neque eum quis temere in cæpto impedire tentaret. Hoc auditô, quidam rem summopere approbantes, laudant sancti Viri propositum: quidam autem hominem, stulto similem reputantes, opprobriis afficiunt, atque irrident, ejusque intentum, tanquàm temerarium condemnant. Verùmtamen ex utraque Classe, haud multò post, nonnulli fuerunt, qui relictâ Camaldulensi Eremô, eundem libenter secuti sunt: cui dexteram dantes, associati, in omnibus, & per omnia ad finem usque adhæserunt. Inter quos vitæ, & morum integritate præcipui fuêre: Augustinus Bazanensis, & Nicolaus Trivisanus Venetus, Eremitæ ambo Sacerdotes: nec non Olivus Conversus fidelissimus, ei denceps in omnibus laboribus, & ærumnis individuus comes. Ii omnes postea in nova Societate fideliter perseverantes, suis sanctis exemplis multos ad conversionem, & conversos ad perseverantiam excitârunt. Pervenit tandem ad aures Delphini hujus facti impiger nuncius, quô acceptô, quantô dolore

affectus

affectus fuerit senex (valde namque eum diligebat) satis ipse duabus Epistolis, ad Justinianum Bergomensem Eremitam missis, ostendit; in quibus mirari, ac de præfata mutatione sui Pauli dubitare non cessat, & prænimio affectu rem improbare nititur. Sed prætermissis his, ad eum, qui iter facturus est, revertamur; mansit enim die illa, & nocte sequenti in Eremo haud otiosus. Quidam enim eum privatim convenientes, benignis verbis benevolentiam suam ei ostendentes retinere pertentabant, alii rem apertiùs intelligere cupientes, variis modis sciscitantur, qualiter nam sit rem aggressurus. Cumque ille in Hispaniam primùm se navigaturum, ac deine, relictis Herculis columnis, in Indiam (aut quò Deus deduxerit) transiturum revelaret, stupebant omnes tantæ novitatis motum in homine pio pariter ac doctissimo audientes: atque rem altiùs considerando, sic apud se ajebant. *Aut hic insanit, aut in eo spiritus Dei latet, & nobis ignorantibus, aliquid magni per eum operari intendit.* Alios, quos Paulus Mœstos esse agnoscebat, blando sermone (quo ille singulariter dotatus erat, consolabatur; & sic unicuique, prout meliùs poterat, satisfaciens, diem illam, non sine fructu consumpsit. Nocte verò sequenti decumbere noluit, sed in propria Cella, in oratione pernoctans, se totum divinæ voluntati resignavit, omnia quæcunque acturus esset providentiæ Altissimi regenda commisit, non semel protestatus se nihil secundùm propriam voluntatem agere, neque cogitare velle. Postero autem die, ad ortum solis, re sacra peracta, ad suum Michaëlem (cujus superius meminimus) reclusum solus se confert, qui prævié omnium conscius, primus sat alacri vultu venientem Paulum salutavit; quod non sine admiratione animadvertens Paulus, ait; *Existimabam ego te*

gravius

gravius cæteris casum hunc laturum, quem tamen lætabundo similem aspicio. Ad quem Michael: *si carnis affectum sequerer, te lachrymis libenter redimerem, sed spiritus, de tuo isto dono congaudere jubet.* Cum verò instaret Paulus, ut dictum hoc clariùs enodaret: obmutuit ille, nec ampliùs locutus est verbum. Tandem mutuis amplexibus, osculisque datis ab invicem non sine dulcissimis lachrymis recedunt. Inde Paulus, assumptô sibi Sociô Olivo converso (cujus supra mentionem fecimus) ad ostium Eremi tendens, ecce obviam ei, quot quot erant in Eremo illa Patres & Fratres; quem circumdantes: hic manum apprehendit, ille collum amplexus, alter fletibus, alter vocibus & singultibus, omnes ore uno conclamant, ne se deserat, ne ve ipsos aspectu suo suáque sancta conversatione privet Luxit & ipse, alioquin Vir fortis, tanta filiorum suorum charitate victus, atque præ dolore concepto, ne unum quidem consolatorium verbum dicere potuit, sed benedictione data, ostii limen transilijt. Denique humili Patrum instantia deprecatus, ut equum cum famulo quodam accipere, dignaretur, quod ipse recusans, baculúmque manu tenens, pedes cum Fratre Socio, ad montem Alverniæ, octo passuum millibus distantem, in domum Beati Francisci, illa die se contulit.



CAPUT XVI.

Alverniæ in Sacello B. Francisci orat.

IN sacro Alverniæ Monasterio novus peregrinus noster à Patribus illis, quibus ipse bene cognitus erat, (non sine admiratione, eò quod pedestrem viderant venientem) multa benignitate recipitur, ac summa charitate tractatur. Ultrà comu-

comunem Ecclesiam per loca devota, quæ illic multa habentur, à duobus Senioribus comitatus deducitur, qui eum de omnibus, quæ ibidem singulis in locis olim contigerant miraculis, piissimis verbis informabunt. Post varia devotissima Oratoria, & miraculosam illam Montis scissuram, tempore Passionis Christi factam, diligenter perlustrata; ad sacrum Sacellum, in quo sanctissimus Dei servus Franciscus veneranda stigmata, hoc est vestigia clavorum Crucifixi suscepit, ventum est. Ubi cum paulisper orâssent insimul, venerabiles illos senes rogat, ut discedentes, se ibi aliquantulùm solum dimittant. Factus itaque voti compos ferventissimus Vir excluso quoque olivo foras, genibus flexis ad sacras Crucifixi effigies more Seraphici Francisci oculos convertit, perpendens totis animi viribus nudum in Cruce pendentem JEsum, & ferè nudum contemplatur ante eum orantem Franciscum; considerat vulnera pendentis, & stigmata contemplantis intuetur; stupet misericordiam Salvatoris, nec capit mens humilis, supplicantis fervorem. Accensus denique meditationibus istis, in quodam mentis excessu supra se elevatus immobilis ad mediam usque noctem permansit; inde quasi in alium virum permutatus egressus est. Quid interim viderit, quidve illic didicerit nulli patefecit; hoc unum, Senioribus nostris referentibus, novimus: quod ex illa Oratione, tantùm paupertatis ac nuditatis amorem imbiberit, ut nunquàm, dum illi vita comes fuit, re quapiam alia magis delectari potuit. Factus utique non solùm, veræ paupertatis amator, verùm etiam constantissimus nuditatis cultor, atque utriusque tenacissimus observator. Adeò certè, ut mane facto, post Missarum solemnia, cùm egressus cœnobio, de monte Perusium versùs pergeret, ad suum itineris comitem verba dirigens, per duarum horarum spatium, de bonis, donísque Paupertatis, déque divitiarum incommodis continuò sit locutus. Cujus sermo-

nis tanta fuit ſpiritualis virtus,& efficacia, ut ipſum auditorem mirum in modum ad eam adamandam inflammaret, & ejusdem perpetuum cuſtodem efficeret: quod quidem non illi infrugiferum extitit, cum impoſterum ſpiritu pauper factus, ferventior multò, quàm antea fuerat, evaſerit, imo ex olivo, ſeu potiùs ex oleaſtro amaro, in ſpecioſam, ſeu fructiferam in domo Dei olivam ſit commutatus. Rurſus opere pretium eſt ſcire, neque Diſcipulum, néque Magiſtrum usque in illam diem paupertati fuiſſe addictos; qui licet divitias non affectarent, nihilominùs rerum commoditatem ubíque libenter amplexi ſunt. Præterea in ipſo montis deſcenſu contigit, ut Paulus (cui res inſolita erat iter pedibus facere) ſæpius ubi opportunitas dabatur, vel lapidi aſſideret, vel baculo innixus præ laſſitudine pauſare cogeretur. Quod animadvertens Socius, compaſſione motus, cum oppido (quod plebem S. Stephani appellant) appropinquarent. *O Pater* inquit, *quam difficulter me ſequaris, video, ideoque ſatiùs erit equum, vel aliud jumentum hìc conducere, quô veharis.* At quem Pater; *& unde tu mercedem vectori ſolves?* meum erit, *ait ille, ſubridens*, jumentum conducere, tuum verò conductionem perſolvere. *Mihi ſane:* reſpondit Pater, *neque pecuniæ ſunt, neque crumena, pauper Chriſti ſum, in eum curam jactavi meam, ipſe me enutriet, atque deducet. Et nunc ſcito Frater mi, ſi mecum pergere velis, te pauperem vitam acturum: neceſſe enim eſt nos impoſterum multas corporis neceſſitates pati, multosque tolerare labores; quæ conditio, ſi tibi forſan non arridet, à me (quod non ſpero) diſcedas oportet.* Ego, inquit Olivus, *à te diſcedam? ego ne te deſeram Pater mi? profectò ſemel pollicitus ſum, & nunc iterum tibi coram Deo, pollicitationem confirmo, perge quò vis, ſemper me (dum tibi gratum fuerit) individuum comitem habebis.* Tunc Pater valde gaviſus eſt, & ad perſeverantiam, patientiámque longa oratione, hortatus, multa de æterna retributione quæ à Deo ſuſtinentibus ſe præ parata eſt, verba fecit.

Inter hæc Olivus ſciens eum ante Eremi diſceſſum ab œconomo domus ſacculum pecuniis refertum accepiſſe, mirabatur quomodò tam conſtanter atteſtaretur ſe nummos non habere. Sed tandem certior factus, quòd dum ipſo diei crepuſculô ad interiora Monaſterii, ad quendam ſeniorem nuncium laturus à Patre miſſus fuiſſet, ſe abſente pecunias ſimul cum crumena pauperibus diſtribuit; quod & teſtimonio revera ita factum fuiſſe, exploratum habuit. Deníque his mutui, ſanctiq; amoris, ac veræ dilectionis colloquiis invicem conſolati, per declivia Montis deſcendentes læti adima pervenerunt.

CAPUT XVII.

Mirabile quid Paulo contigit, & ab idiota docetur.

Relictis ergo Alpium collibus, transactóque Tyberis Alvô, in campeſtribus poſiti, læti ambulabant peregrini noſtri; atque invicem confabulantes, ſine tædio iter, & tempus pertranſeunt. Interim Paulus animo, quæ ad futuram peregrinationem neceſſaria ſunt, qua via, quibusve mediis, tam præclarum facinus peragendum ſit cogitare cæpit; quæ dum mente per volvit, tanta ei facilitas in rebus agendis ſe offert, ut nullo negotio jam peracta omnia viderentur. Nihil illi ampliùs obſtare, ne dum eum impedire, quò minùs ad ea, quæ ſemel apud ſe deſtinaverat pertingeret, videbatur. Proſpicit intuitu mentis (ut ſæpe nobis cogitantibus contingit) Tirrenum mare tranquillum; cernebat poſt tantum intervallum navem, ſive triremem, quà illud transfretaret, non ſolùm paratam, ſed etiam eum in portu Genuenſi expectantem. Rurſus Hiſpaniam ſaltu tranſilire, & Luſitaniâ jam à tergo relictâ, Oceanum ſulcans, appropinguat ad Indos. Nihil ei obviam, nullum obſtaculum occurrit, ſed omnia plana, & expedita fallacis imaginationis luce apparent. Nec deſinit interdùm

tantæ excogitatæ felicitatis ſocium participem facere, & omni fiducia, animoſitatéque conſolari. Econtra ſimplex Olivus ei omnia laudare, cuncta ſine ſyllogiſmis probare pergit, & etiam aliquid de ſuo, quadam ſimplicitate, addere audet. De qua tandem ficta proſperitate invicem fabulantes, diem illam ſatis jucundè transegêre. Sequentis verò diei horâ meridianâ, ultra civitatem Caſtelli, juxta flumen iter agentes, non longè ab oppido, quod *Fractam*, incolæ vocant, itineris labore feſſi, & ſolis ardore æſtuantes, ſub quadam frondoſa quercu, paululùm à via ſemota, quietis causâ ſubſiſtunt, ubi ſopore gravatus uterque eorum obdormivit. Nec id myſterio vacat, nam eo in ſomnio Mons Corona, inde per tria milliaria diſtans, oculis intuentium totus à radice, usque ad cacumen repræſentabatur, adeo, ut nec à proximò meliùs conſpici potuiſſet. Nec abs re à Senioribus noſtris dictum exiſtimo, voluiſſe Deum in conſpectu illius montis eos ſoporari, in quo nova Pauli congregatio impoſterum fundari, ſedere, atque perpetuò quieſcere deberet. Jam ergo ſomnô refecti itinerantes expergefacti aſſurgunt, & iter ſuum reaſſumentes proficiſcuntur, cùm ecce repente, quaſi turbine quodam involutus Paulus atque agendorum mentem invaſit oblivio. Unde quo præcipuè tenderet, quid ve ſibi magis expediret, ita dubitare cæpit, ut nulla ei certa determinatio occurreret. Hoc unum immobile apud ſe continuò manſiſſe referens ipſe ajebat; in deſtinato opere conſtanter eſſe perſeverandum modo, & loco operandi incertis. Sic equidem ſolet Deus multa Sanctis ſuis inſpirare, quæ tamen non vult modò, quod ipſi deſiderant adimpleri. Hinc negatum eſt David vehementer deſideranti templum Domini ædificare. Diſpoſuerat Paulus ille magnus Doctor gentium, & myſteriorum Dei diſpenſator, atque arcanorum Dei conſcius in Hiſpaniam prædicandi Evangelii gratia proficiſci, attamen alio eum impulit ſpiritus, & vinctus ductus

ductus est Romam, & sic Hispaniam vidit nunquàm. Lubet hìc & sanctissimi Fundatoris nostri Divi Romualdi exemplum referre, qui ad fines usque Ungariæ venit, infideles convertendi ad fidem, ac martyrii suscipiendi ardentissimô desideriô fragrans, nihilominùs manu Dei tactus, ac dira febri correptus, inde regredi, & in Patriam, quam ipse fugiebat, reverti coactus fuit. Non aliter sanè egit cum nostro Justiniano Omnipotens: qui Spiritu suo Sancto, eum ultra Sauromatas, trans Gades, ultra Herculis columnas, tandem ad recenter inventos Antipodas in fide docendos, divino igne inflammavit, quò postea ire non permisit. Cur ità cum servis suis se habeat Deus, non ego perquiram, ne mihi illud Prophetæ meritò objiciatur: *Vir*, scilicet *insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* Erat eodem tempore in suburbanis Eugubii in monte, qui calvus dicitur, solitarius quidam nomine Thomas, Fabrianensis Patriâ, Vir tertii Ordinis B. Francisci professor, in tantæ sanctitatis opinione apud vulgus, ut à multis propter quædam prænunciata, & subsecuta, spiritum Propheticum habuisse crederetur. Homo literariæ peritiæ rudis, naturali verò ingenio admirandè ornatus. Inter hunc, & nostrum Paulum vetùs fuerat amicitia contracta, eáque non in vanitate sæculi, sed in charitate Christi ab initio fundata, ac ob id nunquàm excidere potuit. Dum itáque Paulus hac mentis confusione vexatur, manente adhuc divinitùs immissô dubiô cùm ejusdem Viri ab antiquo sibi chari certior factus fuisset, & aliàs à via non longe declinandum esset, eundem invisere statuit; quem in consueta solitaria habitatione, ut optabat, invenit. Eum salutat hilariter, à quo ipse pariter incredibili hilaritate, & charitate suscipitur. Sacellum ambo (ut assolet) orandi causa ingrediuntur: oratione facta, in mutuam congratulationem diffunduntur, deinde domunculam ingressi reficiuntur simul, refecti gratias Domino pro beneficio red-

dun-


dunt accepto. Tunc demum Senior, *unde*, inquit, *te habemus O Paule; quisve spiritus te huc venire coegit? mihi tu cogitabundus videris, mœstiorq; solitò, pedester venis, & alius quodammodò factus appares. Dic quæso, quid te negotij angit?* Cui ille, quid quid in votis erat, servato ordine, plenissime explicuit. Deinde narratione absoluta, cunctisque attento auditori ritè explicatis; Senex gravitate quadam in hunc sensum desuper respondisse perhibetur. *Compellunt me, dilectissime in Christo, diuturnæ inter nos amicitiæ necessitudo, syncera benevolentia, Religionis vinculum, ac mutua charitatis obligatio, ne quid consilii, quod (largiente Deo) mente conceperim, te celare ausim. Eremiticam vitam, sanctissimumque D. Romualdi Institutum latissimè amplificare velle te magnopere laudo, ad Indos, sive Antipodas tranfretare, omnino laudare non valeo; idque tum propter innumera, & evidentia pericula passim tibi imminentia, tum etiam propter difficultatem, incertitudinemque, quam in seipsò negotium continere videtur. Putasne Venerande Pater mysteriò vacare, quod te jam ad iter accinctum, consilium, ut refers, inopinatè deseruerit? proque consilio mentis ambiguitas, seu caligo quædam sit subsecuta. A Domino hoc factum, esse, nulla me dubitatio tenet. Etenim in vitis Patrum inter legendum reperi: magnum Helisæum, cui in spiritu ferè omnia arcana patebant, veniente ad se Sunamitide, dixisse: anima ejus in amaritudine est, & Dominus celavit à me. Beatissimus Pater meus Franciscus? qui aliud jam præter Deum, nec scire, nec cogitare potens erat, spiritu Dei actus, cum in solitudinem ardore animi duceretur, ita mente confusus est, ut quid sibi agendum, quove eundum foret, pænitus ignoraret. Quæ nebula, tam diu obtenebratum tenuit, donec longissima suâ, & suorum oratione, ad prædicationem se fuisse electum, audire divinitùs meruit. Sic Deus electos suos quandoq; dubios reddit, ne proprio sensu, sive industriâ freti, pro libitu currant; sed semper cum timore ejus voluntatem perquirant. Sic tibi temperandus erat nimius peregrinandi ardor, ne spirituali licet zelò actus, ad impossibilia tenderes. Plu-*

ra tibi exempla recensere, utpote in sacris, sanctorumque omnium scripturis peritissimo superfluum esse reor. Si tamen, apud te verbis meis aliqua habenda sit fides, accipe pauca, quæ pro modulo ingenioli mei proferam. Non est bonum summere panem filiorum, & dare canibus, nec sunt ponendæ margaritæ ante porcos: non ad Barbaros, nec ad indomitas gentes te mittit Dominus, ad quas pij amoris parùm discretè te urget excessus. Moderare istam tuam, etsi sanctam cupiditatem, & noli ambulare in mirabilibus super te; sed humiliter illa tantùm, quæ verisimiliter potes, aggredere. Ea igitur, quæ in Capharnaum facere poteras, fac priùs hìc in Patria tua. Forsitan Italia, quæ latissimè suos protendit fines, incapax est propositi tui. Minimè id puto. Ubi namq; terrarum, plura aptioraq; loca deserta invenies? ubi plures, aut faciliores ad ea incolenda reperies. Postremò non tam utilis tu Indiæ populis, seu Antipodum gentibus futurus es, quàm Italis, non solùm profuturus, sed planè necessarius existis. Quandò siquidem temporibus nostris dissolutiùs vivitur, tantò magis, qui ad pœnitentiam, non verbo (cum hodie vix prædicatores capiant Urbes) sed exemplis, atque operibus sanctis homines incitent, desideratur. Restat nunc, ut vicissim tibi animum meum paucis aperiam. Si longiùs eas, pro absente (si tamen oratio nostra apud Deum quidpiam efficaciæ habet) orare non desinam, si verò remanens consilio meo aquiescas, scito me tibi & socium & adjutorem esse futurum: nisi forte Dei voluntas contrarium dictet. Nam ut verum fatear, hic jam dudum invitus habito, putà frequentia sacularium infestatus: atque adeò propter depravatos quorundam mores pene corruptus. Ac proinde te Duce, alio pergere non dubitabo, quod solus facere non sum ausut.

Tunc Paulus assurgens, lachrymis præ gaudio perfusus, Senem jam silentem amplectitur, eique gratias tum de sano, salubrique consilio, tum de societate promissa agit ingentes. Et quanquàm non à primo consilio prorsus mutatus, nequè pij amici noninculto eloquio prorsus aquiescens; nihilominùs malens alterius sententiam sequi, quàm propriæ voluntati

ti pertinaciter inhærere, Thomæ ſententiam fideliter tenuit. Iisdem temporibus in Monaſterio quodam Scopeanorum Sancti ſecundi, quod extra mœnia Eugubij ſituatum eſt, Vir quidam Cardinalis Urbinatis Nepos, cui nomen erat Galleatius, ex inclyta familia de Gabrielis, Fanenſis Civitatis, quietis causâ manebat. Qui cùm natura mitis, animoque pius eſſet, Mundi facinora abhorrens, fratribus, familiaribusque ſuis, eò quòd in jurgijs multis, inimicitijs, & factionibus malis continenter verſabantur, commiſceri noluerat, ſed in remotis locis, ſolus cum Deo agere, maluit. Hic conſolationis, ac conſilij causâ frequenter Thomam ſolitarium adire ſolebat, cui non raro ſolitudinis amorem, quem habebat, verbis manifeſtarat. Sed cum dives eſſet (poſſidebat enim Abbatiam ſancti Salvatoris montis acuti, diœceſſis Peruſinæ, cum alijs nonnullis beneficijs) non poterat adhuc nudum ſequi Chriſtum. Hunc itaque ſimul cum Paulo adijt Thomas: cui cum rem inter eos geſtam manifeſtaſſet, ſibi placuiſſe, & verbis tunc, & poſtea operibus ſatis manifeſtè comprobavit. Eos zelô magnô hortatus eſt, ut intentum proſequerentur, inventoque loco, ſi perſeverarent, ſe pro facultatibus illis non defuturum. Addidit præterea, quod ſi aliquandò à negotijs ſæculi ſe Dei munere extricaret, eos omnibus relictis ſe eſſe ſecuturum, quæ omnia pleniùs quàm promiſit, occaſionem ex voto conſecutus, ut fidelis ſponſor, adimplevit: de quo tamẽ ſuo loco pleniori ſtylo tractabitur. Præſenſerat iſta, quæ diximus Pater quidam nomine Raphaël, natione Hiſpanus, Ordinis Prædicatorum, qui tunc in Conventu ſancti Dominici ejuſdem Urbis religiosè degebat; Vir Theologicâ doctrinâ non mediocriter ornatus, morum integritate clarus, concionandi gratiâ mirabiliter dotatus, qui cum Patribus colloquiô habitô, per aliquot temporis ſpatium re maturiùs conſiderata, tandem eisdem aſſociatus eſt.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.



PARS TERTIA.

CAPUT I.

Paulus Eremum cum Socijs intrat.

ET ſi in omnibus operibus ſuis mirabilis ſit Deus: attamen in ſanctis ſuis, propter ſtupenda, quæ in eis operatur, mirabilior exiſtit: nam dum eos leviter errare permittit, rectiùs dirigit, dumque tentari ſinit; altiùs provehit, atque omnia diligentibus ſe in bonum cooperari facit. Permittit etenim ſæpe numero dilectos ſuos falli, & ab ignorantibus doceri; ſinit eosdem variis tentationibus agitari, & plerumque ab impiis corripi; nec non ab ærumnis ſuis per ſimplices, rudesque viros ſublevari: quod proculdubio non caſu, ſed magnâ Dei providentiâ contingit; ne videlicet magnitudine gratiarum, Spiritualiumvè donorum ſublimati, in ſuperbiam incidant; ſed potiùs propriam agnoſcentes miſeriam, coram Deo ſuo proſtrati, toto corde prorſus humilientur. Hinc eſt, quod in exodo legitur, magnum Dei amicum Moyſen in populi regimine errâſſe, ideoque à Jethrone cognato ſuo homine barbaro reprehenſum, edoctumque fuiſſe. Hinc Gentium Doctor Cephæ Principi Apoſtolorum in faciem reſtitit, & aliter eſſe in lege

Domini ambulandum oſtendit, dum ipſe gentiliter vivens, cogeret gentes judaizare. Quid ergo mirum, ſi Deus Juſtinianum noſtrum, à vetulo, ignaroque Thoma corrigi, & inſtrui voluit. Tali utique modo ſanctiſſimum opus, hoc eſt Religionis fundandæ negotium, juxta Dei voluntatem initium ſumere oportebat. Jam igitur, quatuor unius voluntatis, in Spiritu Sancto congregati, atq; conjuncti, in ſolitudinem tendunt. Inter Apennini Colles, quà ex Piceno in Umbriam tranſitur, vallis quædam eſt, cui ingentiſſima rupes imminet, ex alto emittens aquæ præcipitem rivulum, qui vallem ipſam non injucundo murmure complet. Sub rupe ipſa antrum apparet, in quo eſt antiquiſſimum Sacellum divo Hieronymo dicatum. Antrum verò olim luporum receptaculum fuerat, ubi fœtus ſuos edebant, & catulos ex præda vicini gregis alere conſueverant. Unde antiquitùs vallis illa ab indigenis, *Paſcilupum*, appellata eſt; quod nomen, & vallis, & Pagellus quidam ad ima vallis ſitus, in hunc usque diem retinet. Ante Cavernam hanc, triginta paſſuum plus minùs ſpatiô, rupes in planum, inque arcûs modum protrahitur, rursùs in abruptum declinans. Ac licet locus iſte arduus, ac invius exiſtat, tamen ad octo milliaria populoſam habet Civitatem, Saxum, videlicet, ferratum Bartholi Juriſconſulti Patritiam. Ex alia verò parte Fabrianum inclytam Sancti Romualdi ſepulchro Urbem. Ad prædictas Cavernas unicus datur, ſecundum vallem, juxtaque deſcendentes aquas, arduus horridusque aſcenſus. Reliquas verò partes præalta nudi Saxi rupes concludit. Locus iſte ex luporum fovea, in latronum ſpeluncam jam olim fuerat converſus. Factum eſt autem ut id temporis, ſeu paulò ante ex eadem ſpelunca ejecti fuerint violenter, nonnulli facinoroſi homines, falſæ monetæ fabricatores. In hunc ergo locum, Thomas &

Paulus

Paulus cum Sociis, nempe Raphaële & Olivo primò deveniunt, quo vacuô repertô, se se (vice expulsorum) in latebris illis locant. Cæpitque res ista tandem per vicos, pagosque vicinos famâ volante, vulgari, quin & intra dies paucos ad Urbes & Castella pervenit rumor. Confluunt illuc undique homines, quasi Angelos de Cœlo demissos, non sibi similes mortales, visuri, quorum plurimi haud vacui apparebant in eorum conspectu. Nam quidam panes nonnulli vinum, pleriq; legumina: nec deerant qui omnis generis, fructus Dei serviscum charitate deferebant. Iterim non dormit satan, ut Dei famulos etiam à ferarum foveis, malitiosorum hominum ministerio expellat. Nunquàm proprium dominum noverat sacellum Hieronymi, utpote nullos redditus habens, & ecce Presbiter quidam Pascilupi Plebanus ferox, consurgit furore maximo, contra pauperrimos Eremicolas dirissimè, invectus, ac propriæ Ecclesiæ quodam antiquæ unionis jure prætenso, tanquàm è domo propria eos ejicere tentat. At Paulus ad Leonem Pontificem properat, qui re auditâ, eidem ac Sociis Capellam cum circumferia sua inperpetuum confert, cui collationi Plebanus quoque assensum præbere debuit. Eodem tempore novæ societatis Privilegium in forma brevis à Curia Romana obtinuit. Jam igitur de loci possessione securi novelli Eremicolæ, manus licet inasuetas haberent, ad laborem se accingunt, nam & latibula rupis claudere, & cavernæ foramina, in habitacula sibi convertere (quibùs imminens saxum pro tecto est) proprio labore, atque industria nituntur. Cumqe illic ligna, tam ad ædificandum, quàm exstruendum ignem deessent, certior factus de vita, & necessitate eorum Dux Urbinas (in cujus ditione locus ipse continebatur) eisdem ligna cedendi in propinquiori montis latere facultatem concessit, similiter &

Paſcilupi habitatores idipſum magna cum charitate indulſerunt. Talibus adjuti novi Chriſti tyrones, aliquantulùm commodiùs neceſſaria vitæ ſibi parabant, faciliorq; ſpiritui vacandi præbebatur occaſio, quam ipſi tantopere ſitiebant. Sed (proh dolor) his feliciſſimis initiis invidià plenus non ceſſat obviare Sathan. Paulus namq; cùm vidiſſet, & loci commoditatem, & ſociorum animos ad ſolitariam vitam aptè convenire; cùm animadverteret eos uni ſibi ſponte ſubjici, ſuisque mandatis ultro parere; nactus oportunitatem, regularem cæptam vitam ſub uno habitu, & unius Religionis nimirùm Camaldulenſis, juxta præfatum privilegium, amplectendam proponit. Sex perſonæ jam eotùm erant, quorum quatuor ſine mora ejus verbisannuerunt, ad cuncta parati: Thomæ verò, & Raphaëli durus hic videbatur ſermo, qui nec habitum mutare, nec votis ſe cuipiam ſubmittere (ignorante Paulo) jam ab initio apud ſe ſtatuerunt. Quibus planè non placuit omnium regimen penes unum reſidere. Cauſa hujusmodi contradictionis in eis diverſa fuit, Senior enim rerum proprietatem affectabat, Raphaëlem decipiebat concionandi ambitio. Tantùm ex hac ſociorum diſſonantia in Paulo invaluit puſillanimitas; ut parùm abfuerit, quin locô deſertô in Hiſpaniam arriperet iter. Maturiùs tamen agens, ut illi ſemper de more fuit, ad ſalubrius conſilium, ac orationes multorum piè viventium confugit; ubique prudenter cum domeſticis agens, diſſimulataque priori diſplicentia, legem pacis ſyncere obſervabat. Unde rebus ſic ſtantibus, ad duas cœlibes ſorores ſuas miſſam Epiſtolam his concluſit: *Octo fere ſunt menſes, ex quo locum mutavi, ſed non habitum, neque vivendi modum, imo locum abjectiorem, magisque ſolitarium, in majori paupertate cum ſodalibus paucis habito. Sum equidem corpore ſanus, nec unquam mihi mens magis læta fuit. Attamen unam*

unam quamque vestrùm, nunc pro me ad Dominum orare, quàm maximè precor, ut ille me illuminare dignetur ad suam sequendam voluntatem. In maximo enim dubio versor, debeam ne in Italia permanere, an potiùs Hispaniam versùs pergere, inde ad Indos recenter Christianos factos navigaturus. Nollem sanè in hoc facto errare: ideoque ad multorum preces, sed præcipuè ad vestras confugio, utpote certior, quia cum majori affectione orabitis, præ mutuo inter nos amore: Idem fere scribit ad Magnificum quendam Dominum Florentinum.

CAPUT II.

Quanta dilectione Patres Camaldulenses Paulum prosecuti sunt.

BEnè poterat Venerabilis Paulus noster cum Propheta dicere: *Ego autem mendicus sum & pauper: Dominus sollicitus est mei.* Nam cùm in deliberatione moram faceret, & novellus grex non modicùm adauctus esset, non erat custodi, locus, ad eum retinendum sufficiens, neque pascua suppeditabantur, quibus tot oves pascere valeret. Numerosum enim armentum Pascilupi territorium non capit, neque aspera vallis necessaria alimenta producit: quæ res satis anxium optimi Patris animum reddebat; & ecce statim Dei providentia præsto fuit. Nam ille, qui solus est *Pastor bonus, qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum: cujusque sunt oves & boves, & universa pecora campi*, non distulit de loco & pabulo oportunè providere. Etenim Dei negotium agebatur; ideò non poterat

ipſe agenti ſervo ſuo deeſſe,& neceſſaria abundantius non præbere. Quando namque fidelibus ſuis defuit Dominus ? Eodem igitur tempore inquirentes diligenter piiſſimi Camaldulenſes, quid de Patre ſuo abſente actum eſſet: tandem intellexerunt in rupe Paſcilupi eum prædicto modo detineri, ſæpiùs quosdam, qui illi noti eſſent, clanculum mittere conabantur, quò ei ad Eremum reverti prudenter ſuaderent. Quibus Camaldulum re infecta redeuntibus, intelligebant difficilè futurum, quod ipſi optabant: his tamen non obſtantibus, conſiderantes loci anguſtias, rerum inopiam, ac terræ illius ſterilitatem; initô conſiliô, quandam inter ſe ſanctam, atque miſericordiâ plenam aſtruunt aſtutiam, ut ſagaces piſcatores, modica linientes eſca hamum, paſtorem ſimul cum ovibus attrahere poſſent. Quis enim eorum non vehementer optabat amiſſi Pauli videre præſentiam? quis non deſiderabat tantam Eremi jacturam reſarciri. Erant profectò inter Camaldulenſes Patres plurimi, qui eum ex animo, ſineque fictione diligerent, quique diſcedentem acriter luxerant; nec inter eos inventus eſt, qui ei non benè cuperet. Unde in primæ conferentiæ celebratione Deciſum eſt; ut illi, & ſociis ſuis locus Criptarum Maſſacii, (qui ad ſacram Eremum tunc temporis ſpectabat) ad habitandum concederetur. Haud multò poſt, quò majorem in eum benevolentiam, mutuamque charitatem oſtenderent, ipſum cum ſuis aſſeclis, de familia ſacræ Eremi eſſe voluerunt; ac ne nudo ſolùm Eremi nomine gaudere viderentur, quandam eis pecuniariam ſummam, quaſi ſuppetias mittentes; pro victu neceſſario in annos ſingulos aſſignarunt. Cujus rei extant etiam hodie acta capitularia (ſic enim vocant ſuas ordina-

ordinationes Camaldulenſes) quorum alterum undecima Januarii, alterum vero tertia Junii Anno 1521. emanata ſunt. Quô beneficiô cum gratiarum actione per Paulum acceptô, ipſe cum Olivo (reliquis debito ordine Paſcilupi relictis) confeſtim ad locum Criptarum ſe contulit. Ubi tunc temporis Elias Mediolanenſis Sacerdos, & Antonius Rachenas Frater converſus Eremitæ Camaldulenſes, Paulo jam olim Camalduli notiſſimi commorabantur; qui Paulum advenientem magno cordis jubilo ſuſcipiunt; & brachiis charitatis amplectentes, tanquàm antiqum Patrem ſuum reverenter venerantur, eidem libenter ſe ſubjicientes. Eſt autem locus iſte in arcta profundaque valle ſitus, intra fines Diæceſis Eſinæ, ab opido Maſſacii duobus paſſuum millibus diſtans; Criptarum verò nomen ſortitus, eò quòd ſuper terram nulla eſſent ædificia, ſed in rupe ipſa effoſſa habitacula, foramina veriùs, quàm cellæ, nuncupanda. Quæ quidem non adæquata terræ, ſed ad cubitus viginti elevata in medio rupis, quò triginta graduum ſcala, aut eò ampliùs aſcenditur; neque certè adhuc rei facies mutata eſt, cùm & Cellulæ, & Oratorium etiam nunc in ſua forma maneant; licet hodie ſatis adornatus fabricis, & aliis commoditatibus nobilitatus locus appareat. Nullos habebat proventus, ſolô hortulô, & fonticulô ditatus: tales quippe decebant ſanctos Eremitas divitiæ, in quibus pauperes Dei valde delectati, ac recreati cenſentur. Nunc autem vallicula illa non parum dilatata, multisque ac pulcherrimis cellis, atque neceſſariis officinis adjunctis, numeroſæ Eremitarum familiæ capax reddita eſt; nec non Oratoriolum illud primum in majorem formam redactum, & ab Eſinæ Urbis Civibus, mira loci, habitantiumque devotione incitatis, decentibus picturis illuſtratum & auctum, ampla Eccleſia habetur.

Acceſſit

Acceſſit per induſtriam Patrum loci pulchritudini, alterius copioſiſſimi fontis ſaluberrimæ aquæ vena; quæ latepatentes hortos hodie irrigat, & domeſticis occurrentiis abundantes ſuppeditat aquas. Torrens autem rapax & infeſtiſſimus, qui per medium vallis decurrebat, præparata illi prius nova foſſa, ad aliud latus remotè derivatus, pertranſit. Tandem profunda, actáque in vallicula olim, in eam hodie formam mutata apparet, ut pulchrior, & ad Eremiticum propoſitum aptior non facilè reperiatur. Verùm tamen hanc loci dilationem, domuncularum augmentum, & aliorum ædificiorum ampliationem, non pecuniarum vis (quâ nunquàm effluebant) effecit; ſed continuus Eremitarum labor, ac ſudor elaboravit, cum aliquo piorum fidelium auxilio. Interea (ut ad rem redeamus) ibidem illis in tanta quiete commorantibus ſanctitatis odore commoti, certatim hinc inde illuc confluebant homines, quorum multi eorum conſortium expetentes difficulter inde recedere ſunt viſi; ſed & ex ſacra, altiſſimáque Eremo ad humillimam vallicu-lam hanc nonnullos deſcendiſſe compertum eſt, tantæ felicitatis cupientes fieri participes. E quibus præcipui fuêre Venerabiles Viri, Auguſtinus Baſſanenſis, & Nicolaus Triviſanus Venetus, ambo Eremitæ Sacerdotes, & magni ſanctitatis amatores, qui conſenſu, & benedictione majorum ſuorum obtentis, advenerant. Eodem quoque tempore, ad Criptas venit Hieronymus Sueſſanus, homo omni ſanè ſcientia ornatus, ſed præcipuè medica arte excellens, ſacri Palatii, vivente Leone decimo Protho-Phyſicus, qui quantò nobilior, atque perfectior in Religione factus, mirâ ſanctitatis operâ, dum viveret, oſtendit.

CAPUT

CAPUT III.

Monasterium Sancti Leonardi de Volubrio, & Eremus Sancti Benedicti ultrò, Paulo offeruntur.

QUanta fuerit novellæ Christi Familiæ in speluncis illis habitantis vitæ perfectio, sanctitatisq; apud omnes opinio, hinc intelligi facillimum est; quòd per unius anni spatium eò usq; accreverant Discipuli Pauli, ut nec eos torrentis angustia capere, nec parùm referta penus sustentare sufficiens esset. Extendebatur quippè supra modum inauditæ rigiditatis, insuetæque austeritatis vulgatum nomen, & spiritualem progressum eorum mirabantur omnes; unde factum est, ut novus Paterfamilias, ubi noviter adventantium multitudinem locaret, aut unde illis ministraret panes, non satis sciret. His visis, non dormit piissimus Paulus, sed ad solitum suum orationis refugium se totum convertit, idipsum suis omnibus facere longa exhortatione suadens. Quam illorum orationem adeò gratam Deo extitisse constat; ut sine mora, quod justè petebatur, obtentum sit. Ecce enim eodem tempore Galeatius Gabrielius divina inspiratione advenit, qui pauperum indigentiam erogatis pecuniis supplevit, & loci angustias dilatavit. Nam Monasterium Sancti Leonardi de Volubrio, quod ipse possidebat, Paulo, & Sociis primùm ad habitandum concessit, & paulò post in favorem societatis liberè totum resignavit. Est autem Volubrium mons immensæ magnitudinis in Diæcesi Firmana:

in ea Piceni parte, qua ipsa provincia à Nursiæ montibus dividitur, juxta oppidum Montis Fortini, Teneæ fluminis caput, & origo. Locus igitur iste valde excelsus est, atque ab omni humana conversatione alienus, adeoque solitariæ vitæ apprimè idoneus; ad quem nostri celeriter accedentes, magna cum spiritus hilaritate ibidem habitare cœperunt, sed de his alibi copiosius. Iisdem diebus Desiderius quidam Monachus Cassinensis in Eremitorio Sancti Benedicti Montis Conari, seu Anconitani, cum quibusdam Sociis solitariis commorabatur, soluto tamen more, ac sine aliqua obedientiæ observatione. Unde conscientia stimulante, auditô quid in Criptis Massacii ageretur, illuc se contulit: qui re ipsa, & prudenter considerata; præsentiâ, & sermonis suavitate ipsius Pauli permotus, & se, & socios unà cum loco eidem tradidit. Hic autem locus, situ mirabilis est, utpote in proclivi Montis supra ripam Maris Adriatici positus, in superiori parte ejusdem promontorii arduam celsitudinem, in inferiori verò abscissæ rupis inaccessibilem anfractum ad mare usque protensum habens; cujus radices continuò Maris abluit unda. Sed quanquàm situs angustissimus videatur, nihilominùs solitudini aptissimè deservit, quem mirum in modum circum adjacens sylva perornat. Hoc item summè mirabilè apparet, quòd cùm reliquam montis partem hyemali tempore bruma densissima quotidie infestare soleat, Benedicti tuguria ne appropinguat quidem, Denique Eremiticæ conversationi alia aptior statio non facilè reperitur. Iste locus quondam spelunca ferarum, hodie ipsa spelunca Oratorium facta, Divo Benedicto sacrata est. In eadem specu olim muliercula quædam, Nicolosa nomine, quæ quia ibi cum magna pœnitentia, & animi constantia vixit, inter Beatas animas reputata, probatur. Huic

filia

filia ejusdem nominis erat, quæ post mortem Matris, maternam habitationem laudabiliter per annos aliquot solitaria incoluit, quæ tamen postea decrepita facta in Urbem se recepit. Res nostris temporibus prorsus inaudita, ut tantæ solitudinis mulieres reperirentur esse capaces. Post mulieres prædictas ejusdem recessûs habitator factus est Beatus Hieronymus Anconitanus; qui sacellô, & cellulâ fabricatis, valdè locum decoravit; ubi annis quindecim adeò solitarius vixit, ut nunquàm Urbem ipsam viderit. Obiit cum magna sanctitatis opinione, ideoque vulgò Beatus appellatur & habetur. Ut autem ad primordia redeamus, locis ac Discipulis ditatus ultrà opinionem suam Paulus, velut diligentissimus Archimandrita, cuncta componere, ac justo ordine disponere non cessat. Cujus curas, & animi charitatem ex quadam ejus epistola liquidò intueri valemus: quæ sic habet. *Evenit*, inquit, *ut dùm à facie Domini fugere tento, quò nullatenùs ire volebam, me pervenisse sentiam. Nam alijs ad me accedentibus, alijs me ad se vocantibus, in hac Marchiæ Anconitanæ provincia, in quatuor solitariis valde locis circa viginti quinque Fratres habeo Eremitas. A quibus discedere; etsi solitudinis, quam à juventute mea semper quæsivi, amor suadeat; fraternæ tamen charitatis necessitas non permittit.* O Beatissime Pater, legitimè revera dicere poteris, cum venerit Dominus tuus; *quinque talenta tradisti mihi, ecce alia quinque super lucratus sum*; Nec deerit tibi justum responsum: sed audies; *euge serve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* En tu, in tanta paupertate, in tanta locorum angustia, ac rerum necessitate constitutus, uno anno viginti quinque filios aquisivisti: & nos in abundantia victûs, in omni habitationum commoditate, vix quin-

que singulis bienniis retinere valemus. Quod quidem non aliunde provenire crediderim, quàm ex abundantia charitatis tuæ, & nostrorum omnium tepiditate: sperabas tu in Domino Deo tuo, & ipse faciebat, jactaveras super eum cogitatum tuum, & ipse te, & tuos enutriebat. Nos verò in industria nostra nimium confidimus, & inde nobis meritò contingit sterilitas ista. Postremo omnibus sapienter dispositis, ac rebus stabilitis, ad Criptas revertitur Paulus noster, ubi aliquandiu quietus cum suis habitavit.



CAPUT IV.

Spelunca Massacij Paulo & Socijs in perpetuum confertur.

VEnerabiles Patres Augustinus, & Nicolaus Suessanus, & alii qui in Criptis morabantur, quasi paternæ mentis conscii, optimum Patrem continuâ instantiâ stimulare non cessabant: quò novo instituto initium daret, atque ad hoc, ultra humiles preces, seipsos in socios, ac subditos obtulerunt. Quamobrem Pater ne in alieno fundo ædificaret, coactus per literas à Patribus suis Camaldulensibus locum ipsum sibi, & suis in perpetuum conferri, petere decrevit. Quod faciliùs dictu impetrare potuit, tùm quia omnes eo faventes extiterant, tùm quia inde sacra Eremus nullum proventum accipere, sed potiùs quoddam damnum sentire solita est. Prima igitur Capituli celebratione (quæ fuit 26. Junii 1522.) liberè in favorem novæ Congregatio-

gationis locus ipſe Paulo, & Sociis collatus eſt, cum expreſſa ſegregatione, & ſeparatione ab ipſa ſacra Eremo: tantáque uſi ſunt erga ſuum alumnum Patres illi benignitate, ut præter hæc, primum ipſius ſubſidium non solùm non revocarent; ſed etiam de novo extiterit ab eis confirmatum. Quæ omnia, præter Capitulare Decretum (ut fieri ſolet) contractu ſolenni die & Anno prædictis confectô, roborari juſſerunt, cujus Inſtrumenti authenticum non ſolùm apud nos, verùm etiam in Archivio ſacræ Eremi hodie conſervatur. Rurſus & alia multa noſtris conceſſerant (de quibus in prima parte actorum conſtat) quæ hic ſingillatim exprimere, neceſſe non duximus. Poſtremo hæc, & alia faciebant Patres, vel, ut ſuum Paulum iterum ad Eremum ſuam attraherent, vel certè, ne prorſus amitterent. Nec mirum profectò, cùm eſſet Vir ille religioſiſſimus, intus ac foris purus, ac mundus, inter ſubditos minimus, ac mitiſſimus; inter Prælatos peritiâ, ac auctoritate præcipuus. Unde non immeritò quidam eorum dicere conſuevit, *qua die Paulus Appenninum reliquit, Eremus noſtra quaſi vidua facta eſt, & filii ejus orphani reputati ſunt.* Siquidem gratiſſimi Patres, quanta bona miniſteriô, induſtriâque ejus ſuæ Eremo proveniſſent, non meminiſſe non poterant. Demùm laude digniſſima eſt eorum liberalitas, quæ tanti boni extitit cauſa, nunquam ſatis commendanda charitas, quæ futuræ Religioni fortiſſimum præbuit fundamentum.



CAPUT

CAPUT V.

Novi Instituti prima exordia.

HAc itaque Patrum suorum benignitate, largitatéque devictus novus Religionis Institutor, tunc primùm Dei voluntatem cognoscere cœpit, tunc dubitandi consequitur finis, atque omnis peregrè abeundi aufugit cupiditas, nec non in Italia manendi firmatur propositum, & agendorum ratio stabilita quievit. Eadem die illi in mentem venit obscurum illud Beati Michaëlis reclusi responsum, neque ampliùs ejusdem vera eum interpretatio latuit. Hæc enim dixerat: *Præstare quidem potest Deus, si pergas, ut aliquid proficias, desiderium autem tuum omninò non perficies.* Ecce jam aliquid, imo multum proficit Pater dum instituit Societatem; transmarinam autem peregrinationem, quæ illius animo semper inhæsit, non perfecit. Talibus ergò initiis in proposito confirmatus, atque animo confortatus Dux noster solitariæ militiæ insignia, tyronibus suis sine mora tradere statuit. Sed hic neminem latere debet, à prima die, qua Sancti Hieronymi latibula ingressus est, ad se venientibus habitum dedisse Paulum, & eorum professiones suscepisse, sed utrumque imperfectô quodam modô, habitum in solo cucullo, & professionem in perseverantia tantum statuens. Etenim incertus prudentissimus homo, maneret in Italia necne, non est ausus aliquid innovare. nec aliquem solenni votô astringere: unde etiam nunc, quorundam discipulorum, qui primi ad eum accesserunt, professiones in libellis, duplicatas, seu interatas legimus, quarum

quarum ultima solennis cum tribus votis more nostri Ordinis solito emittebatur. Nunc autem solidam, in perpetuumque permansuram institutionem statuere intendens, certam atque immutabilem habitus formam, ac tria substantialia vota profitendi, solennem, perfectumque modum secundùm Camaldulensis Ordinis statuta tradere studuit. Imprimis itaque sciendum est, habitum Camaldulensem in hoc uno consistere, ut album strictumque cucullum, quo caput tegitur, scapulario consutum deferamus, & ipsum scapulare, à scapulis sive ab humeris, ante est retro super candidam tunicam, ad talos usque pendentem, laneo cingulo astringamus. Hæc est vera forma habitûs Ordinis nostri, extra quam, quidquid induimus, sive latum monachalem cucullum, (candido colore servato) nihil penitus refert, nec habitus qualitatem in aliquo mutat, alterat, aut lædit. Nova igitur novæ Congregationis fundamenta jacturus Paulus, novamque novæ familiæ vivendi normam traditurus, quid aut quomodò fieri debeat, diu prius voluit pensitare. Manebat apud eum alta mente repostum paupertatis, nuditatisq; desiderium illud, quod in sacello Beati Francisci Alverniæ animo conceperat, nec ille fervor imminutus aliquatenùs fuerat, sed potiùs sensim magnum sumpserat augmentum. Idcirco attenta facultate sibi in rescripto Apostolico, circa victum, & vestitum concessa, ab ipsa nuditate incipere decrevit. Demum die secunda Julii, & ipsa Dominica, in qua etiam Solennitas Visitationis sacratissimæ Virginis MARIÆ ad Elisabeth, celebrabatur, existentibus in præfato Oratorio Criptarum compluribus sæcularibus, qui vel devotionis causâ aut certe rem sacram audituri venerant, coram omnibus, modô quô sequitur ornatus, hora Tertiæ Divini Officii comparuit Paulus. Rejectis nempe, quæ ante

ante deferebat, indumentis, proque eis ex rudiſſimo panno tunicâ ad carnem ſine tunicello indutus, nudis pedibus, ſolo calopodio, ſeu ligneo ſocculo utens in publicum prodiit ſtatim celebraturus. Mirantur omnes monſtruoſam, novam, & inſolitam veſtem, erumpunt in cachinnos quidam ipſorum, alii prudentiores lachrymis perfunduntur, in aſperitate illa ſignum rigidiſſimæ pœnitentiæ perpendentes. Cum verô ad Offertorium Miſſæ ventum eſt, ecce quatuor Novitii, ante Altare genibus flexis aſſiſtunt, ad quos converſus Pater, debitis ſolitisque ceremoniis uſus, eosdem blandè interrogat: an idem, quo ipſe indutus eſt, tegumentum ſuſcipere, perpetuoque deferre velint? quibus ſponte, *Velle* reſpondentibus, eos ſanctiſſimæ paupertatis veſtibus condecoravit. Poſtremò pallium ſupra recenſitis veſtibus ligneo globo ad pectus conjunctum ſuperaddidit. His poſitis fundamentis, ad habitationes ſimili paupertate componendas ſe vertit, in quibus, ex vilibus tabulis confectis lectulis paleis ſubſtratis, & villoſâ culcitrâ utebantur novi Milites. Cibus ſæpe ſiccus panis, braſſica & olus, quandoque tenue ferculum de piſcibus dabatur, vinum ibidem raro bibebatur. Tempus verò ſic diſtribuerat diligens Pater, ut præter moderatum ſomnum, divinum officium, aut manuale opus totum penitus conſummeret. Diviſis interim juxta conſuetum ordinem diei, noctisque horis: tùm ad horarias preces perſolvendas, tùm ad orationem, lectionemque peragendam, tùm etiam ad ſervitutis, domûsve munera neceſſaria adimplenda. Sed hæc per tranſennam dicta ſufficiant. Præterea opere pretium eſt ſcire, quanta hic anguſtia degebant Dei pauperes: de qua, in hæc verba ſcribit Paulus ad quendam. *Ubi nunc ſum nihil habeo, & utinam una mihi ſaltem cella eſſet: Utinam, ut melius*

lius dicam, ſpelunca una mihi uni: fuiſſem ſane Cræſo, & Mida ditior. Sumus autem in duabus Criptis quatuor &c. In Summà dum in hac ſtricta valle, inque rerum magna penuria morarentur noſtri progenitores, Venerabiles Patres, Auguſtinus Baſſanenſis, & Nicolaus Triviſanus, qui licet animo ſemper in ſocietate decreverant manere, nihilominus adhuc ſolitum amictum deponere, & novum aſſumere, propter ejusdem auſteritatem, formidabant: quos tamen Paulus ob eorum auctoritatem ad hoc cogere, vel perſuadere minimè auſus fuerat. Atqui paulatim tantô aliorum ſanctitatis exemplô compuncti, & inter pauperes, ac nudos cum diverſitate veſtium decenter ornati converſari erubeſcentes: aſuetis tandem veſtibus rejectis: rude illud indumentum ſponte ſua ſumpſerunt. Et ità univerſa Dei familia unius habitûs, unius moris, atque unius ſpiritûs facta; unanimiter de cætero in Dei honore mirificè cum omni perſeverantia ambulavit.

CAPUT VI.

De Elia, & Antonio primis hujus loci habitatoribus.

SEnex Venerabilis Elias, quem cum Antonio Converſo in Criptis à Paulo repertum fuiſſe diximus: circa victum ac veſtitum, ejusdem voti cum reliquis non erat, nam perpetuæ abſtinentiæ rationem admittere, & villoſum opertorium humeris ſuis recuſabat imponere. Nec mirum profecto, ſenuerat enim valde; quam obrem tantæ rigidita-

tis onus debile corpusculum minus poterat sustinere: & sancta illa, quâ diu usus est libertas, iterum strictæ obedientiæ jugo collum submittere non sinebat. Quarè ne Sociis tædiosus fieret, aut inter observantissimos Viros singulariter vivens, illis aliquod ministraret offendiculum; inde recedens, Camaldulum, unde exiverat, reverti satiùs duxit. Antonius verò, qui his, & durioribus pugnis resistere asueverat, novæ militiæ adscribi, rudique sago indui summopere anhelabat. Verùmtamen Eliam, cui tam diu obediens fuit, & quasi officiosus filius tot charitatis impenderat opera, contristare non audens, solum inde abire non permisit. Sed euntem illum, uti fidelissimus comes secutus ad sacram usque Eremum fideliter comitatus est; qui tamen discedens Paulo bona fide promisit, se, deductô prius Elia in domum suam, statim ad Criptas reversurum. Atqui itineris labore confractus, adhuc in via malè habere cœpit. Denique Camalduli constitutus, febriculâ quadam affectus, per menses aliquot infirmus jacuit: & tandem quadam die Dominica obdormivit in Domino. Libet ergo corpore demortuum, spiritu autem æternaliter viventem, paucis laudare, ne tam salutari hujus sancti Viri exemplô lector benevolus defraudetur. Antonius igitur iste Rechenati ortus in ipso juventutis flore uxorem duxit; quam postea in adulterio deprehensam ab eodem occisam, fama vulgavit. Sed cùm esset Antonius naturâ mitis, & animo pius, licet terrenus Judex ei formidandus nequaquàm veniret, nihilominùs tremendum Dei judicium non poterat non timere. Quamobrem seriæ pœnitentiæ se tradere statuit, ac primùm tertii Ordinis Sancti Francisci factus Professor, in sanctis suæ professionis exercitiis pie detinebatur. Postmodùm verò hoc ipsum, fervore crescente, parum aut

nihil reputans, solitudinis avidus ad Criptas Massacii, de quo loco jam abunde locuti sumus, se contulit. Ubi solitariam vitam summa cum austeritate agens, propriis laboribus, ac sumptibus, incultam vallem non mediocriter reddidit ornatam. Nam juxta suam cavernam, aliam non sine sudore effodit; nec non ad ipsius rupis radices, gratiosos sibi paraverat hortulos, unde postea olera, dulcesque herbulas colligebat. Victitandi modus ei talis fuisse fertur, quotidianus panis quo vescebatur, decem unicarum pondus, eo tamen vel sicco, vel biscocto utens, cui pauca brassicæ folia, alteriusve oleris pulmentum adjungere, aut certè leguminis pugillum, idque multoties solo sale, sine butyro vel oleo conditum in cibum summere solitus est. Carnes seu ova, aut lacticinia exquò speluncam ingressus est, non gustavit unquàm, à vicino similiter quasi semper abstinuit. Oderat supra modum otiositatem, nutricem peccati eam appellans; erat in oratione continuus, & in sacris lectionibus frequens, ita ut ne punctum quidem temporis sine fructu transire permitteret. O felix homo, qui sine regulari disciplina, tam prudenter novit vitam suam regulare. Nunquàm irasci visus est; mirum in modum certe humilis, ac patiens, pius devotusque animus ejus extiterat: sed hæc omnia superabat castissimus Dei timor, quo universa vincere ei difficile non fuit. Cùm igitur prædictô modô ibidem esset commoratus per sexennium & ultrà, audiens aliquos referentes, speluncas illas ad Patres Camaldulenses spectare, delicatæ conscientiæ stimulô actus, sine alia veriori facti informatione, Camaldulum se contulit, illicque statim Patribus illis, & locum, & quid quid in eo factum fuerat, sponte resignavit, tantùmmodò

 supplex

ſupplex novam ejusdem loci habitandi facultatem efflagitavit. At Patres, qui jus quodpiam ſe in eo habere prorſus ignorabant, imò ſecundum quosdam, hæc prima loci hujus aquiſitio fuit; ideoque facilè petitis annuerunt. Dùm hæc Camalduli agerentur, Antonius (Deo ſic diſponente) in Paulum incidit, qui eum facilè induxit, ut Eremiticum habitum indueret, ſub obedientiæ jugo vivere utiliùs ei futurum, benignè ſuadens. Cùm igitur Antonio ſalubre conſilium placuiſſet, ſuſcepto converſorum habitu, poſt annum ſacram profeſſionem emiſit, & paulò poſt adeptâ Criptas iterum habitandi novâ licentiâ cum præfato Elia Sacerdote ſibi Socio à Superioribus dato, illuc reverſus eſt. Ubi ambo ſimul per annos fere ſeptem, ſumma cum charitate ac mutua dilectione, fideliter Deo ſervientes perſeveraverunt. Non erat ibi Oratorium, aut Capella ulla, quod ei ſatis grave efficiebatur, neque ipſe illud facere tentabat, eò quod eſſet in ſolida petra maximo labore excavandum, nec erat pauperi unde expenſas perſolveret. Et ecce nobilis quidam Vir Eſinus illuc veniens, re auditâ eum ut opus inchoet vehementer hortatur, ſe omnes fabricæ ſumptus ſoluturum promittens. Nec mora vocantur, lapicidæ, & cœpto opere ad finem usque operari non ceſſant. Requiſitus autem nobilis ſponſor, ut operariis mercedem ſolveret, promiſſis ſtare recuſavit. Tunc Antonius illuſum ſe videns, lectuli opertorium, & paucos libellos, quos habebat, vendidit; ſeu veriùs pignori dedit, cumque id nec dimidium ſolvendi pretii adæquaret, ad orationem ſolitum ſibi remedium confugit.

Dùm ipſe ſeorſum ſecreto oraret, ultima operi manus imponebatur, & factum eſt, cum ultimus angulus cavernæ poliretur, aperta eſt rimula quædam pecuniis repleta. Mone-

Moneta hæc Anconitana antiquissimæ signaturæ tantula fuit, ut solutis operariis, ad pignora redimenda, & ad ea paranda, quæ ad oratorium exornandum necessaria esse solent abundanter sufficeret. *O quàm benè*, exclamat ille, *omnipotens oratio, cuncta per te fiunt, tibi nihil impossibile effectu reperitur: quia teste Jacobo, multum valet oratio justi assidua!* Rursùs cùm aliquando ita ægrotaret Elias, ut in agonia mortis versaretur, & Antonio eidem ministranti deesset panis neque infirmus in tali statu relinquendus ei videretur, ad Deum suum conversus more suo ex alto auxilium quærit. Et ecce adhuc eo orante, à corvo ibi in ripa nidum habente (& ipsis piis hominibus diuturnitate temporis familiari facto) panis recens ponderis duarum librarum allatus est. Res quidem mira, & nostris temporibus inusitata, de qua tamen minimè est dubitandum, quia hæc omnia propria Pauli manu annotata reperta fuerunt.



CAPUT VII.

Quædam in Paulum, & Socios ejus objecta dilutunur.

ETsi ex præcedentibus jam satis manifestum esse non ambigimus, nostræ Congregationis Fundatorem in cunctis actionibus suis satis legitimè, & laudabiliter processisse; attamen ne candida ejus societas maculam contraxisse videatur, opere pretium duximus, quibusdam ex adverso objectis, breviter respondere. Auctor quidam, alioquin disertus ac nominatus, in suis monumentis in lucem editis,

post complura in laudem nostri optimi Parentis prolata, hæc nescio quo spiritu adjecit. Nempe occasione conversionis Petri Fanensis, Patres Camaldulenses, tunc primùm exploratum habuisse, Paulum suam peregrinationem in erectione novæ Congregationis terminâsse. Quod, inquit, graviter accipientes, quasi à sacra Eremo rebellâsset, lite mota habitu Camaldulensi, ei & omni ejus Congregationi interdixisse. Et alia quædam similia, quæ tanquàm superflua omittimus. Ista sane omnia, ex iis quæ supra cap. 3. diximus, falsa esse remonstrantur. Siquidem in sacra Eremo extet libellus quidam, cui titulus est prima pars Actorum, ex quo objecti criminis plenissima defensio elucet, in quo omnia Patrum Eremitarum decreta annorum vigesimi primi, & secundi exactè inserta etiam hodie leguntur, quibus sole clariùs apparet veritas ipsa. Hoc eodem tempore, memoratis videlicet annis, Venerandos illos Patres sola charitate modos, præfatas Criptas primò ad habitandum Paulo, & suis concessisse: deinde in suam familiam eis receptis, annuam quandam pensiunculam, pro victu fuisse elargitos: ac tandem Anno XXII. vigesima sexta Junii, donatione, separationeque præmissis, locum ipsum mediante irrevocabili contractu benignè transtulisse. Adde, quòd Elias & Antonius primi loci habitatores sine Prælatorum suorum mandato nostros venientes admittere: aut certè majoribus rem celare, non potuissent. Præterea Delphinus totius Ordinis Generalis libr. 12. epist. 77. scripta 18. Julii ejusdem anni, de prædicta segregatione, & translatione certior factus, sic Camaldulensibus loquitur. *Congratulor plurimum vobis, quod malè copulata, & conjuncta haud multò ante sacræ nostræ Eremo antra deserti Piceni penitus repudia veritis. Conferet vobis separatio ista ad quietem utriusque homi-*

hominis &c. Et in epist. 86. eodem libro ad Justinianum Bergomensem scribens : *Putavi ego*, inquit, *abiisse te in Picenum*, *à Justiniano altero accersitum*, *sicut mihi retulerat Vicarius vester.* Accedit ad hæc unio quædam inter nostros & Camaldulenses inita anno vigesimo tertio, quæ per sequentes annos duos utrinque observata, authenticô instrumentô probatur, de qua paulò inferiùs plenum tractatum dabimus. Ex his ergo manifestè apparet, ab initio ad ultimum usque diem novam Congregationem fuisse notissimam, quin & eidem semper fuisse benè affectos & fautores. Utique Patres Camaldulenses sacræ Eremi nîl graviter ferre possunt, patientes enim sunt, & æquo animo ferunt omnia, non æmulantur, neque invident alterius bono, non sunt ambitiosi, neque litigiosi: non quærunt quæ sua sunt, multò minus repetunt, quæ semel dederunt. Ad habitus præterea interdictionem ex dictis cap. 2. satis responsum puto. Sed quid ego in hac defensione oleum (ut dici solet) & operam perdo? nonne semper Paulus, & Socii ejus habitum Camaldulensem detulerunt? nonne nos indigni ejus filii hodie eundem gestamus? nonne & qui futuri sunt nostræ Congregationis filii, Deo annuente, ipsum in æternum portabunt. Jam ad eos stylum vertamus oportet, qui contra præfatum auctorem sentientes, Paulum male egisse etiam nostris temporibus clamitant, & sui Ordinis corruptorem non cessant etiam hodie appellare; eò quòd monachali amictu, quà delicatiori relictô, pallium rude assumpsit, comminantes insuper nos ad eum resumendum cogendos. Quos ego certè in historia vitæ sanctissimi Patris nostri parùm versatos crediderim; vellemque eos antiquorum ejusdem sancti Discipulorum paupertatem, ritus, ac mores didicisse, prima Dagnini, & reliquorum sociorum ejus meminisse indumento-

mentorum : atque adeò diligenter legiſſe Beati Rudolphi (quas vocant) compilationes. Quibus benè conſideratis, forſitan, imò absque omni hæſitatione, Paulum Juſtinianum verum Sancti Romualdi, & Diſcipulorum ejus imitatorem, & antiqui Eremitici rigoris reſtauratorem extitiſſe, fatebuntur. Profectò apud ſcriptores, viliſſimas, atque aſperrimas veſtes, nuditatem & ſquallorem lego; nullum autem illorum ſanctorum mollibus indutum reperio. Cur ergo quæſo, eorum æmulatorem reprehendimus Paulum? cur illi, & Sociis ejus, quod virtutis eſt, vitio vertimus? Nunquid perperam egerunt glorioſæ Capucinorum familiæ Principes, qui nuditatem, ac ſanctiſſimam paupertatem; & tandem viliſſimam, rudiſſimamque beatiſſimi Patris ſui Franciſci veſtem jam olim ſepultam ſuſcitaverunt, & ſuſcitatam induerunt? Sed væ illis, *qui dicunt malum bonum, & bonum malum.* Nunc denique me neceſſitas cogit ad te optime Delphine, & ſacræ Eremi Generalis digniſſime mea dirigere verba, qui dilectum alioquin filium tuum levitatis quodamodò notare non deſiiſti: ais ſiquidem, non alibi eum ſuaviorem panem reperturum, quàm in Eremo Camaldulenſi: an neſcis illas eſſe ſuaviores eſcas, quæ magis palato placent? non triticeos jam quærit panes (ut tuis utar verbis) ſed hordeaceos inquirit; ſciens utique talibus olim Dominum ſatiâſſe turbas in deſerto, non eſurit ampliùs terrenas epulas, ſed ſpirituale nectar ſitit. Ecce deſcendit ex alpium (ut ais) altitudine, verùm ſanè, atque abiit in locum, quem monſtravit ei Dominus: deſcendit in vallis ima, non ignorans ſcriptum eſſe: *Omnis vallis implebitur: & valles abundabunt frumentô.* Ivit tandem in vineam Patrisfamilias, ne ſtaret tota die otioſus, ſed operaretur uſque ad veſperam, tunc denarium diurnum accepturus. Cupis præterea

rea fieri illi aſpera in vias planas. Quid quæſo, planiùs illi contingere potuit, quam in ſuaviſſima lege Dei ſui inque via mandatorum, atque perfectionis ſemitis ipſum ſuaviter ambulare, multosque inſtruere ac deducere. Crede jam Delphine Venerande, prout te crediturum promittis, hanc fuiſſe mutationem dexteræ excelſi, quia ita probavit à te expectatus eventus. En vidiſti eventum antequàm diem obiveras, eventum, inquàm, quem optaveras: vidiſti ſterilem peperiſſe plurimos, multosque eſſe filios deſertæ, magis quam ejus quæ habebat virum. Lætare igitur Vir piiſſime, & in perpetua pace quieſce: quia ante obitum tuum, quæ de filio tuo dilectiſſimo deſiderabas, cum magna jucunditate vidiſti.



CAPUT VIII.

De prima Capituli celebratione.

JAm igitur in quatuor Eremos dilatata nova ſocietas, & in quatuor partes diviſus novus grex, non ita facilè ab uno Paſtore, licet vigilantiſſimo, poterat cuſtodiri; aut quadripartita familia juſto moderamine regi: utique unam quamque domum ſuum rectorem deſiderare in confeſſo eſt. Quòd ſi in privatis ſæcularium ædibus, ita ſe rem habere videmus, quantò magis in religioſis Cœnobiis eadem ratio militare debet? quandoquidem adverſarius noſter ſerpens antiquus religioſis Viris ſemper inſidiatur, cui jugiter magnâ curâ, & vigilantiâ, reſiſtere eſt neceſſum. Verùm iſtud fieri nequit, niſi idoneus peritusque cuſtos, unicui-

que gregi præponatur, qui eum in temporalibus regat, in corporalibus naturali alimento paſcat, & in ſpiritualibus inceſſanter doceat; & tandem in omnibus fideliter cauteque ducat. Præterea quemadmodùm una quæque Reſpublica ſuis legibus, & ſtatutis regi ſolet, ut cives in juſtitia, & rectitudine morum contineantur: ita quamcunque Congregationem ſuam certam regulam, ſuasque conſtitutiones habere oportet, quibus & ſubditi quæ acturi ſint, addiſcant, & prælati quæ illis imponenda veniunt, quæve præſtanda, non ignorent. Quæ ſanè omnia prudenter animadvertens Paulus noſter, tanquam hujus militiæ expertiſſimus miles, imò peritiſſimus Dux, utrumque præſtare, ſuamque ſocietatem & juſto regimine, & ſcripta lege munire diutiùs non protraxit: ſed ſtatim omnes, quos ætate provectos, ſcientiâ ornatosq, aut experientiâ edoctos noverat, vocari juſſit. Quibus in unum congregatis, juxta facultatem Apoſtolicam, Capitulum conſueto Religionum more, debitis modis, ac forma ſervatis, celebrare cœperunt. Ac licet Congregatio ipſa tunc paucorum, tenuisque fuiſſe noſcatur: nihilominus tamen Conventus iſte nec ſine debito decore, nec ſine multa prudentia habitus eſt, ideoque meritò primùm generale ſocietatis Capitulum meruit nuncupari. Quamobrem quæcunque in eo ſtatuta, ſancitáve fuêre, in perpetuum obſervata manent, nec non ordinationes, & conſtitutiones tunc editæ, ſeu approbatæ univerſalis legis vigorem obtinuerunt. Quales fuerunt conſtitutiones viginti ſex, quas Paulus jam ante confecerat, ſed eis uti noluit, donec juſtis ſolennitatibus ritè confirmarentur, quas nos propria ejus manu vidimus ſcriptas. Multa etiam ibi ad regularem, Eremiticamque vitam inſtituendam, multa de regimine & familiis compo-

ponendis, atque adeo ad necessaria negotia peragenda sapienter, prudenterque sancita fuerunt. Et ut verbô dicam, hinc primam, certam, regulatamque vivendi formam cœpit habere Religio nostra. Huic memorandæ primi Capituli celebrationi locus Criptarum, tanquàm eo tempore primus, & aptior reliquis, deputatus est: Definitores verò extitêre peritissimi Augustinus Bassanensis, & Nicolaus Trivisanus, ambo veterani, atque similibus assueti negotiis. Hieronymus item Suessanus, qui licet in Religione novus, longâ tamen experientiâ, ac doctrinâ gravis, & Vir cordatus est semper habitus. Aderat & Venerabilis desiderius, qui in his summa peritia gaudebat, utpote, qui Cassinensium negotiis diu adhibitus fuerat, & sæpe Decani officio, & aliis muneribus fuerat functus. Eorum tandem Præsidens Paulus, qui & totius Congregationis Generalis factus est: licet quasi naturali jure, ac summa ratione electus videretur, nihilominus eandem dignitatem ultrò recusavit. Tandem ex prædictis Definitoribus in singulis Eremis Priores designati sunt. Unde ab illa die justo ordine ambulare cœpit novella Congregatio, ac deinde semper in melius cum observantiæ ratione, tum locorum, personarumque augmentô, Dei Optimi Maximi beneficiô, mirabili modo accrevit.

CAPUT IX.

Patientia Pauli in adversis.

INter ea, quæ supra tam prosperè gesta retulimus, non defuerunt piissimo Patri & multa adversa; eo, quòd

(Divina bonitate annuente) eum tanquam verum Christi Discipulum Sathanas cribrare non cessavit; quæ omnia eâ patientiâ tolerabat, ut lætior multo in tribulationibus, quàm in prosperitatibus sit semper agnitus. Solitus equidem dicere: *sine cruce non vere sequimur Christum.* Post Leonis decimi obitum diu Romanam Curiam vacâsse; eò quòd Adrianus sextus ejus successor tunc in Hispania ageret. Hinc multis, maximè discolis, quidlibet audendi data est occasio, quod non parum Eremitis nostris nocuisse, compertum est. Morabantur itaque in superiori parte montis Anconitani Eremitæ quidam, soluto more, sineque certa & approbata regula degentes, qui nostrorum vicinitatem æquô animô ferre non poterant, timentes, ne istorum laudabilis conversatio, eorum dissolutæ cupiditati aliquod afferret nocumentum. Quæ abominanda æmulatio, seu radix omnium malorum avaritia, perinde animos eorum agitaverat, ut veluti furentes in pauperes Christi irruere non dubitarent. Ac primum minis eos irritare tentantes, & nihil proficientes, cogitaverunt miseri, si aliud non valerent, saltem eos terrere, quò formidine ipsa pellerentur; atque ad id hac arte utebantur. Mittebant nimirùm ex eminentiori loco in inferiora nostrorum latibula immania saxa ingentem strepitum de nocte causantia, quò latitantium eremicolarum animos ingenti terrore concuti credentes, totas ferè in hoc diabolico exercitio insummebant noctes. Quamobrem cum lamentatione venientes Patres ad se suas proponebant quærelas. Quibus ipse sua solita alacritate: *an ignoratis filioli, naturale esse, post tonitrua ex alto decidere grandinem? necesse est præcedentes comminationes quodammodo subsequi facta. Sed vos nolite expavescere, territamenta sunt hæc, quæ vobis nocere non possunt, qui Deum in defensorem, habetis: sustinete modicum, &*

orate

orate pro persequentibus vos , *& statim tonitrua cessabunt.* At obcœcati illi , quandoquidem hac via nihil proficiebant, aliam aggrediuntur: Cardinalem, videlicet, Anconitanum adeuntes, tot calumniis, falsisque suggestionibus apud eum contra Dei servos egerunt , ut magno impetu Vicario suo demandaret, quatenùs & Paulum, & universam ejus familiam extra fines Anconitanæ Diæcesis sine mora expelleret. Verùmtamen Vicarius sapientiùs omnia considerans , & justa inquisitione persequentium malitiam, & eorum innocentiam sagaciter rimatus, noluit tantæ iniquitatis fieri auctor. Unde majori furore accensi Diaboli ministri ad Marchiæ Legatum tendunt , quid illi dixerint nescio, hoc unum non ignoro, de mandato Vice-Legati pauperes nostros ex omni territorio jurisdictionis ejus crudeliter fuisse ejectos: capitur Paulus, quasi malefactor, & Maceratæ in carcerem conjicitur ; ità percussus est Pastor, & dispersæ sunt oves, exulant sine causa dilecti filii, & amantissimus Pater clausus custoditur. O quantùm potest iniquorum hominum nequitia! O quantùm nocet iniqui judicis temeritas ! Infamatur sine crimine Vir purus infamia facti, expoliantur absque causa pauperes possessione sua , expelluntur de nidulis suis, & ejiciuntur ad exteras caulas. Benignissimus Pater tanquàm surdus non audiens, & tanquàm mutus non aperiens os suum in ergastulo jacet; sed non ideo cessat omni solicitudine Discipulos suos crebris literis confortare , & ad animi constantiam exhortari. Etenim extat adhuc quædam ejus epistola ex carcere ad suos missa , unde hæc desumpsi verba : *Paulus vinctus JESU Christi, charissimis Hieronymo, & Desiderio, universisque sociis eorum , salutem in Domino, & pacem in Spiritu Sancto.* Et post pauca : *Non equidem mihi carcer molestus est, sicut vos existimatis ; quos nec contristari ob hanc causam*

ſam velim, ſed potius congaudere mecum; quia dignatus eſt Dominus Omnipotens me indignum ſervum ſuum alicujus portiunculæ paſſionum dilectiſſimi filii ſui facere participem. Unum tantum mihi & vobis dolendum cenſeo, quòd ego reus, & peccator meritò hæc, & ſi graviora fuiſſent ſuſtineam, ille autem innocens & immaculatus injuſtè pro me paſſus ſit. Et infra. Mementote, quæſo, ſcriptum eſſe, ſi compatimur, & congaudebimus. Quid? nonne ipſa veritas ait: *Beati eritis cum perſecuti vos fuerint homines, & exprobaverint, & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum mentientes propter filium hominis.* Et quid addit Evangeliſta? *Gaudete in illa die: ecce enim merces veſtra multa eſt in Cœlis. Et ego cum Apoſtolo dico vobis Fratres mei dilectiſſimi; conſtantes eſtote & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper: ſcientes quod labor veſter non eſt inanis. Jam ergo cum eodem Apoſtolo omnes dicamus ſimul: Quis ſeparabit nos à charitate Chriſti? trubulatio an anguſtia, an fames, an nuditas, an perſecutio, an gladius, an vincula? Sanè hæc omnia delitiæ ſunt, ſolis chariſſimis amicis Dei reſervatæ.* Et in fine. *Oratio*, inquit, *fiat ab omnibus vobis pro me ad Dominum, ut ex hac me carceris cuſtodia liberare dignetur.* Tandem poſt dies ſedecim certior factus & in ſe reverſus furibundus Judex, eum extrahi, & ad ſe adduci jubet; cui jam appropinguanti, ait, *parce mihi O Pater! non enim noveram te, nec tuos audiveram.* Et Pater ad eum; Parcat tibi Dominus; nam ego quid tibi remittam non habeo, conſcius te nihil in me facere potuiſſe, niſi quatenùs eſſet à Deo præordinatum. Tales utique compl ures extitêre eodem tempore optimi Patris labores: *Tantæ ſiquidem molis erat Eremiticam condere gentem.* In optimum denique finem deſiit turbulentiſſima tempeſtas, ita ut veriſſimum ſit, quod Propheta canit: *clama-*

clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Et è converso fucati Eremitæ illi, qui justum persequebantur, cito præcedentem versiculum ejusdem psalmi lugentes atque gementes decantaverunt: *Vultus*, scilicet, *Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Nam post menses paucos, primus eorum, & qui magis in malitia exarserat, dira febri in phrenesim lapsus, se de fenestra quadam præcipitem dedit: & sic juxta peractam vitam exitus ejus. Alter verò persecutor, dum scalas quasdam ascenderet ligneas, offendens pede, è sublimi ad imum præcipitatus, crure per medium fracto, vix semivivus à concurrentibus levatus est; ita ut de ejus vita prorsus desperaretur. Verùm cum hæc audisset Paulus, valdè contristatus est, & pro eo sine intermissione orans, per dies quindecim in pane & aqua jejunavit, unde non immeritò ejus precibus infirmus curatus creditur. Non aliter certè vindicavit olim Dominus, B. Benedicti injuriam, atque hodie Pauli calumnias: morte enim punitus fuit mirabiliter malus Presbiter Florentinus, morte quoque pœnas luit Patris nostri persecutor; cujus nomen ex industria occultamus, nolentes notissimam, ac claram familiam, unde ortus erat, lædere.

CAPUT X.

De morum rigiditate, atque celeri augmento Congregationis novæ.

EXtinctis itaque Dei beneficiò contradictionibus, & adversitatibus, omnibus plenaque pace fruentes Eremitæ nostri,

noſtri, atq; à tumultu perturbationum vacans nova Congregatio tota ad obſervantiam regularem ſtabiliendam converſa eſt. O ſi ea eſſet nobis deſcribendi facultas, ſi tanta facundia, aut eloquentia: ut ad plenum eorum virtutes exprimere poſſemus. Præſtat equidem tacere potius, quàm imperfectè de tantis Viris, deque illorum eximiis animi virtutibus perperam tractare. Ibi namque inter eos pax ſumma, animorum unitas, & charitas perfecta; ibi ſimplex humilitas, cordis puritas, & promptiſſima obedientia: ibi jejunii continuatio, ciborum parſimonia, & ſtrictiſſima abſtinentia, ibi ardentiſſima devotio, ſpiritualis fervor, & jugis oratio: ibi diſcreta taciturnitas, nulla verborum ſuperfluitas, ſed perpetuum ſilentium. Ibi demum nuditas, rerum omnium neceſſitas, vera ac ſacro ſancta paupertas, certantes invicem quis ſtudioſior foret, reverentia & honore ſe invicem prævenientes. Atque adeò (quod omnia ſuperat) ut Paulus omnium major, factus ſit omnium miniſter, & inter pauperes ſemper pauperior ipſe viſus eſt. Iter facturus pedeſter, qui juvenis abſque navigio, vel equo nec miliare unum pedibus conficere poterat, ſenex jejunus (ut ipſe in Epiſtola ad Marcum Antoninum Flaminium teſtatur) viginti Italica miliaria dietim ambulabat. Erat certe in ſeipſum adeo crudelis, ut tunica, quæ aſperrima, ſimul & ſtrictiſſima ambitu erat, aliquando in itinere ex ejus nudis tibiis ſanguinem rupta pelle, eliceret. In ſumma, in infinitum tendere dicerer, ſi cuncta ejus ſtrenuè geſta enumerare vellem. Divulgabatur interdùm ſervorum Dei mirabilis converſatio, ideoque undique ad eos confluebant homines religioſum habitum avidiùs expoſcentes. Venit tunc temporis ad Criptas Innocentius quidam Florentinus genere; Vir jam dudum ſolitariæ vitæ deditus, ſed obedientiæ inexpertus habitum

bitum sumpsit, & in humili subjectione didicit obedire. Obtinuerat Innocentius in Apulia à Licinensi Episcopo Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Spiritu Sancto nuncupatam, sitam in asperrimo monte, locoque deserto, in qua ipse per annos aliquot habitaverat. Eandem Patribus unà secum obtulit Vir bonus: eoque idem cum nonnullis sociis mittitur, quò & eundem locum Eremitico more ex ædificet, & alia eremitoria si Deus dederit, erigat. Quod tanta diligentia, ac sedulitate Dei servus adimplevit, ut duas, præter hanc, Eremos in brevi obtinuerit in Patria illa, & mirabili temporis compendiô eas habitari fecerit. Unde nostri in Apulia tria loca possederunt. Innocentius iste oblatum Presbyteratum renuit, libenter in conversorum classe abjectus laicus Deo servire eligens. Miserunt ergo Patres ad singulas eremos, quosdam de Fratribus societatis, inter quos fuerant Venerabiles Sacerdotes Romualdus, & Zacharias, quorum alter Fabrianensis, alter vero Siculus, probatæ sanctitatis ambo, de horum autem successu inferiùs latiùs differendum erit. Post Innocentium præfatum, accessit Venerabilis Vir Romualdus Fabrianensis, qui intuitu virtutis magis, quàm peritiæ factus est Sacerdos. Homo naturâ blandus, & quietus, spirituali sapientia plenus; omnis terreni comercii inexpertus, quia omnis conversatio ejus in Cœlis erat. Semper in casto Dei timore manens, cordis suæ custodiæ incessanter intendebat; quare tantam carnis puritatem adeptus est, ut nunquàm fuerit ullô pactô coinquinatus. Quanta rursus in homine humilitas desiderari debet, in ipso ad plenum proculdubio residebat: ore tacitus mente quietus, corde semper in Cœlum elevatus, mortalem maculam nunquàm sciens contraxisse creditur. In laboribus & ærumnis usquequaque patientissimus, adeo ut semel ex Apulia in Picenum rediens

 à latro-

à latronibus in itinere captus, inque mediam sylvam deductus, & arbori cuidam alligatus, ne minimum quidem mœstitiæ signum ostenderit; quin & baculo benè percussus, in spirituali sua alacritate immobilis permansit. Cùm autem Prædones stricto ense mortem illi comminarentur, intrepidus perstitit: *Facite*, inquit, *quidquid vobis ex alto permissum fuerit, mihi enim nihil interest cras vel hodie mori: nam quòd Deus cras daturus est dabit & hodie.* Semper in psalmis, meditationibusque occupatus, vix momentô ab oratione vacabat; facies ejus nunquàm perturbata visa est, sed semper hilari vultu cunctis apparuit, ex ore sacro, quasi tacitum risum producens. Quod ei adeò assuetum fuit, ut etiam moriens ridenti similis absque dolore, vel horroris signo, spiritum efflaret. Obiit autem Beatus iste nonagenarius; post annum 56. conversionis suæ in Monasterio Sancti Salvatoris Montis acuti 1579. Iisdem fere temporibus ingressus est Religionem hanc Placidus conversus ex Fracta Urbini oriundus, Vir quadam naturali gravitate dotatus, statura procerus, corpore robustus, ingenio sagax, ac judicio clarus. Legalis, ac fidelissimus in omnibus actionibus suis. In solitaria cella silens, & abstinentissimus: odedientiæ, & regularibus observantiis jugiter incumbens, ad exteriora negotia (sine quibus Religio stare non potest) diligentem atque utilissimum se præstitit. Unde per annos plures Procurator constitutus, totum beneficium Abbatiæ Sancti Salvatoris tanta diligentia, ac rectitudine administravit; ut ea in re nec hactenùs parem habuerit, nec habere speretur. In hoc autem mirabilis fuit: quòd sive iter faciens, sive manu laborans, domi, vel foris agens, regularia jejunia, eremiticasque panis, & aquæ abstinentias nunquàm prætermisit. Denique in controversiis componendis speciale donum à Deo habuisse,

buisse, omnes qui eum norunt, autumant: ideoq; quoties inter Paganos illos Fractenses aliqua de rebus rusticis orirentur jurgia, seu quævis dissidiæ nascerentur: *Ad eamus*, ajebant, *Fratrem (sic eum per antonomasiam vocabant) & quid quid ipse dixerit, sequamur.* Vixit annos 78. in Religione verò 55. obiit circa annum 1580. Quantùm iste Religioni nostræ profuerit, si plenè ostendere vellem, novo tractatu opus esset.



CAPUT XI.

Unio quædam inter nostros, & Camaldulenses inita, & Justiniani Bergomensis ingressus.

NE quid narratione, cognituque dignum negligere videamur, non erit abs re hic quandam unionem, inter nostros, & Camaldulenses initam paucis adnotare: quô pleniùs totius Ordinis favor, erga societatem hanc novam dignosci queat. Dùm igitur prædictô modô dilataretur, eaque prosperitate frueretur nova Romualdi progenies, dùm inquam in tanta quiete agerent Patres nostri; ecce ad Criptas missi sunt Venerabiles Patres, Bernardus Pistoriensis, & Ventura Helvetius totius Ordinis Camaldulensis illô annô Visitatores, ut videlicet cum Paulo de conjungenda sibi nova Congregatione tractarent. Quod quidem negotium haud difficile fuit; eò quòd ab una, eademque radice uterque ramus procedere deberet; nec in substantia professionis aliqua esset differentia. Pacisscitur ergo, ut nova socie-

 tas

tas in ſuo maneat, & conſervetur ſtatu, ritu & cæremoniis: ſalvis quoque ſibi cunctis privilegiis, ac facultatibus ſuis; permanente etiam auctoritate celebrandi Capitulum, Prælatorumque eligendorum plena poteſtate. Item, ut dilatari ad libitum poſſit, & quæcunque oportuna, ac bene viſa in augmentum, utilitatemque ejusdem facere: veluti novas Eremos erigere, conſtitutiones condere, & omnia neceſſaria adimplere. Et tandem, ut ſuo primævo nomine (hoc eſt) Societas Eremitarum Sancti Romualdi nominaretur. Econtrà ſacræ Eremo hoc ſolùm reſervatum fuit, ut in ſuo Capitulo Generali quotannis Generalis novæ ſocietatis eligeretur, & per Viſitatores Ordinis ſingulis trienniis novi Eremitæ viſitarentur. Et quædam alia, quæ in ejusdem unionis inſtrumento latiùs continentur, quod actum eſt Fabriani undecima decembris 1523. confirmatum per Reverendos Patres Cyprianum Abbatem Vallis Caſtrenſis, Paulum Laudenſem Vicarium Generalem, & Viſitatores præfatos: Paulo Juſtiniano pro Societate agente. Inter alias conditiones hæc præcipua fuit, ut in ſequenti Capitulo Generali omnia prædicta confirmarentur, quod aſtu, fictaque intentione factum fuiſſe, rei eventus probavit. Quod cum de ejus unionis reſciſſione agetur, manifeſtiùs monſtrabitur. Ex hac tamen unione magnum bonum Societati eveniſſe in confeſſo eſt; nam ejus occaſione (quia ea concordia ſtante, ab Eremo ſacra ad noſtros, &ècontra, tranſitum facere cuiq; licitum erat) aliqui Camaldulenſes ad Paulum in Picenum venerunt. Quorum inſignior Juſtinianus Bergomas, Vir doctrina eximius, eloquentiâ clarus, ingenio moribusque ornatus, ac Religione pius, de quo Delphinus Generalis pluribus in locis plenum, ac pulchrum reddidit teſtimonium. Hic primo Monachus Benedictinus, poſtea Eremita factus per an-

nos

nos octo Camalduli vixit, ubi cum noſtro Paulo Juſtiniano magnam contraxit in ſpiritualibus familiaritatem. Unde jam à principio optaverat ipſe ad Criptas deſcendere, ſed ſuâ prudentiâ, ac maturitate utens, honeſtam cauſam id faciendi voluit expectare, quam adeptus ſtatim arripuit. Juvit etiam hoc pium deſiderium, quod ipſe nuper ſtrictioris vitæ cupidus recluſionem à ſuperioribus humiliter petierat, quæ penitùs fuerat ei denegata. Quantus hic in Religione noſtra fuerit, quantumque ipſam juverit, & auxerit, ſuis in locis apparebit ; nunc autem hoc unum dixiſſe ſufficiat, quòd per annos triginta, aut eò amplius ſocietatem rexerit quàm laudatiſſimè.

CAPUT XII.

De converſione Galeatij Gabrielij Fanenſis.

GAleatius Abbas, cujus non ſemel retro mentionem fecimus, per annos quatuor, poſt primam ejus promiſſionem, quia dives erat, ſuam converſionem protraxit, qui tamen anno 24. prudenter Religionis ſucceſſu conſiderato, tandem à jurgiis tricisque mundi extricatus, ſeipſum dare Deo non contentus, ſua omnia tam Eccleſiaſtica, quàm ſæcularia bona ſecum dedit. Habitum namque Eremiticum ſuſcepturus, ita ſe Deo conſecrare voluit, ut nihil omnino ab Apoſtolica converſione diſcreparet. Cujus utique ingreſſus, pleniſſima Religionis hujus confirmatio extitit. Meritò enim cum Apoſtolorum Principe decantabat;

bat; ecce nos reliquimus omnia. Diximus ſuperius, hunc obtinuiſſe præter alia Beneficia, Abbatiam Sancti Salvatoris Montis acuti Diæceſis Peruſinæ; Monaſterium hoc, Ordinis olim Ciſtercienſis fuit, quantùm ex conſecratione Eccleſiæ percipitur, quæ facta eſt Anno 1105. ditiſſimum olim non ſolùm poſſeſſionibus, ſed & innumerabilibus ſubditis, Caſtellis & ampliſſimis dominiis, quod videre eſt in quodam vetuſtiſſimo inſtrumento, cujus transumptum in Archivio Montis coronæ cuſtoditur; reperto mirabili modo in Monaſterio Sanctæ Columbæ Peruſii. Quæ omnia ante actis temporibus, ingruente Tyrannicô bellô in Hetruria, diſſipata, & direpta fuêre, & quod miſerabiliùs, totum Monaſterii ædificium funditus dirutum, nunc autem à Patribus noſtris appoſitè reparatum eſt. Eſt autem Monaſterium hoc non longè ab Oppido Fracta, quæ Peruſina dicitur, fundatum in calce montis acuti, à Tyberi vix centum paſſibus diſtans. Ex adverſa prædicti torrentis ripa, quæ orientem reſpicit, mons quidam in altum aſſurgit, cui Coronæ nomen indiderunt antiqui; mons inquam hic non modicæ celſitudinis, nec parvæ latitudinis. Ab oriente Tyberis undâ per duo milliaria cinctus, à meridie alio quodam torrente concluditur: ab oriente tandem valles habet duas, ab aliis quibuscunque montibus longe diſtinctus, ac ſeparatus proſtat: propter ſylvas per circum ſitas viſu pulcherrimus, Caſtaneis, pomorum cytrinorum copiâ, aliisque omnis generis fructibus abundans, lignorum abundantiam, & olei copiam cultoribus præbens, nec paſcuis carens. Talem quippè locum futuris ſervis ſuis, jam olim præparaverat Deus. His ergo beneficiis ſimul cum Galeatio, Dei providentiâ acquiſitis, Patres quaſi plenum profectum, ac ſtabilitatem cernentes novæ Congregationis, inceſſanter

vigi-

vigilabant meliori quodam, ac perfectiori ordine indies cuncta disponere.



CAPUT XIII.

De rescissione mentionatæ unionis.

Cum supra de quadam unione, sive concordia inter nostros, & Camaldulenses inita ageremus, hanc conditionem contractui quadam sanctâ astutiâ appositam dixisse nos memoramus, ut videlicet, in primo Generali Capitulo omnia pacta, & conventiones novam confirmationem accipere deberent, quò res ipsa suum robur, atque firmitatem adipisceretur. Id autem quam ob causam factum fuerit, ex subsequentibus fiet sat manifestum; finis tamen eorum optimus. Cuncta etenim excogitata fuerant, ut abolitô nomine novæ Societatis omnia ejus subjecta ad se traherent, & universa in eorum commoda verterentur; nam tunc temporis Sacra Eremus penuria hominum laborabat. Quam penuriam non parùm augebat discessus eorum, qui illinc ad nostros in dies descendere cernebantur: quod inconveniens radicitus tollere illis videbatur summè necessarium. Ac proinde Capitulum, quod sequenti annô celebrandum erat, in alium subsequentem, ut nostros molesta quadam expectatione afficerent, præter morem & consuetudinem protractum est. Rursus, dum dilatio ista prolongatur, multa per Camaldulenses Patres contra pacta & conventiones innovata fuêre, quæ vix honesta, nedùm justa censebantur. Tandem aderat tempus, quô Camaldulenses

ſes Patres ad Generale Capitulum conveniebant, quod celebratum eſt in Monaſterio Claſſenſi anno 1525. Quamobrem ut inchoatæ concordiæ, ſive unioni ultima imponeretur manus Venerabilis Paulus cum Hieronymo Sueſſano illuc properare coactus eſt. Ubi Patres Definitores Paulo ſuadere conantur, ut nullâ concordiæ mentione habitâ, ſe, ſuosque Camaldulo ſubdere non recuſet: objicientes ei pauperrimæ vitæ labores, ac nimiam in ea perſeverandi difficultatem, ſicque ſacræ Eremi opes ſocietati ſuæ efficaci adjutorio futuras; alioquin in brevi finem habituram ejus Religionem, quòd ſi facere recuſet, annullandas eſſe conventiones omnes cum Viſitatoribus olim initas, minantur. Quibus auditis virili vultu, ut ei de more erat, Paulus in hunc modum reſpondit. *Ego Patres venerandi, ob ſpiritualia bona, non propter temporalia commoda, in unum vobiscum convenire optabam, ſimulque convivere: temporalis autem utilitatis ratione ſubjectionem; quam expoſcitis de novo facere, neque ratio ſuadet, neque charitas patitur. Is ego ſum, qui nunquam de miſericordia Dei deſperaverim, ſciens Dominum mendicorum ac pauperum ſuorum eſſe ſollicitum, utpote qui non derelinquit quærentes ſe. Quod ſanè non ſolùm ſacrarum ſcripturarum teſtimoniis didici, verùm reipſa pleniſſimè ſum expertus. Ecce abhinc annis quinque ex veſtris alpibus deſcendens ſolô baculô (velut alter Jacob) tranſivi Jordanem, & nunc cum turmis Fratrum revertebar ad vos. Ego paſcua meis defutura ovibus nihil vereor; ille namque qui producit in montibus fœnum, & herbam ſervituti hominum, ipſe dabit & gregibus meis uberrima pabula. Non magnis opibus egent, qui leviſſimô, ac parcô cibô, & viliſſimô, ac rudi tegumentô contenti ſunt. Has tandem divitias quas nobis offertis, vobis in pace ſervetis, nos in paupertate noſtra lætantes permanebimus. Quod de diſſolvendis conventionibus locuti eſtis, non diſplicet, dummodò aliô novô*

novô instrumentô prior contractus abrogetur. Hæc itaque cum utrinque placuissent, factô novo scriptô die 10. Maij prioris unionis contractus cassatus est.

CAPUT XIV.

Paulus defensor PP. Capucinorum.

PRædictô modô sopitis negotiis, dùm Paulus ad sua reversus in Eremo criptarum, in cavernis illis, optatam duceret quietem: ecce sequenti anno 26. duo Fratres ordinis sancti Francisci de observantia ad eum veniunt. Qui Fratres germani erant, patria Foro semproniani: quorum alter Ludovicus, alter Raphaël nuncupatus. Ambo (res mira) spiritu Dei agebantur nescientes: nam cum Apostolica licentia à propria religione discesserant; ac proinde vagantes Italiam circuibant, quò tenderent, aut quid quærerent prorsùs ignorantes. Auditâ verò Pauli suorumque pia conversatione, quasi curiositate quadam ducti, illuc accesserunt; ubi per dies aliquot commorati, solitariæ Vitæ amore capi, atque tale institutum laudare cœperunt. Verumtamen cum Dei voluntas, cui resistere nemo potest, aliò eos vocaret, utriusque animus, imò divinus Spiritus manere ibi non permittebat. Postremò de seipsis piè propter mentis instabilitatem conquerentes, ruboréque persusi erubescentes inde discesserunt, inque Patriam reversi sunt. Erat tunc temporis quidam Frater ejusdem ordinis, nomine Matthæus à Bairo, qui simplici licentiâ Papæ, habitum quo nunc utuntur Capucini primus omnium induerat (quo tamen non semper utebatur) sicque indutus sine sede per

varias Italiæ provincias diſcurrendo (paſſim infernum conclamando) æternas pœnas peccatoribus ſine arte aliqua, ſolâ vociferatione, comminabatur, in quo exercitio & Vitam finivit, diesque ſuos Venetiis clauſit. Erat & in territorio Carraceti quidam Frater Franciſcus Eremita ætate decrepitus, infirmus, præ ſenectute ſui impotens, Vita præclarus, atque prophetiæ ſpiritu dotatus. Hic præfatum Matthæum monſtruoſo habitu indutum (per biduum antequàm accederet) ad ſe venientem in viſione vidit. Venit igitur Matthæus, ut ſenex prædixerat, quô visô exultavit animô infirmus, & illum eſſe verum Divi Franciſci habitum pronunciavit. Eodem tempore, quô Matthæus illic ageret, ad ſanctum Eremitam viſendum, non ſine Dei operatione, accedunt Semproniani Fratres. Qui cum Matthæi novum habitum conſpicerent, audiſſéntq; ab ipſo ſene illam propriam eſſe B. Franciſci veſtem, rejectis ſuis veſtimentis, non dubitarunt, illam ſibi aſſumere gaudentes. Illo igitur novô, & nondùm visô habitu induti, ad noſtrum Paulum in Criptis adhuc agentem revertuntur. Cui rem miranti, cauſámque tantæ mutationis inquirenti, cuncta præ gaudio geſtientes narrant; cúmque inſtaret Paulus, quid tandem agere cum novo habitu intenderent, ſe penitus neſcire, quadam erubeſcentiâ, fatentur. O quàm incomprehenſibilia ſunt judicia tua Domine, O quam inſcrutabiles ſunt viæ tuæ! Relinquunt primam religionem, habitum mutant, huc atq; illuc curſitant; quid ſibi expediat, ignari prorsùs quid iſta parturiant. Atqui non dormit interim Satanas, timens ſagaci conjecturâ id, quod poſtea ſecutum eſt, hinc illorum vias præpedire non ceſſabat. Factum eſt ſiquidem, ut dùm apud Paulum charitativam capiunt refectionem, à curiæ ſæcularis Miniſtris

invaſi

invasi raparentur, & vincti ducerentur in carcerem Massacii, & hæc facta sunt instantibus certis religiosis, quorum ut consulam honori, parco nomini. Paulus contrà, tantam injuriam Deo primum, deinde sibi, ac Religioni simul ob sacri loci violationem, illatam dissimulare non potuit. Captos pauperes viriliter repetit, contra renuentes (vi privilegiorum) fulminat excomunicationem. Quò factum est, ut cuncti sæculares Ministri ad Patris pedes revoluti restituerent captos. Qui ne aliâ novâ persecutione vexarentur, statim noctu per nostros ad Eremum Pascilupi transmissi sunt. Hinc post dies paucos, quasi oves aberantes Camerinum perveniunt. Cives ridiculos cucullos aspiciunt irridentes ipsos; pueris post eos acclamantibus, *Capucinos, Capucinos*: ex qua acclamatione tale illis nomen remansit, & ex ore infantium perfecta est eorum laus. Narratur Ducissæ quasi inaudita visio, jubet illa accersiri homines, veniunt in Ducale palatium Viri. Quibus visis Ducissa, non risit; sed obstupuit nobilissima mulier. Per contatur ab eis, quid sibi velit monstruosæ vestis forma, quò tendant, quæ eorum religio, quidvè facere intendant. Tunc primùm apertum est os illorum, & locutus est Spiritus in eis: quid pectore gerant plenô intimant Ducissæ sermone. Illa divinitùs afflata, sine mora ad Clementem septimum, qui tunc Petri claves tenebat, scribens misit, à quo sine difficultate aliqua, plenissimum indultum pro fundatione regulæ Capucinorum obtinuit, & juxta Urbem eis Monasterium ædificavit, quod primum hujus Religionis fuit. O ineffabilem Dei sapientiam, quàm suaviter per te omnia disponuntur. En Lector benevole, quomodò tanta, tamque sancta Religio incæpta sit. En quàm pauperes, quàm simplices habuit auctores. Sed brevi sacer hic Ordo mirum in modum

multiplicatus, innumeros Viros ſanctiſſimos, æquè ac Doctiſſimos Deo, & Eccleſiæ Catholicæ progenuit. Hoc etiam ſciendum eſt ex illa prima cum noſtris Eremitis brevi converſatione, ſemper inter utramquè Religionem quandam radicatam manſiſſe mutuam charitatem, & ſanctiſſimam ſignanter in Italia amicitiæ conjunctionem. Item prærecenſitos Fratres, quædam peculiariter ſibi comuniter ſervanda ſumpſiſſe à nobis, manifeſtum eſt, videlicet barbam oblongam deferre, nec non ſine cantu ſolaque diſtincta pronunciatione divinas laudes perſolvere, & quædam alia. Quemadmodum poſtea hæc eadem Capucinorum Religio per Franciſcum Aſtenſem, & Bernardum Eginenſem, ac alios religioſos viros ampliata fuerit, non eſt noſtrum pertractare, quamobrem ad ea, quæ dudùm reliquimus, redeundum eſt.



CAPUT XV.


Paulus prævidet in fortunium venturum.

Æquum eſſe duximus, ne aliqua ſancti Viri virtus occulta remanere contingat, præviſum ab ipſo infortunium illud, quod Romæ cum Petro Fanenſi invitus expertus eſt, ſuccinctè exarare. Sciendum igitur Abbatiam ſancti Salvatoris, in renunciatione ab ipſo Petro facta, non fuiſſe in perpetuum ſocietati unitam, ſed ad vitam ipſius renunciantis tantùm. Quamobrem noſtrates omnes Patrem ſtimulare non ceſſabant, ut vivente Clemente Pontifice, illi, ſocietatique bene faventi, perpetuam unionem obtineret. Ea igitur die, quâ unà cum Petro iter facturus erat, aurora

aurora illucescente (re sacra peracta) titubare, seu veriùs timere agnitus est: cui Petrus, *cur Pater ad iter non accingimur? Ego*, ait ille, *timeo frater, ne citiùs quàm oportet Romam per veniamus, sentio enim aliquid adversi nobis imminere.* Cumque omnes eum ad iter alacriter verbis multis impellerent, nec esse imaginationibus vanis credendum, affirmarent: *utinam* inquit, *fallar ego, dummodò vos veraces dicere possim. Sed ne animos vestros contristare videar: ibo: sciens utique nullibi nos manus Dei posse effugere, vel ejus reniti voluntati.* Et acceptô baculô, viam quâ iturus erat, Petro sequente, ingressus est. Cumque vix triduô Romæ commorati essent: ecce de repente furia illa infernalis; Dux, inquam, Borbonius cum exercitu suo eandem Urbem invasit, quæ (ut nota est historia) capta direpta, & miserè deprædata extitit. In ea direptione nemini parcitum est, nec ipsi Papæ; Sed ut alios missos faciamus, Patres nostri per manus Teutonicorum capti, captivatique fuerunt, & cum eis Vir clarissimus Joannes Petrus Carafa Episcopus Theatinus, qui postea Cardinalis factus, & deinde in Papam assumptus, Paulus quartus dictus fuit. Etenim illi, cum aliis multis ad Ecclesiam sancti Jacobi, quæ Hispanorum dicitur, confugerant, Sed (ut Horatius ait) *cantabit vacuus coram latrone viator*: videbant eos milites in habitu pauperrimo, nihilque habere intelligebant, quocircà eosdem illæsos dimittere non sunt diu tergiversati. Dimiserunt quoque Carafam prædictum, pauperrimum tunc temporis Virum. Ii tres simul, ne iterum in manus militum inciderent, ad mare currunt, inde naviculâ vecti in Tusciam deducuntur, hinc denique Venetias pedestres pergere decreverunt. Ubi relictô Carafa, Patres ad sua festini, per adriaticum remeârunt Eremitoria. Ferunt eundem Carafam, dùm eo tempore Venetiis ageret,

Cœ-

Cœnobium ſancti Nicolai Teatinorum fundâſſe. Extat præterea Epiſtola quædam propria manu ſcripta, ex qua oſtenditur eundem Caraſam voluiſſe, cum quibusdam ſociis ſimul cum Paulo Eremitam fieri; ſed ad aliud majus à Deo vocatus, non potuit deſiderium adimplere. Bellicum illud flagellum ſecuta eſt, haud multo poteſt, atrociſſima peſtis, quæ non unam, aut alteram Urbem, ſed univerſam infecit Italiam. Hæc epidemiæ lues neſciens parcere bonis, nec Paulum piiſſimum Dei ſervum immunem evadere ſivit, imo eum crudeliter percuſſum ad vitæ diſcrimen uſque perduxit; qui tamen Dei beneficiô, & ſuorum fratrum precibus aſſiduis, paulatim declinante morbô, non ſine magno, diuturnoque labore, ſaluti reſtitutus fuit. Vix cicatricis cute obductâ, Romam redire neceſſe habuit, quo ſimul duobus fratribus Camaldulenſibus, ſibi nimia charitate jam olim aſtrictis, ejus apud Pontificem interpoſitione egentibus, ſubveniret.



CAPUT XVI.

De morte Pauli, & laudibus ejus.

Itaque cùm primùm Romam venerat Pater, pedibus oſcula daturus ad Clementem Pontificem ingreſſus: Abbas quoque ſancti Pauli extra Urbem ordinis Caſſinenſis præſens aderat, qui tali nomine Eccleſiam ſancti Silveſtri montis Soractis poſſidebat.

Senſerat jam alias Pontifex hunc locum à Paulo deſiderari, adque ſolitariam Vitam eſſe valde idoneum, cumque ambos coram ſe aſpiceret, ab Abbate conſenſu habitô, Paulo

lo dictam Ecclesiam cum suo monte concessit. Verùm dum hoc negotium agitur, dumque in liberandis Fratribus, prædictis Romæ detinetur Paulus, dolore capitis, leviculaque febri laborare cœpit Paulus ne charitatis opus infectum desereret donec Fratres liberaret, sustinuit. Febricula igitur illâ affectus, ad montem Soractem, viginti passuum milibus ab Urbe distantem, se (ut melius potuit) confert ut Romam nondum peste purgatam fugeret, ac salubriorem aërem, qualem mons ille habet, sibi comparatum experietur veniens tandem illuc ab habitatoribus charitativè suscipitur, ac benignè tractatur. Verùm crescente per singulas horas radicatâ semel febri, brevi temporis spatio ad mortis articulum senex devenit. In extremo hoc, cum periculosum videret eum, Frater itineris comes in lachrymas prorupit. Quod videns pius Pater: *quid*, inquit *luges Frater?* cui *ille*, *lugeo optime Pater, videns te morti propinquum, & non esse, qui te exeuntem piis verbis (ut fieri solet) consoletur, meque dulcissimô tuô aspectu privari, & omnium Fratrum meorum auxiliô carere cernens. Ab modicæ fidei,* infirmus ait, *nunquid deerit nobis Deus? & si ipse nobiscum est, alterius auxiliô non egemus. Bonô animô esto, non deerunt nobis consolatores, aderunt & adjutores tibi: cuncta Deo committe, disponat ipse secundùm voluntatem suam sanctissimam.* Et ecce vix unius horæ spatiô transactô, cellam in qua languens jacebat: ingreditur Venerandus Pater Gregorius Bergomensis Eremita: qui & Major sacræ Eremi Camaldulensis & circa annum 1511. Prior quoque fuit Generalis, ut quodam publicô instrumentô constare vidimus. Erat quoque alio Sacerdote comitatus. Cumque ita Gregorius præfatus Romam iter ageret, negotia quædam suæ Eremi peracturus: dum in quodam hospitio, quod ad radicem ejus montis fuerat, reficeret: narratum illi est in Eremitorio sancti silvestri quendam

dam ſui Ordinis Eremitam graviter infirmari, ille de corporis habitudine, & indumentis certior factus, plenè cognovit infirmum Paulum Juſtinianum eſſe. Nec mora, relicto itinere; feſtinus Soractem montem aſcendit: & ut diximus, ad cellam morientis ámici pervenit. Visô autem infirmô, ſimul cum lachymis hæc verba effudit. *Noſti optime Pater me tibi ſemper fidum fuiſſe in Chriſto Fratrem: nec ignoras quanti ſemper fecerim ſalutem non corporis ſolùm ſed & animæ tuæ. Ecce Dei providentia factum eſt, ut hac tranſitûs tui horâ ego ad eſſem tibi, qui eodem fidelitatis zelô, quô hactenùs tecum egi, ad felicem exitum bona, firmaque fide ſuſcipiendum exhortarer.* Et hinc exordium ſummens ex literis ſacris, ac Sanctorum optimè dictis, documenta multa, ac ſalutiferas doctrinas adducens, in longum protraxit ſermonem, quo propter ejus efficaciam, morientis animam, contra vim morbi in corpore, retinebat. At eô modicum loqui ceſſante, reſpirans Paulus exclamat: *ſuavis Dominus univerſis, & miſerationes ejus, ſuper omnia opera ejus. Non mei meriti fuit, ſed divinæ miſerationis opus, ut tu chariſſime Frater, & Pater mihi emigranti aſſiſteres, meque Catholicâ exhortatione morientem in fide confirmares. Qua de re Deo meo primùm ac deinde tibi gratias ago ingentes: oroque ſupplex, ut ſicut lætatus ſum in his quæ dicta modò ſunt mihi: ita Dominus concedere dignetur, animam ſervi ſui lætantem ire in domum ſuam ſupernam, ejusque pedes ſtare faciat in atriis Cæleſtis Jeruſalem. Adeſto tu jam mihi, O JESU bone, unica ſpes mea, ſola ſalus mea: cui ſoli vixi, cui uni morior, & ſuſcipe in miſericordia tua ſpiritum meum, quem in manus tuas commendo: quia tu redemiſti me Domine Deus veritatis.* Quibus ſic dictis quievit in Domino die vigeſima octava Junii anno 1528. ætatis ſuæ 52. Venerabilis autem Gregorius Pater inde non receſſit, donec defuncti corpus debitæ ſepulturæ

datum

datum eſt, & feliciter, emigratæ animæ juſta perſolvit. Exultate ergo in Domino O vos felices tanti Viri Diſcipuli, quia Magiſter veſter, qui in paucis fidelis repertus, ſuper multa à Domino conſtitutus, atque in gaudium Domini ingreſſus, jubilô plenus regnat in Cœlis. Lætare & tu Eremus ſacra Camaldulenſium, quæ tam præclarum mundo, Deoque dediſti alumnum, à quo viciſſim tam ſcita dogmata, tamque multa bona recepiſti: quique pro reformatione, ſive tui inſtauratione, tam multos pertulit labores. Venerare eum, cujus opera, brachiô ſanctiſſimi Romualdi decorata, ornataque præfulges: quô per annos quingentos carueras. Jubila tu quoque tantô auctore ſata ultima Romualdi proles, Univerſa Eremitarum Montis Coronæ Societas, jubila, inquam, & gaude tanti ſyderis illuſtrata fulgore, omniumq; ſanctiſſimi progenitoris tui virtutum ditiſſima hæres.



CAPUT XVII.

Virtutes, & opera Pauli deſcribuntur.

QUis quæſo ejus animi dotes, quis, charitatis ardorem, quis integerrimæ Vitæ ſanctitatem, aut ſublimes perfectionis gradus in eo enumeret. *Hic verè Iſraelita, in quo dolus non eſt inventus.* Hic lucerna accenſa ſub modio non abſcondita, ſed ſuper candelabrum poſita, ut religionem ingredientes lumen viderent: nec habuit mnam à Domino ſibi traditam, repoſitam in ſudario, quinimò ſanctè negotiando, ejus mna decem mnas fecit. Hic verè divitiarum oſor, qui ſemel & iterum poſſeſſas opes con-

tempſit religioſæ obſervantiæ unicum exemplar : auſteritatis Eremiticæ perpetuus vindex : in laboribus perferendis ſtrenuus, & infatigabilis. Nec vacua fuit in eo gratia Dei, cum multos à via peccatorum convertens ſecum ad religionem traxit, plures domi, vel alibi piè vivere docuit, innumeros à blanditiis ſæculi ad duriſſimam pœnitentiam, vivo ſermone, & operibus tranſire compulit, doctrinâ plenus, verbô potens, calamô facundus atque luculentus. Scripſit (ultra ſæpe memoratas conſtitutiones Eremiticas) opuſcula multa, & præclara, quæ commemorat in quodam memoriali inde confecto Venerabilis Pater Juſtinianus Bergomenſis, quæ centenarium numerum ſuperant. Multa miraculosè operatus, è quibus aliqua ſaltem referre non pigebit. Ac primùm cum ei à presbytero quodam muliercula tertii Ordinis ſancti Franciſci tanquam ſancta laudaretur, talemque propter ejus mirabilem vitam & propter miranda ejus facta ab omnibus haberi, ac reputari aſſerebat Presbyter : ex eò quòd quotidie communicabat, & futura prædicabat, & ſæpe hoſtia è manibus Presbyteri in os communicantis perſe evolabat. *Oſtende*, inquit *Paulus*, *& mihi mulierem iſtam*, & ſecutus Presbyterum ad mulierem pervenit. Quam ſtatim ut vidit, non eſt Spiritus Divinus hujus mulieris, dixit ; ſed fraus inimici latet in ea. Obſtupuit Sacerdos, & qni cum eo erant, in verbis iſtis, & quaſi delirum irriſerunt Patrem. Sed poſt decimum quintum diem decepta fœmina in furiam converſa, palam oſtendit, quid gereret in pectore, & ſic detecta eſt antiqui ſerpentis malitia. Eſt in Monaſterio ſancti Blaſii apud Fabrianum (ut libro primo diximus) ſancti Romualdi ſepulchrum ; quod tribus ſeris diverſarum clavium obſeratur, quarum una apud Abbatem, altera apud Epiſcopum, tertia penes

nes

nes populi rectores custoditur. Illuc Cardinalis quidam magnæ auctoritatis venit, desiderans sibi aliquam sacratissimi corporis particulam habere. Reseratis itaque omnibus seris, multisque secum fortissimis Viris advenientibus, lapidem monumento superpositum nunquam levare potuit. Super quo obstupefactus, & maximô Cardinalis timore perculsus, re infectâ recessit. Ad idem sepulchrum accessit Paulus noster, qui unâ tantum ex tribus seris reseratâ (nam Episcopus, & populus in rem consentientes non erant) unicô Monachô adjutus, eousque Mausolæi gravissimum opertorium elevavit, ut facilè immissa manu dextrum brachium sacri corporis inde ex traheret, quod secum decenter in quadam theca Camaldulum (erat enim tunc sacræ Eremi Generalis) detulit. Quâ pretiosâ gemmâ Eremus hæc ornata, etiam hodie corruscat. Postremò, nonne mysterium sapit, illud supradicti persecutoris ejus, qui fractô femore sine spe aliqua redintegrationis jam jam moriturus, jejuniô & oratione Pauli sanatus est? At longum esset singula quæ mirabiliter gessit, hìc exarare velle. Satis abundeq; ex prædictis constare debet Beati Patris sanctitas, & supra naturalis operatio ejus; ipse sibi testis idoneus innocentiæ suæ, acclamantibus omnibus qui noverant ipsum. Vale ergo beatissime Paule, & quia cum eo, cujus nomen in terris adeptus es, bonum certamen certâsti, & cursum felicissimè consummasti, fidemque servâsti; cum eodem coronâ justitiæ fruere in Cœlis quæ tibi olim reposita, hodie autem reddita à Domino justo judice.



CAPUT XVIII.

Quantas perturbationes passa sit post mortem Pauli Congregatio.

SI quandò, quod sæpe usu venire videmus, numerosæ Familiæ Patrem, qui suos bene alat, ritè prudenterque gubernet; morte vel casu è vivis emigrare contingat, turbatur universa domus, in planctum prorumpit derelicta uxor, liberi lugent orbati, lachrymas effundunt ancillæ, tristantur famuli, abjiciuntur lætitiæ vestes, induuntur lugubres; domùs ornatus tollitur, &, ut poëta canit, *luctus ubique, dolor, & plurima mortis imago.* Porrò non aliter evenit tanto duce, tantoque parente privatæ Eremitarum novellæ Congregationi, parente, inquàm, piissimo, atque omnibus benefico duce verò, providô, prudente; doctissimô, ducere, ac docere peritissimô, orbatæ. Ecce quasi temone amissô, fluctuat navicula ista, & velut inter tumentes undas derelicta agitatur. Despondent animum pusillanimes, ac nullum sibi adjutorium ampliùs superesse credunt; desperant contristati, nec alium dari de cætero consolatorem sperant. Alii majori anxietate premuntur, existimantes in tanta paupertate, fame, laboribusque attritis Fratribus non esse futurum æque sollicitum altorem. Dubitabant multi de regiminis prosperitate, & instigante Sathana, non solùm de discessu cogitabant, sed etiam secum alios trahere nitebantur. Quid plura? incipiunt sine Pastore aberrare oves, ac quasi veniente lupo terrentur agni, maleque irritatus grex

grex abhorret ovile. Attamen ſeniores, & qui meliori utebantur conſiliô, aliter agendum ſentiebant, remque maturiùs ponderantes, modum ſedandi agitatos animos excogitant. Congregantur igitur Seniores Patres in unum, atque hinc inde ſingulorum collatis votis, imminentibus malis mederi prudenter ſtatuunt; præcipuè tamen de confirmandis Fratribus ſatagentes, quomodò id ſalubriùs fieri queat, ſagaciter pertractant. Ad hoc non minùs difficile, quàm utile negotium, Venerabilem Virum Danielem Venetum in locum demortui Pauli ſubſtituunt, omnem poteſtatem in eum communi votô conferentes. Erat autem Vir iſte naturali gravitate admirandus, verbô potens, & apprimè doctus, atque quod rariùs eſt, in conſolandis afflictis ſpeciali gratia dotatus. Diſcurrit hic per Eremos ſingulas, & ad inſtar ſtrenui Ducis, imperturbata acie, hos blandè monet, illos acriùs redarguit, indulget iſtis, illis verò reſiſtit, ſicque mirabili modô cunctos in diſciplina retinet. Venerantur jam omnes Venetum, quaſi in eo reſuſcitatum Paulum intuentes, cujus monitis confortati, omnem timorem deponentes, in propoſito prorſus ſtabiliti ſunt. Dum autem hæc prædictô modô peragerentur, adeſt legitima Capituli Generalis celebrandi dies, in quo (præter multa ad bonum Religionis ſtatum à Patribus inſtituta) Auguſtinus de Baſſano, qui primus omnium ex Eremo Camaldulenſi ad Criptas Maſſacii, Beato Paulo ad hæſurus venit, Generalis totius Congregationis creatus fuit. Daniel verò in Apuliam miſſus eſt, ut ſicut in Picæno, & Tuſcia fecerat, illic quoque confracta fame, & penuria Eremitarum loca, diſſipatosque Fratres conſolidaret. Verùmtamen cum cognoviſſet poſtea Auguſtinus Generalis non eſſe opus unius, neque in ſolis verbis conſiſtere illius Provinciæ malum,

ipſe

ipſe quoque illuc pergere decrevit. Eodem verò tempore, quo Pater in Apulia agebat, epidemiæ morbus, qui bienniô ante exorſus erat, univerſam Italiam invaſit, atque in illis regionibus in tantùm deſæviit, ut Auguſtinum Generalem cum Daniele, nec non majorem Eremitarum partem crudeliter extingueret. Unde iterum ſine capite, ſineque paſtore grex & ovile remanſit. Quô nunciô allatô, Patres, qui in Picæno commorabantur, quique ab eadem peſte graviter vexati erant, valdè turbati ſunt, & factô citò novô congreſſu, quid agendum foret, deliberant. Perpenſis itaque cauſis, rationibusque multis in medium adductis, Eremitoria illa Apuliæ deſerta relinquere, & paucos qui ſuperſtites erant Eremitas in Picenum revocare ſtatuunt. Ad quod maximè ſeniorum animos movit, gentis illius naturalis ferocitas, prædonum agmina paſſim ſolitarios infeſtantia, atque communis charitatis defectus. Accedebat inſuper, quòd Paulo ante Zacharias Siculus Venerandus Pater, cum Joanne Maria ſocio capti, à Turcarum piratis, captivi abducti ſunt: nec non piiſſimus Pater Romualdus Fabrianenſis cum ſuo comite à prædonibus in itinere deprehenſus, & ad arborem alligatus graviſſimè cæſus extiterat. Derelicta ſunt etiam nonnulla Eremitoria per Italiam propter Fratrum ex peſte imminutum numerum, inter quæ ſolennis illa montis ſoractis Eremus. In medio igitur tempeſtatum harum, in tantorum malorum procella, magnus ille Juſtinianus Bergomenſis, Generalis creatus eſt. Vir ſane, qui & propter eximiam doctrinam, & propter vitæ integritatem, ſecunda poſt Beatum Paulum Religionis hujus columna meritò dici poteſt, qui quantæ utilitati Religioni ſacræ fuerit, in ſequentibus patefiet.

CAPUT

CAPUT XIX.

Societas nova ſtabilitur, & Eremus Montis Coronæ fundatur.

SIcut in ſacro Evangelio legimus Apoſtolorum naviculam, abſente JESU, fluctibus agitatam tempeſtateque magna jactatam, ſic ſæpe videmus Religiones ſacras adverſitatum ventis, malorumque procellis graviſſimè concuti, ac penè confringi. Et ſicut olim Diſcipulos in remigando laborantes præterire voluit Dominus, ita plerumque Servos ſuos in tribulationibus, afflictionibusque laborantes diſſimulare videtur. Quod in noſtra Societate defunctô Paulô eveniſſe perſpicuum eſt. Sed tandem in fluctuantem naviculam ſuam venit miſericordiâ motus in quarta vigilia noctis, in fine ſcilicet laborum, quos patiebatur, quam per ſuam viſitationem aſcendens, imperavit ventis, & tumentes æquoris undas placavit. Et quod optimum fuit eidem peritiſſimum dedit nauclerum, qui navis clavum regere, ac Socios in tempeſtate confortare ſciret: quod ſane fideliter præſtitit ipſe. Celeberrimus namque Vir Juſtinianus cum primum Generalis novæ Congregationis factus eſt; ſua magnanimitate animum ad Religionem hanc in perpetuum ſtabiliendam viriliter applicuit. Unde eo ſuadente, magna audentes facti ſunt Patres, & à quibus jam dudùm animum averterant, quaſi impoſſibilia ea exiſtimantes: poſtea tanto Duce freti, facillima reputarunt. Ac primùm, ſequenti Generali Capitulo actum eſt, ut Eremus aliqua ad inſtar Camalduli erigeretur: quæ velut arx, caputque

putque totiùs Congregationis foret. Quod præcipuè ad hoc decretum fuit, ut Eremus iſta multos inſimul aleret Eremicolas, inqua majores ſenioresque Patres commodè, fixáque ſede morarentur, penes quos cæteros omnes regendi maneret auctoritas. Volentes inſuper cætera loca, ſeu Eremitoria omnium provinciarum inde tanquàm ſubjecta, inferioráque membra, & conſilium & auxilium, nec non regiminis præcepta ſuſcipere. Hac denique determinatione facta, de idoneo loco quædam oborta fuit difficultas; eò quòd ex Patribus quidam Eremo Criptarum, tanquàm antiquiori ad hoc jam olim deputatæ, honorem hunc, quaſi defuncti Pauli voluntatem ſequentes, deferendum cenſebant. Econtrà erant, qui non quod factum, ſed quod convenientius, utiliusque videretur, nec præſenti modò tempori, aut moderno Religionis ſtatui, ſed futuris magis proſpiciendum ſuadebant. Poſt multa tandem prævaluit, quæ nunquàm confundi ſolet, juſta ratio; ſicque fuit concluſum Montem Coronæ Criptis eſſe præponendum, non ſolùm loci aptitudine, temperiéque aëris conſideratis: verùm etiam terræ illius amænitate, atque neceſſariarum rerum abundantia, commoditatéque rectè ponderatis. Multùm item movebat propinquitas, ſeu oportunitas Abbatiæ Sancti Salvatoris, ex qua videlicet ad radicem montis poſita, facillimè poſſent quotidiana ad Eremum transmitti alimenta. Attendebatur inſuper ibidem ſine Eremitarum perturbatione peregrinos aptiùs hoſpitari poſſe, nec non & infirmos commodiùs tractari, atque ſenes, debiles, & quocunque modô impotentes, curari, foveri, & juxta cujusque indigentiam remedia adhiberi. Qua concluſione firmatâ, ad inchoandum opus ſine mora accincti ſunt viriliter omnes. At ne quid cognitu dignum intactum relinquamus, ſciendum eſt, montem

tem hunc habitare cœpisse eodem annô, quô Petrus de fano, olim Galeatius, habitum Eremiticum sumpsit: quanquàm non in eo loco, seu parte, in qua postea consederunt, & quam incolunt modò. Est siquidem in latere montis vetustissimum Oratorium Beato Savino Martyri consecratum, cujus situs etsi brevis, jucundus tamen, & saluberrimi fonticuli aqua dotatus. Hic igitur primùm ex luto, saxísque per eosdem Eremitas utcunque cellulis compactis, per quinque, aut sex annos detenti sunt, Quod Oratorium cum cellulis prædictis, & hodie cernere licet, cujus loci aspectus suavi delectatione non caret. Consitus nimirum ab ijsdem Patribus, variis ac fructiferis arboribus, addita vinea, tùm visu delectabili, tum fruitione utilissima. Sed quia minus aptus, capaxque cognoscebatur ad destinatum finem, coacti sunt in eodem monte commodiorem, ampliorem que locum, seu situm exquirere. Unde diligenter perlustrato monte, nullibi convenientiùs desideratam Eremum fundari posse sanô judiciô existimatum est, quàm ubi nunc ex ædificata prostat. Erecta est igitur Eremus ista in summitate montis ejusdem, cujus loci habitudo ab utróque latere proclivis, sed quà ad meridiem respicit, proclivior multò. Verùm utrinque nemorum miræ densitatis amænitas, arduum collem reddit jucundissimum; quin & assiduo, improbóque Fratrum labore, quod naturâ proclive fuerat planum, atque spatiosum magna ex parte effectum conspicitur; propterea loci prospectus latior, aut delectabilior vix inveniri potest. Ad orientem namque Tyber famosissimus amnis, cum tota simul Spoletana valle, per triginta fere milliaria, intuenti apertissime patet. In eadem valle Forolivii civitas, ac Divi Frincisci patria Assisium distinctè cernuntur; nec non Nursia Provincia, Beati Patris nostri Bene-

dicti nativi soli excelsi montes latissimè apparent. Rursùs ad meridiem Perusii inclytæ Tusciæ Urbis, à qua per decem milliaria locus iste distat, ferè totum Dominium, & ditionem cum suo famosissimo lacu intueri licet. Ad occidentem verô, & septemtrionem, Fractæ Perusinæ per vetusti oppidi juxta Tyberim positi, pulcherrimum territorium videbis. Item Sinæ tortuosi gurgites, Appennini valles, nec non antiquum Eugubium, magni Ubaldi vetus domicilium, perspicere datur. Erat collis, ut diximus, supra modum asper & impervius, nec humano vestigio calcabilis, atqui industria, nimióque Eremitarum sudore in eam formam redactus; ut in quantum Eremi tractus protenditur, equi cum curribus percurrere facile possent. Quatuor enim præcipuæ viæ aperiuntur, quæ totam Eremum deambulanti patefaciunt. Spatia inter vias prædictas, arboribus fructiferis, cum innumeris cypressis consita habentur. Intrantibus è vestigio, plateâ quadam mediante, se offert Templum, seu comunis Ecclesia, opus & magnitudine, & arte commendabile. Quod sub invocatione Salvatoris nostri annô 1555. 14. Octobris consecratum fuit. Degunt in hac Eremo hodie quadraginta & ampliùs personæ cum comoditate, nec in ullo se invicem impedientes.



CAPUT XX.

Quanta difficultate ædificata sit Eremus ista.

SCiendum est per quadraginta, aut eò amplius annos in erectione hujus Eremi laboratum esse, & necdum ultimam

timam operi manum extitiſſe impoſitam. Nam circa annum trigeſimum rem tentantes duo tuguriola erexerunt Patres: quibus Oratorium ad celebranda ſacra addiderunt, tintinnabulum in una magna quercu appendentes. Paulò poſt humilem admodùm ſibi gazulam Venerabilis Petrus Fanenſis conſtruxit, ad inferiorem videlicet Eremi ſepem, ubi nunc ciſternula cum ejusdem cellulæ fundamentis apparet. Nitebantur profectò pauperrimi Dei ſervi, quod in ſe erat, viriliter præſtare. Verùmtamen non habentes unde fabricæ ſumptus ſuppeditarent, ab opere etiam nolentes ſuperſederunt. Obſtitit quoque huic rei non parùm mulier quædam Peruſina, quæ jus in fundo illo, in quo ædificabatur, licet injuſtè prætendebat. Hæc in montem veniens, Oratorium dùm alter ex Patribus celebraret, ingreſſa eſt, admonita blandè, ut inde egrederetur, quaſi furia agitata pauperes homines mille injuriis clamitans affecit, nec locum, nec præſens ſacrificium attendens. Quos ſequenti die in jus vocare non erubuit: cui boni Patres ne litigiis jurgiisque intendere, & pacem cordis contra profeſſionem ſuam amittere cogerentur, pecuniolas, quas ad fabricandum ſumma cum difficultate præparaverant, obtulerunt. Quibus tempeſtas illa ſedata eſt. Poſthæc aliud majus diſpendium eſt ſecutum, hoc eſt: quòd Clemens ſeptimus Pontifex Maximus memor ſui dilectiſſimi Pauli, ſciens deſiderium, & indigentiam noſtrorum circa Eremi erectionem, quandam ad id pecuniariam ſummam promiſerat; quam, morte præoccupatus, præſtare minimè potuit. Unde Patres ſine alio adjutorio, quotidianis manuum ſuarum exercitiis lapides effodientes, & arenam cumulantes, magnum materialium acervum ad opus præparaverunt, quibus paulatim Sacellum, quod hodie Capituli exedra

 eſt,

eſt, conſtruxêre. Quô, pro comuni Eccleſia uſi ſunt, donec Templum perficeretur. Verùm eodem tempore ædificiorum proſecutio diu ceſſaſſe perhibetur, eò, quòd anno 40. die 20. Maij facta ſit cum Camaldulenſibus unio quædam (quæ ſecunda dicta eſt) hæc utrinque per biennium obſervata, magnas diſtractiones pepererat, noſtris nempe Camaldulum, & Camaldulenſibus ad nos frequenter convolantibus. Quæ obſervantiæ diſſolutio, & devotionis diſſipatio in cauſa fuit, ut mutuô adhibitô conſenſu, Patres ab unione diſcederent, & quique eorum ad ſua remearent. Et ſic Societas in ſuam naturam reverſa eſt. Redeuntibus igitur in unum Patribus: Templum paulò ſuperius plenè deſcriptum, erigere inſtituunt, & quia illis non erat, unde ſumptus tanti operis acciperent, habitô Apoſtolicæ ſedis conſenſu, quædam adhoc poſſeſſiunculæ diſtractæ fuêre. Reſident in hac Eremo Montis Coronæ ſummi Patres totius Religionis Rectores, nempe Generalis, qui inter noſtros Majoris ſibi nomen vendicat, duo Generales Viſitatores, & loci ejusdem Prior, penes quos totius regiminis præeminentia conſiſtit. Seniores item, qui diuturnæ perſeverantiæ experimentô, alios verbô, & exemplô, nec non conſiliô docere, inſtruere, & ſtrictiori in obſervantia retinere apprimè noverunt. Hinc fit, ut ſub optimo, prudenti, expertóque capite, cætera Religionis membra juſtè, ſanctè, ac pie in regulari Eremiticæ vitæ diſtrictione perſeverent. Quod ſanè in cauſa eſt, ut in tanta quiete inque tanta animorum unitate, atque tranquillitate hodie in hac ſacra Societate commoretur: ſic Deo Optimo maximo per ſuam miſericordiam annuente. Cui propterea Gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

CAPUT

CAPUT XXI.

De morte Petri Fanensis.

DIximus supra Clementem Pontificem non modicam quandam pecuniariam summam in opus Fabricæ Eremi Montis Coronæ erogare voluisse, quô nunciô acceptô, Petrus Fanensis tremestri ante Generalis Societatis factus: de consilio Patrum Romam perrexit, à Pontifice idem subsidium recepturus. Et ecce Urbem ingresso, Clementem graviter infirmari nunciatum est, cujus rei eventum ibidem expectare decrevit. Fervebat equidem tunc temporis æstivus calor, nempe in canicularibus. Intra paucos ergo dies, dùm salutem Clementis præstolatur, & ipse febricitare cœpit, atque invalescente deinde morbo, in brevi viam universæ carnis ingressus est. Cùm autem piorum exempla frequenter nobis coràm posita in salutiferam doctrinam cedere soleant, opere pretium erit, tanti Patris felicem exitum paucis ennarrare. Is cum jam morti appropinquâsset, voce omninò vi morbi privatus, per biduum obmutuit. Interim urgentissimis animi passionibus, ac dæmonum tentationibus per immissas illusiones cruciatur: coactus passim gemitibus, atque suspiriis dolores intrinsecos exteriùs manifestare. Interrogabant eum Capucini Patres (apud quos ægrotare ei contigerat) quibus, ne idoneis quidem signis respondere valebat. Tandem cum jam jam spiritum exhalare vellet, ecce repente os ejus apertum est, & exclamans exultantis modo, ter hanc vocem repe-

titam

titam emisit. *Ego vici, ego vici, ego vici. Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*: tunc sequentem versum suscipientes Fratres totum canticum alternatim dicentes persolverunt, quô finitô felix ejus anima ad Cœlos evolavit. Obiit verò in sancta Eugenia, ubi tunc Patres Capucini habitabant, quique de tam beato defuncti fine plenum testimonium præbuerunt: & ejus Corpus ibidem honorifice sepelierunt annô 1534. mense Augustô, die S. Augustini. Nec est quod dubitemus preciosam fuisse in conspectu Dei mortem Sancti hujus, qui verè non solùm præcepta, sed & consilia Evangelica adimpleverat. Qui dum dives esset, ut pauper in plena juventute vixit, inter rixas, & controversias Fratrum consanguiniorumque suorum, ab intima cordis pace non discessit, juvenis & potens, nullis se unquàm mundi illecebris miscuit. Tandem ut Christum nudus perfectè sequeretur, omnia quæ habebat, reliquit: & Religiosus factus in strictissima observantia perfectissimè degens, exultando moriens animam in Dei laudibus emittere meruit, quæ nunc in cœlis, ut piè credendum est cum Christo manens, sine fine regnat.



CAPUT XXII.

De Hieronymo Suessano Socio B. Pauli Justiniani.

EX gemmis, quæ nostram Eremiticam Religionem illustrarunt, duas pro ingenioli Viribus hactenùs demonstravimus: nunc verò tertia nobis detegenda occurrit, Hiero-

Hieronymus nempe Sueſſanus præ foribus adeſt, qui meritò, optimóque jure intromittendus eſt in aulam hanc, quò omnes habitantes in ea Religioſi Fratres, ipſum videant, & revelata facie contemplentur. Is de primis Pauli Sociis extitiſſe ex præmiſſis cognoſcitur, qui ſicut rigiditate vitæ, & regulari obſervantia nemini coætaneorum ſuorum ſecundus haberi poteſt, ita veræ paupertatis virtute cæteris anteponi debet. Abhorruit namque non ſolùm rerum proprietatem, verùm etiam quarumcunque rerum abundantiam, idque tam ratione ipſius privatæ commoditatis, quam comunis totiùs religionis utilitatis. Qua de re nunquàm aliter docuit, quam ipſe ad unguem obſervavit: unde factum eſt, ut in ſua cella nullum vaſculum ſuperfluum, aut quid aliud vel minimum ſponte retineret. Apud eum nulla veſtimentorum duplicitas, & ea, quibus utebatur indumenta, vetuſta & attrita nimiùm cernebantur: quin & ſub tali veſte aſperrimum latebat cilicium, ab humeris uſque ad poplites deſcendens. Nec non plerumque in lumbis plumbeum pondus alligatum detuliſſe, veriſſimô Patrum teſtimoniô compertum habemus: & quod majoris admirationis eſt, cum his omnibus à corporali, ſeu manuali opere ſtatutis horis nunquàm abſtinuit. De jejuniorum obſervantia ſuperfluum eſt dicere, cum tota ejus vita perpetua abſtinentia extiterit. Oratio illi perpetuus comes ſemper & ubique fuit: utpote, qui nusquàm non mentem in Deum elevatam gerebat. Sed inter omnes ſuas pias actiones, præcipua in Virginem Matrem ignita devotio fuit. Quid moror, nullam Eremiticæ virtutis proprietatem ſcimus, quam in eo invenire non poſſes. Hoc inſuper in homine admirandum venit, quòd quantò erga ſe auſterior videbatur, tanto in alios oſtendebatur benignior.

His

His ergo moribus ornatus, cunctis (invidis exceptis) magna erat admiratio, maximè considerantibus eum in mollibus abinfantia fuisse educatum, atque in deliciis enutritum. Annô igitur 1537. cum decrevissent Patres, in Venetiarum partibus Eremum quandam erigere, ne sui alumni Pauli Patria illa dignâ memoriâ careret, quæ piis semper pia esse consuevit, hunc præclarum Virum ad tantum opus perficiendum destinârunt. Qui Arseniô Conversô itineris comite assumptô, fine mora ad iter accingitur, atque diebus paucis Venetias, quò missus fuerat, pervenit. Ubi omni solicitudine locum ad suam intentionem aptum investigare non cessavit. At per dies aliquot in simili defatigatus investigatione, videns nil prodesse laborem, dum nil reperiri sibi vacuum experitur; in Istriam navigare statuit. Sed ecce navigantem eum, subita tempestate immissa, illuc ire prohibuit Deus, atque in Urbem redire coegit. Tunc demùm mutatâ sententiâ, Hieronymus & Arsenius Bononiam ituri, celeriter arripiunt iter. Qua de re certior factus clarissimus Vir Franciscus Justinianus Beati Pauli Nepos, eos velociter insequitur, atque consequitur, hortatur & rogat, per diem saltem eos in Urbe detineri, partim ut maturior rei deliberatio fieret, partim ut Generali Camaldulensi eosdem videre cupienti satisfaciant. Ut ergò tanto Viro, tamque impensè roganti satisfaciant, Venetias revertuntur. Erat tunc temporis Camaldulensis Ordinis Generalis, Mansuetus Bergomensis, Vir haud spernendæ auctoriratis: qui cum audisset hoc genus Eremitarum Ordinis Camaldulensis, sui gregis non esse, gestiebat eos, tanquàm oves errantes, & nova monstra quodamodo, videre, hoc tamen non ideò, ut eis aliquid dare, aut beneficium quoddam conferre intenderet, sed curiositatis solùm causâ.

O alti-

O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Tanto tempore anxius quæsierat Hieronymus locum optatum, nec invenerat, & ecce discedenti, nec ampliùs quærenti, quod optabat, ultrò offertur. Generalis quid ageret, nesciebat: Dei servus quid ageretur, ignorabat. Atqui benè noverat Deus, quid esset ipse facturus: nimirùm antiquissimam in honorem excelsæ Genitricis suæ olim dicatam domum, præque vetustate ad fundamenta usque dirutam, & penitus neglectam in pristinum statum restituere voluit. Ad quod præclarum opus, Hieronymum fidelissimum ejusdem Deiparæ famulum ipse elegerat. Porrò in Patavino agro, interque Euganeos colles mons quidam præaltus insurgit, quem indigenæ olim Rhuam appellaverunt, cujus non parva magnitudo est, nec situs injucundus. Rhuæ autem significatio apud Hebræos, ut Divus Hieronymus, & Beda testantur, spiritum significat, unde latinè locus spiritualis non incongruè dicitur. Cujus profecto nominis impositio, spiritualis vitæ in eo futuræ; quasi prognosticon fuit: de quo & Poëta Altanus pulchram dedit cantilenam. Cum igitur pauperes Eremitas vidisset Generalis, ex colloquio Hieronymi ita commotus & ædificatus est, ut mente priori penitus mutata, eosdem miro modo venerari cœperit; & ultro illis Rhuam (qui locus pro deserto habebatur) pollicetur se daturum. In summa viso loco Hieronymus cum Socio ad Generalem revertuntur, & cum consensu Conventûs, medio publico instrumento, desertus locus eis collatus est. Et ecce idem Justinianus, sufficientem illis supellectilem, & generositate quadam de omnibus necessariis providet. Item Balthasar Morus & ipse Patritius, qui & validus exhortator fuit, necessaria quæque ad Dei servos foven-

dos Rhuam mittere non distulit. Dum igitur novi cultores Rhuæ prima tentoria figunt, sibique tuguriola ex virgultis exstruunt, repertum est antiquissimum Diploma Apostolicum, in quo Benedictus Papa duodecimus quasdam concedit Indulgentias Fratribus Joanni Veronensi, & Antonio Albignascio Eremitis Sanctæ Mariæ in Rhua Ordinis Camaldulensis. Ex quibus manifeste colligitur illic Eremitas Camaldulenses jam olim habitâsse, uti ex alio instrumento Patavii anno 1330. emanato, pleniùs constat. Tandem factum est, ut prædictus Balthasar Morus Oratorium, cum devotissima sacratissimæ Virginis imagine, præter alias largitiones, ibidem curaverit, quæ imago usque in hodiernum diem manet; in qua pii homines Cœli Reginam, tum visitationibus crebris, & orationibus devotis, tùm donis, & muneribus venerantur. Perquam & Deus omnipotens non pauca miracula operatus est. Cum itaque novi incolæ sic sub tuguriolis ex virgultis contextis manerent, maxima se offerebat difficultas in his, quæ mittebantur, ad tantam ardui montis altitudinem convehendis. Sed ille qui omnia potest, cujus etiam opus agebatur tanto devotionis ardore vicinos Toriliæ, & Garcignani populos, qui ad montis radicem jacent, inflammavit; ut inter se pugnare videretur, quis eorum erga novos Rhuenses officiosior ostenderetur, nec solùm jumentis sed etiam propriis humeris onera imponentes, serviebant. Adeò ut quidam Jacobus Pragassus, novâ viâ in invio factâ, boves cum curribus onustis, Rhuam primus ascendere faceret, Altare cum præfata Genitricis imagine portantes. Post hæc Nobilis Vir Galeatius Bigolinus Patavienſis proprijs pecunijs, multisque fatigijs in tantùm novæ Eremi erectionem juvit, ut sæpe diceret Hie-

Hieronymus, Bigolini ope Rhuam fuisse erectam. Qui pijssimus Vir, finito amplissimo Templo, cujus structuræ ipse super omnia intendebat, statim obijt. Felix profectò homo, qui longioris vitæ delicta, tam scitè redimere novit. Sic ergo locus olim spinis, sentibusque oppletus, amænus, ac fertilis factus est, & omnibus videntibus non mediocri admiratione jucundus. Verumtamen hæc pauperrima domus nunquàm agros, aut possessiones habuit, nec illi aliqui redditus unquàm fuêre; unde ejus pia familia semper ex largitionibus fidelium vixit. Nec est hic prætereunda magna charitas, simulque liberalitas excelsi Venetorum dominii, cujus inclytus Senatus largam pecuniarum quantitatem quotannis Eremicolis mittere consuevit. Tanta siquidem clarissimis illis Viris cura est, quid pauperes Rhuenses manducent, quibusve induantur. Nec aliter certè facit nobilissima Patavina Civitas, quæ in dies magis ac magis in eleemosynis Rhuæ mittendis exuberat. Accedit ad hæc quorundam Monasteriorum pietas; quale est sanctæ Justinæ Paduæ, Prajæque veneranda Cœnobia, quibus non minor cura est circa nostros in sanitate alendos, quàm infirmos curandos, alimenta videlicet valentibus, Medicum, ac medicinas infirmis benignè providendo. Venda quoque, quæ sacra domus propinquior Rhuæ existit, largitatem suam nostris quotidie ostendere non dedignatur. Particulares hujus Eremi Benefactores describere, speciatimque afferre opus esset infinitum. Sciendum igitur est, nunquàm illis defuisse alimenta, sed semper Dei beneficio, & pia Benefactorum largitate, necessaria victûs sufficienter suppeditata sunt. Quod profecto admirans, magis admirari non cesso: tam magnificum Templum, tot pulchra ædificia, solis eleemosynis tanta celeritate esse confecta, Benefacto-

res Benefactoribus in dies magis, Deo inſpirante, ſuccedentes.

CAPUT XXIII.

Hieronymi Sueſſani Virtutes, ac Sanctitatis ſigna.

JAm tempus eſt, ut ad ineffabiles virtutes finemque glorioſum Sueſſani ſanctiſſimi demonſtrandum, totis Viribus accingamur. Principio Vir iſte vere Apoſtolicus prædicandus venit, qui relicta regia aula, hoc eſt, Pontificis Palatio, ubi Proto-Medicus erat, & inſuper amplæ ſuæ hæreditati renunciando totum ſe paupertati ſine fictione tradidit. Unde poſtea non paucas eleemoſynas viriliter refutando, Pauperibus, qui ſe magis indigebant, dandas ſuadebat. Rurſus cujusdam Patavini Antonii Muſati nomine poſſeſſionem oblatam ad radicem Montis ſituatam acceptare noluit. Sed quid ego hæc minutiora refero? Paulus Papa quartus (dictus Carafa) Neapolitanus, ideoque ejus conterraneus, & à pueritia amiciſſimus, anno primo promotionis ſuæ, Hieronymum ad ſe accerſiri juſſit. Venit Romam Vir obedientiſſimus, læto vultu à Pontifice ſuſcipitur, eumque oſculo pedum præmiſſo, ſic alloquitur Papa; quale tegumentum iſtud Hieronyme (erat enim viliſſimis tunica & pallio indutus) ſeu quæ auſteritas iſta? Nimis durè tecum agis, dimittas ea, oportet. *Cui ſenex: his indutus ſanctiſſime Pater, expeditus inter quercus, & arbuſta incedo: nec alius, ni fallor, pœnitentem decet habitus. Nam qui mollibus veſti-*

vestiuntur, non in deserto, sed in domibus Regum sunt. Nec tu (inquit Pontifex) *ampliùs in deserto eris, sed manebis hic nobiscum; nec de cætero Eremitam te, sed Cardinalem volumus.* Quô auditô, statim cecidit pronus in terram senex: multis etiam lachrymis profusis, cum diù in refutando Dignitatem oblatam persisteret, vix tandem breve tempus ad deliberandum obtinuit. Quo finito, ad Pontificis pedes revolutus, humiliter petiit ad suum Eremitorium remitti, affirmans nullam sibi dignitatem chariorem esse, quàm veræ pœnitentiæ sanctissimum statum: neque alicubi sibi delitias futuras extra solitudinem. Ex his cùm intellexisset Pontifex piam ac synceram Viri Dei voluntatem, noluit eum cogendo contristare, sed totum in ipsius arbitrium dedit. Quam desideratam optionem adeptus Hieronymus, elegit esse abjectus in Domo Dei sui. Sic tandem recusata, imo liberè spreta dignitate, ad desideratum reversus est Eremitorium. O miserrime Munde! heu quam paucos possessores habes, qui sic concupiscentiæ, ambitionisve laqueos effringere norint. Omnes etenim post aurum, postque divitias abierunt. Hinc tantæ virtutis, tantique meriti longè non distulit Deus promissum præmium. Nam confestim exeundi à pugna dedit triumphum; redeuntem à victoria, coronavit gloria. Siquidem in Eremum Montis Coronæ cùm pervenisset, intra dies paucos febricitare cœpit, crescenteque in dies morbo, feliciter migravit ad Dominum. Nec certè Mysterio vacat, quòd non in Eremo ipsa, sed in tuguriolo sancti Savini (quod ut diximus in medio Montis ascensu est) mori voluerit Vir per omnia pius, ut, scilicet, qui verè pauper fuit, de pauperrimo loco ad ampla Cœli palatia transiret. Obiit autem anno 1606. Mense Martij, feria quarta cinerum, ut verè pœnitens in maximo

ximo pœnitentiæ die ſuam finiret pœnitentiam. Sepultum verò in Capitulo Montis Coronæ corpus ejus requieſcit. Cujus vita non ſine ſanctitatis expreſſis ſignis, nec ſine divinæ virtutis demonſtratione præteriit. Contigit etenim cum aliquando in Criptis Almaſaccii Prior eſſet, ut de menſe Januarii vallis illa nivium abundantia obrueretur, ita ut per dies quindecim illuc quis exire, aut aliunde illuc ingredi prorſus prohiberetur. Unde factum eſt, ut Fratribus victui neceſſaria per totùm deficerent, (fidelium enim ſolùm largitionibus vivebatur) propterea Pater Procurator, nomine Conſtantius apud eundem conquerebatur, quaſi fame, atque inedia Fratres in brevi perituri eſſent. Cui fidelis Pater; O Conſtanti, inquit, fili tu fidem non habes: putas quia deſeret Deus Servos ſuos? Ipſe dixit, & nòn mentietur, nolite ſolliciti eſſe quid manducetis, aut quid bibatis; confide fili & ora, non deerit tibi, nec Fratribus in craſtinum oportunus cibus. His & aliis multis Procuratorem conſolatus, ipſe Eccleſiam ingreſſus, ante Altare humi ſe proſternendo (qui mos illi frequens erat) in multam noctem orationem traxit. Cœperat tandem tenuis, pauliſper mitigato aëre, imber defluere, qui paulatim in abundantem pluviam crevit. Ecce manefacto, dum Prima in Choro de more diceretur, oſtij tintinabulum pulſatur, illuc properanter currit Conſtantius, oſtiario non expectato, ac foribus patefactis, hominem cum jumento, pane & aliis alimentis onuſtum, coram ſe ſtare videt. Maximo repletus gaudio nihil interrogat, ſed veloci curſu ad Eccleſiam redit, & quaſi divino ſtupore attonitus; Agite, clamat, Patres, agite gratias, miſit Deus cibaria nobis. Erat autem homo ille ex domo Sanctæ Luciæ de Ficano: qui cum in maxima pluvia veniſſet (mirabile dictu) ſe pluviam prorſus non ſenſiſſe

ſiſſe aſſeruit, nec ejus pallium, aut ſarcina in aliquo madefacta fuêre reperta. Quod quidem miraculoſum factum noſtri Hieronymi orationibus non immeritò attribuitur. Fuit Patavii nobiliſſima mulier, atque honeſtiſſima quondam Galeatii Bigolini nurus, quæ per annos decem, aut eò amplius in Matrimonio ſuo ſterilis proceſſerat. Hæc cùm aliquando obviam habuiſſet Hieronymum; O Pater, ait, pete à Domino pro me filium, ne ſine ſobole moriar. Cui annuit Pater ſe facturum; nec à die illa, promiſſum præſtare, hoc eſt, ſummo cum fervore pro repetita Domina orare, ceſſavit. Concepit Mulier intra menſes paucos, nec unicum tantùm partum enixa eſt, ſed deinceps annuatim parere conſuevit. Cum pia Mulier plures dilecto Marito genuiſſet proles, caſu contigit Dei Servum in ejus domum venire, in cujus conſpectu omnibus (quos peperat) infantibus poſitis: quid agir, inquit ſubridens, Mulier? O Pater, guttam aquæ ut peteres rogavi, tu verò copioſam pluviam impetrâſti mihi; deſine jam pro fœcunditate mea orare ad Dominum: ſatis enim ſuperque ſunt mihi hæredes. Porrò tanti beneficii haud immemor extitit fœmina iſta, quæ largas quotidie ad noſtros Eremitas ſolebat eleemoſynas mittere. Abbas quidam Olivetanus converſationis vitæque honeſtæ, nomine Cornelius Vendæ Præpoſitus, cum in ejus præſentia quidam prudentia, atque longa experientia ornati Viri, de corruptela, item & virtute illius ætatis ſapientiſſime diſſererent, hanc protulit in medium ſententiam. Tametſi modò ætas hæc noſtra ſatis depravata exiſtat, unum attamen perfectum Virum hodie inveniri mihi perſuaſum habeo; Hieronymum videlicet Sueſſanum Rhuæ Fundatorem Eremitam Snncti Romualdi, de cujus integritate

tate comperta ſunt mihi nonnulla indicia adeò ſingularia, ut auſim eundem inter Sanctos referre.

CAPUT XXIV.

De Vita Juſtiniani, Bergomenſis, ejusque memoranda Doctrina.

POſt aquiſitionem Eremi præfatæ tertio, infallor, anno ſucceſſit magni Juſtiniani Bergomenſis obdormitio, noſtræ Religionis præclariſſima & ipſe gemma, atque fulgidum ornamentum. De quo, quanquàm in præcedentibus, cum de ejus ingreſſu agebamus, quædam nos annotâſſe recolimus: uberiori tamen vena hoc loco innumeras ejus virtutes, laudabilemque vitæ curſum tractare non pigebit. Hic non ignobilis genere, nobilior tamen virtute fuit; ab infantia totus literarum ſtudiis immerſus, brevi tempore in Philoſophicis, ac Theologicis literis evaſit doctiſſimus. Doctrina inſigniter ornatus confeſtim ſe totum Deo dedit per Religionis ingreſſum. Exercitatio ejus literaria Patavii potiſſimum fuit; ubi & primum Religionis habitum Monaſticum in Cœnobio Sanctæ Juſtinæ induit. Vigeſimo ſecundo ætatis anno, ut de virtute in virtutem incedendo, altiorem perfectionis gradum aſcenderet, ex Monacho Eremita factus eſt in Eremo Camalduli, ubi per annos octo piè converſatus cunctis ſuaviſſimus ſanctitatis odor (Delphino teſte) extitiſſe comprobatur. Ajebat namque memoratus Delphinus Generalis, quibus de Juſtiniano ſermonem facere contingebat; quis putas Juvenis iſte erit? tantæ

tantæ profectò opinionis apud eundem Justinianus fuit, ut nulla inveniatur ad eum data Epistola, quæ non summas ejusdem laudes contineat. Erat huic cum Paulo Justiniano, dum ambo Camalduli viverent, summa, sed in sanctitate fundata familiaritas, eoque statim ut noviter fundatam, stabilitamque novit societatem hanc, ipsum secutus est. In qua quidem Congregatione, quasi lucerna omnibus, qui in domo sunt, ardens, mirabili quodam progressu per annos quadraginta vixit. Quid iste in agris ampliandis, redditibusvè augendis operatus sit, non invenio: quantus econtra in observantia regulari adimplenda, atque tuenda fuerit, crebra Fratrum cum gemitibus recordatio superabundè testatur. Quò enim magis sæcularia negotia, ac forenses strepitus odio habuit, eò magis pietatis, sanctimoniæque exercitium adamasse cognoscitur. Simili modo per totam vitam terrenas opes abhorruit, atque castas animi delicias dilexit semper & ubique perfectionis iter constantissime tenebat; adeo ut septuagenarius factus, nihil de stricta sui Ordinis observatione remisit. Videntes hæc Patres obtestati sunt, quatenus modum poneret in consueto rigore suo, eò quòd propter necessitatem Ordinis eum longævum optarent; quibus hunc in modum respondisse fertur. Tamdiù, observandissimi Patres, me vobis utilem futurum existimate, quamdiu solitariæ, seu Eremiticæ vitæ observatorem habebitis In multis insignis fuit Vir iste; sed in quatuor excelluit. Hoc est, in studio literario, in divinorum officiorum devotione, in solitariæ quietis, silentiique mirabili observatione, atque in secretæ contemplationis indeficienti fervore. Quæ ut de-

 bito

bito Ordine digesta memoriæ dare valeamus : principiò sciendum est, in Religione ista sua ætate nullum fuisse studiosiorem, seu scientiarum cupidiorem. Scripsit itaque Vir ille doctissimus opuscula multa, ex quibus pauca supersunt hodie, eò quòd paucissimis ante mortem annis propria cella (in qua cuncta ejus scripta custodiebantur) fortuitô incendiô, dum nocturnis vigiliis ipse assisteret in Ecclesia, combusta fuit. Sic proh dolor, sudores, vigiliæ, & labores optimi Patris periêre. Supersunt tamen de tam multis quatuor opuscula arte & doctrina miranda. Ita officiosè sanctorum Patrum vitas legebat, ut dicere consuesset: *Vellem volumen hoc mecum unà sepeliri, ut etiam post mortem solatium ex eo haberem.* Rursus tanta ei ad opus Dei persolvendum fuit animi affectio : ut dum in Eremo esset, nunquàm sive noctu sive die intermissionem Chori admiserit. Ubi rectus complicatis manibus stans, plena voce, qua dotatus erat, tanto cum decore Deo laudes reddebat, ut aliquando (dum alium ad hoc ipsum inducebat) affirmaret : se ne verbum quidem, nedum versum per inadvertentiam omittere. Quoties Generalis, aut Prior eligebatur (quorum altero licet invitus nunquàm carebat) strictè ostiario præcipere solitus est, ne dum in Choro Altissimo laudes redderet, sibi aliquid cujuscunque momenti foret, nunciaret. Neque interventu alicujus magnæ personæ, ut fieri solet, licet Cardinalis existeret, se interpellare præsumeret. Solitariæ quieti incredibile videtur, quàm ardenter incumbebat : eò quòd pluries in privata cella de more Eremitico inclusum mansisse, manifestum est : mansissetque usque ad mortem, nisi eum tanquàm Religioni utilem, ac necessarium prohibuissent Patres. Nec quidquàm antiquius illi contingere poterat,

terat, quàm absque aliqua perturbatione liberè ad Deum mentem, animumque jugiter intendere. Quoties credis in divinis meditationibus occupatum transisse sinè cibo diem? quoties sinè somno noctem; Idcirco sæpe dicere solebat: cibi somnive memoriam, in mente benè in Deum elevata, tardiùs occurrere; non enim in solo pane vivere hominem longâ experientiâ didicerat. Ante matutini signum assurgens, divinas laudes meditando expectabat. Tandem annô 1563. cùm ipse in prædicta reclusione maneret, Patribus Capitulum Generale celebrantibus visum fuit summopere Religioni profuturum eum in Generalem eligere. Id cum præsensisset timoratus Dei Servus, epistolam, veluti ultimum vitæ suæ testamentum ad Patres Diffinitores scripsit. In qua cum omni humilitate eos deprecatur, ut animi sententiam mutare non dedignentur. Non equidem quia ipse obedientiam recusare, aut laborem fugere vellet, sed quia ultimus vitæ suæ terminus instaret. Addens, ex tali electione nil aliud evenire posse, quàm studiorum suorum inutilem finem, ac Patrum desiderii acceleratam frustrationem. Sed his minùs assentiente Capitulo, è cella extractus, & Generalis factus est. Tertiô verò ab illa electione mense febri correptus lecto prosternitur, atque paulatim invalescente morbô ad mortis articulum deducitur. Aderant frequenter infirmo, ut fieri solet, seniores Patres, quibus eum bono animo mortem suscipiendam hortantibus; sic respondisse fertur: Ego Patres, licet non meis meritis, sed fide vera, speque firmissima, atque misericordia Dei fretus, mortem, quasi Virgo Sponsum, expecto. Quibus & aliis ad ædificationem audientium prolatis, in Pace quievit, die sancti Laurentii 10. Augusti. O felix non jam Justi-

nianus, sed justus Eremita, & Dei Servus; qui ab exiguo tugurio ad ampla Sanctorum palatia translatus es: à stricta cellulæ clausura, ad latissimas Cœlorum plateas deambulandas pervenisti: qui tandem pro jejuniis, silentio, & corporis maceratione immensam Dei gloriam es assecutus. Quis enim dubitabit inter Dei electos regnare eum, qui in spiritu, vitæ suæ finem adhuc vivens tam perspicuè viderat? Unde non immerito quidam Cardinalis, cui notissimus erat, sæpe cum genitu dicebat: *O utinam cum Eremita Bergomensi animam meam permutare possem.*

Jam his paucis de tantis, ac tam multis Patris nostri virtutibus breviter exaratis, ad vos Venerandi Patres novissimum converto sermonem, atque fidenter comonefaciam, ne unquàm è memoria vestra excidant ponderanda illius verba, quibus vos ad observantiam crebrò solita anxietate hortari solebat. *Nolite*, inquit, *Patres mei, ac Fratres dilectissimi, quòd semel benè, piè, ac sanctè institutum est, destituere, nec majorum vestrorum ob vestram parandam quietem intolerabiles labores despicere. Si augere sanctæ Congregationis nostræ perfectionem non valetis, nolite, obsecro, dissolutionis esse auctores.* Et rursus; servate mordicusque tenete primam servorum Dei (qui vos præcesserunt) justissimam simul, ac discretam vivendi rationem. Et iterùm; Frequenter pugnemus pro Eremitica observantia, pro re autem augenda minimè satagamus. Porrò tantus viguit semper in Viro Dei religiosæ pietatis zelus, ut non aliter vixerit, quam docuit: nec monuit aliud, quàm quod ipse implevit. Attendite ergò, in universum vos obtestor, piissimi Patres: ne vobis viventibus, regentibusve sanctissimi Romualdi pereat institutio; quin potiùs vigilate, ne in aliquo minuatur antiquissi-

tiquiſſima ſanctoruт Patrum indefeſſa, jugiſque obſervatio; ac proinde cum omni diligentia, ſi quid inveneritis relaxatum, reſtringite: diſſolutum colligite, confractum ſummopere conſolidare ſtudete. Utique in tremendo judicio, coram Judice æquiſſimo (quem venturum fideliter creditis, ac ſancto timore expectatis) de locis multiplicatis, vel locupletatis, de bonis ſive redditibus adauctis, vel non adauctis, parva & fortaſſis nulla erit quæſtio; at benè econtrà de votis emiſſis, de moribus, & conſuetudinibus ſanctis, prætermiſſis, contemptis, vel derelictis, ſtrictiſſima (mihi, imo Evangelio ſacro credite) diſcuſſio fiet.

CAPUT XXV.
De B. Rodulpho Veronenſi.

FUit in Societate iſta Vir quidam Venerabilis, Patria Veronenſis, nomine Rudolphus: juſtâ corporis ſtaturâ, vultu placido, gravique inceſſu dotatus: liberalibus diſciplinis non mediocriter eruditus; cujus tamen præcipuum ſtudium in Sacris Literis erat. In juventute ſua inter Monachos Olivetanos converſatus, in virili autem ætate factus Eremita Camaldulenſis, tanta in Religione iſta integritate, morumque ſynceritate vixit, ut omnibus eſſet admirationi. Cujus converſatio per totam vitam non ſolùm ſine crimine, ſed etiam ſine reprehenſione tranſivit, ut per annos viginti (quo tempore ferè ſemper in officiis fuit) ab Eremi oſtio non ſit egreſſus. In ſenectute verò bis recluſionem obtinuit, quam mirabili conſtantia, ac legis ipſius cuſtodia obſervavit. Rur-

ſus innata ei gravitas, & ſyncera morum integritas in cauſa erat, ut ab omnibus unice diligeretur, pariter ac timeretur; cujus vel oculi intuitus durior tranſgreſſoribus, reprehenſio videbatur, quàm cujusque alterius Prælati graviſſima correctio. Non erat auſterus, neque hypocriſis vitio maculatus: ſed ubique inque omni ſua actione liber ac purus, ſimplex & rectus. Induebatur juxta Eremitici inſtituti ritum honeſtè, veſtibus ſemper mundiſſimis utens; non nimia inedia delectabatur, neque indiſcretas abſtinentias affectabat, ſed ſumma cum diſcretione quotidianum cibum, prout illi dabatur, manducans (aliqua ſemper particula relicta, ſive ex ordinario detracta) laudabili parſimonia gaudebat. Brevi inſuper ſomno contentus, ac moderatas vigilias ſervans, divinis precibus, privatæque orationi jugiter vacare ſolitus eſt. Ad nocturnas pariter, atque diurnas laudes primus ſemper accedere, easdemque mirabili devotione, ac perfecta attentione perſolvere illi de more fuit. Noverat ille linguam frænare, labiaque cuſtodire ne loquerentur dolum, ſilentium niſi coactus rumpere, neque vaniloquium audire niſi invitus aſueverat: *Cui omnis laus proximi jucunda, & contra omnis detractio abominabilis ſemper viſa fuit.* Perpetua ei pſalmorum cum meditatione prolatio, ita ut quoties eum extra cellam inveniri contigerat, aliquem per ſuſurrum alloquentem judicares. Fuit enim illi in celebrationibus decus, & in cunctis religioſis actibus gratia admiranda. Tandem qualis illi vita, talis & exitus fuiſſe conſtat: nempe quietus, ſineque afflictione, imò cum manifeſto lætitiæ ſigno ſpiritum exhalavit. Quamobrem poſt ſanctiſſimæ vitæ perfectionem felicemque finem, affirmare non dubitamus, ejus beatam animam è corpore ad Cœlos recta evolâſſe, die 21. Aprilis, anno 1584. ætatis ſuæ 79.

CAPUT XXVI.


Vita B. Petri Germani Eremitæ Camaldulensis & B. Boni æquè Camald. Ordinis.

BEatus Petrus Zelandrinus Germanus, clariſſimus Eremita intra D. Papæ primùm, & poſtea S. Bartholomæi Cellæ ſecreta ad 30. annos ſqualidus, incultusqe corpore moram traxit, dum nitidiſſimus in anima pro incolumitate S. M. Eccleſiæ in abſcondito Cœleſtem Patrem perpetua prece fatigare non ceſſaret. Quapropter ſicut erat Divinæ bonitati acceptiſſimus, factum eſt, ut Pij II. Pontificis Maximi animam ad Cœlos per Angelorum manus deferri viderit, perindè ac S. P. Benedicto in exceſſu Germani Capuani Epiſcopi contigiſſe, proditum eſt memoriæ, collectô ante ipſius oculos totô mundô ſub rutilante quodam ſplendore. Ferunt adhuc ex traditione eum in hæc tunc cùm clamore verba ineffabili cordis jubilô præ myſterio pro rupiſſe. *Reſpicite Fratres, reſpicite, ecce ſummi ſacerdotis animam ab Angelis in Cœlum evectam glorioſa aſſumptione æthera penetrantem !* Quod ipſum, nec qui ipſius Pij Pont. geſta literis mandavêre, intactum reliquerunt. Fama eſt præterea in tranſitu cujusdam exercitûs, quandam militum phalangem ad depopulandam ſacram Eremum venire decreviſſe: quod illuc magnam frumenti, & utenſilium copiam à Caſintinatibus ob timorem Belli aſportatam fuiſſe percepiſſent; eam ob rem Eremitæ maximo affecti ſunt mœrore: adeò, ut non defuerint pavidi, qui per alta juga fugiendo ſalutem ſibi comparare ſtuduerint; verùm Venerabili Petro incluſo Familiam in Domino JESU ſperare enixe hortante, ſolennemque ſupplicationem haberi, ubi Eremitæ bini

& bini præcedente S. Crucis vexillo ad ejus cellam propinguant, Vir Dei ab oratione exilit, dextraq; signum S. Crucis contra milites, qui jam sylvam ingressi fuerant, vix formaverat, & Deus magnô miraculô, muro inexpugnabili densissimæ caliginis Eremum in ictu oculi circumcinxit, ut dies antea clarissima, in atras quasi noctis tenebras sit conversa, tantusq; horror omnes milites invasit, algor & confusio, ut non absq; magna difficultate demùm in castra redire potuerint. Supervixit Venerabilis Petrus usque ad annum 1473. reliquit verò has fragiles umbras VI. Kalend. Maij nonagesimum & octavum agens annum. Corpore verò apud B. Peregrinum condito, Divini ei æque à Patribus sunt tributi honores.

Fuit B. Bonus Monachus Camaldulensis Vir simplex & rectus coram Deo, qui sua sanctitate Vitæ Monasticæ Institutionis profectum universæ Civitati Pisarum ostendere studuit, in cujus unguentorum odorem nobilium multi currentes, pariter & ignobilium ad sacrum Ordinem relictô sæculô festinarunt, adeò ut Cœnobium quoq; S. Zenonis ejus Discipulis refertum sit. Nec defuerunt ex Patritio genere, qui Filios illi erudiendos tradiderint: quos inter Albertus Avitius, quòd infans illi operam dedisset, curtem in Corsica Cœnobio largitus est, quæ montes, Colles, & planities continebat sextariorum innumerabilium anno 30. à loci constructione. Porro B. Bonus tanta se vitæ paupertate constrinxit, ut unicam tantùm camisiam ex stamine habuerit, quam æstatis tempore sordidam vix lavare consuevisset, solâ pariter contentus tunicâ, in qua paupertate, sicut Christum verè vivens induit, sic quòd ad æternas Divitias fervido pectore anhelâsset, felici transitu confirmavit An. 1070. summa cum reverentia in suo Templo tumulatus.

PROLO-



PROLOGUS

In Vitam Sancti Dominici Loricati Ordinis Camaldulensis.

ADmirandam Sancti Dominici Loricati exaraturus Vitam, vereor, ne fortassis à quibusdam incredibilis judicetur. Sed absit à me mendacium scribere. Nam qui veritatem pro Viribus cum Divo Petro Damiano veraciter colo, commentum fallaciæ non admitto. Neque enim illud Apostoli *1. Cor. 15.* me latet; qui cum præmisisset; *Si Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra; præstò subjunxit: invenimur autem & falsi testes DEI, quoniam testimonium diximus adversus DEUM, qui suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt.* In quibus Apostolicæ sententiæ verbis, ut non diutiùs immoremur, in promptu lector intelligere potest, quoniam qui vel Deum, vel Dei Servum mirabile quid fecisse confingit, non modò fabricati præconii præmium non meretur, verùm etiam adversùs eum, quem laudaverat, falsum testimonium protulisse convicitur.

CAPUT XXVII.

Dominicus fit Monachus & Eremita.

DOminicus itaque cùm esset in sæculo Clericus, vigente tunc Simoniaca hæresi, quæ utinam jam prorsùs esset extincta, ut Presbiter fieret, à Parentibus ejus data est Episcopo Hircinæ pellis aluta. Sed sicut ait Apostolus: *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, hæc una beati Viri culpa multorum post bonorum probatur extitisse materia. Nam hoc pavore perterritus, contempsit sæculum, induit Monachum, arduumque mox eremiticæ vitæ, tanquàm bellator intrepidus arripuit institutum. Sed quia malè promotus est, donec vixit, sacrosancti Altaris ministerium, usurpare non præsumpsit. Virgo usque ad obitum fuit, & Vitam Eremiticam constanter coluit, in qua sub Magisterio Sancti Viri Joannis, qui dicebatur de monte Feretri, per plurimos vixit annos. In illa ergo Eremo quæ erat in regione Luceoli dicta, decem & octo videbantur cellulæ ad habitandum Fratribus deputatæ; ubi vivebatur sub hac Regula, ut nunquàm vinum biberent, nunquàm butiro, aut adipe alimenta condirent. Unum in dominica die, sed & quintâ feriâ pulmentum sumerent, quinque per hebdomadam diebus in pane, & aqua jejunium celebrarent, solis autem orationibus vacantes, vel manuum operibus insistentes, non agriculturam exercebant, non prædia vel aliquam substantiam, præter unum Sagmarium, possidebant. Unus ibi erat cum asello minister, qui ad conquirendas fruges indeficiens hinc indè discurrebat, solusque eos in cunctis necessitatibus sustentabat, Joannes scilicet, qui post-

poſtmodùm loci Abbas factus, ſub honeſta rexit adminiſtratione conventum. Tenebant autem per totam hebdomadam diſtrictâ cenſurâ ſilentium, quod utique dominica die poſt veſperum, cibumque ſolventes, habebant invicem uſque ad completionem officii loquendi facultatem. Nudis præterea pedibus in cella jugiter morabantur. Referebat autem ipſe Dominicus, quia cùm cohabitaret Anſoni, religioſo videlicet Viro, quotidie per omnes horas canonicas diſciplinam ſibimet invicem ſcoparum ictibus ingerebant. Qui ſcilicet Anſo Eremita aliquandò conqueſtus eſt, quòd novem diarias panis penſas ſimul in ventre haberet. Tanta quippè macerabantur inediâ, ut aridus panis conſtiparetur in ilibus, & digeri difficillimè potuit.

Illic etiam quidam frater erat, qui ſæpè vagabundus egredi de cella tentaverat, quem Joannes Prior Eremi, prout dignum erat, priùs auſterè corripuit, deinde in ſua præſentia vapulare præcepit, cumque jubente Magiſtro, ſe cœpiſſet induere, ſuperbè locutus eſt. Quem rurſus Magiſter exui, & denuò percuti præcepit. Sed iteratò ſe veſtire incipiens, ſuperbum quid efflare non ceſſavit. Sic tertiò, ſic quartò, & ſi rite teneo (*inquit Petrus Dam.*) uſque ſexies verberatus eſt, necdum tamen emendatus. Exutus enim & reindutus, humilia reſpondere non potuit. Septima verò vice flagellatus, cum ſe cœpiſſet induere, clara cœpit voce clamare, dicens: *ecce Diabolus abijt, ecce nequiſſimus mei cordis habitator aufugit, meque nexibus, quibus conſtringebar, perfractis liberum reliquit. Jam jam Domino, & Magiſtro meo libenter obtempero, ejusque me ſubdendum legibus per omnia repromitto.* Hoc modo frater ille ad humilitatis cuſtodiam redijt, & in cellula jugiter perſeverans de cætero irreprehenſibilis vixit.

Dominicus fit Beati Petri Damiani Discipulus.

LOngè verò post Magistrô præbente consensum (*sic de se loquens B. Petrus Damiani*) dignatus est prædictus Vir sanctus mihi misero, & quem suscipere dignaretur, indigno, mira se prorsus humilitate committere, & sicut Abbati se Monachum subjugare. Cui nimirùm præstitit, non accepit. Et quem susceperam velut in subjectione clientem, gaudeo me in schola Christi verè Philosophum percepisse & Doctorem. Tota quippè Vita ejus prædicatio, & ædificatio, doctrina erat, & disciplina. Sed quia nos nonnulla hujus sancti Viri dicta & facta jam variis locis inserta apposuimus, hìc ea solùm, quæ lectoris ædificationi profutura sint, referemus.

Dominicus ferrea ad carnem lorica indutus.

IN Epistola itaque ad Domnum Teusonem inclusum missa (*suum Magistrum loquentem intellige*) hoc me scripsisse reperio; *sed cur ego sanctos commemorando viros diversa passim loca perlustro, quandoquidem intra limen, & præ manibus teneo, ad cujus dignè efferenda præconia impar viribus non assurgo. Certe cellulis altrinsecùs constitutis, solo Basilicæ mediantis interstitio, ego illeque dividimur. Cujus si virtutibus enumerandis invigilo, ante dies elabitur, quàm scribendi materia deficere posse videatur. Dominicum dico Doctorem videlicet, & Dominum meum, cujus quidem lingua rudis est, sed Vita artificiosa satis, & exemplaris.* Quæ sanè Vita satis utiliùs ad ædificationem vivis operibus prædicat,

dicat, quàm ſterilis quorundam lingua, quæ accurata phaleratæ urbanitatis verba inaniter trutinat. Longo jam elabente annorum curriculo, ferrea ad carnem lorica præcinctus, infœderabilem pugnam malignis Spiritibus indixit, ſemperque paratus ad prælium, non ſolùm corde, ſed & corpore præmunito adverſus hoſtiles acies fervidus bellator incedit. Hanc autem continuæ Vitæ conſuetudinem indiferenter tenet, ut vix dies ulla prætereat, quin duo pſalteria modulando, utraque manu ſcopis armata nudum corpus allidat: & hoc remiſſiori quidem tempore. Nam quadrageſimalibus circulis. ſive cùm pœnitentiam peragendam habet (crebrò enim pœnitentiam centum annorum ſuſcipit) tunc per dies ſingulos, dum ſe ſcoparum tunſionibus afficit, ut minus tria pſalteria meditando perſolvit. Centum autem annorum pœnitentia, ſicut ipſo auctore didicimus, ſic expletur. Porrò cum tria ſcoparum millia unum pœnitentiæ annum apud nos regulariter expleant, decem autem pſalmorum modulatio, ut ſæpè probatum eſt, mille ſcopas admittat, dum centum quinquaginta pſalmis conſtare pſalterium non ambigitur, quinquè annorum pœnitentia in unius pſalterij diſciplina rectæ ſupputantibus invenitur. Sed ſive quinque vices ducas, ſive viginti quinquies, centum faciunt. Conſequitur ergo, ut qui viginti pſalteria cum diſciplina decantat, centum annorum pœnitentiam ſe peregiſſe confidat. Quanquàm & in hoc pleroſque noſter Dominicus ſuperet, quia cum nonnulli unam manum in diſciplinis agendis exerceant, iſte, ut revera Benjamin filius, contra rebelles carnis illecebras utraque manu infatigabiliter pugnat. Hanc autem centum annorum pœnitentiam, ut mihi ipſe profeſſus eſt, facile ſex diebus ex more conſummat. Memini quoque; quia cujusdam Quadrageſimæ immi-

imminentis initio mille annos imponi sibi per nos ad pœnitentiam petiit, quos certe omnes ferme antequàm jejunii tempus transigeretur, explevit.

Nunc ad Dominicum, de quo cœperat sermo recurrat. Enim verò cum hunc jam ipsa senectus deprimat, & crebris insuper languoribus contabescat, mirum unde illi tantus fervor incandeat, ut in spiritualibus exercitiis se semper invictum, semper infatigabilem reddat. Nam ut ipso referente cognovi, sæpè duo psalteria cum disciplinis stando continuat; ita ut neque interim sedeat, neque vel ad momentum à percussionibus incredibili mentis fervore quiescat. Inquirenti mihi aliquando, utrum possit cum ferreæ vestis pondere aliquantisper genuum flexionibus insudare, sub hac mihi dedit obscuritate responsum: *cum incolumitas mihi, inquit, votiva respondet, quandoque per omnes totius psalterii quindenos psalmos centies genua flectere consuevi.* Quod quidem tunc non adeò diligenter attendi, postmodùm verò quod dictum fuerat; mente revolvens, à debili homine mille metaneas in uno psalterio fieri, admiratus expavi. Quadam die post vesperam, cellulam meam ingressus, Magister inquit (hoc enim indigno vocabulo me ex humilitate compellat) hodie feci, quod hactenus fecisse me non memini, octo nempe psalteria inter diem & noctem modulatus explevi. Videbatur autem tunc totus vultus ejus ita scopis attritus, ac sulcantibus quibusdam vibicibus livefactus, tanquàm si pila fuerit ptisanarum more contusus. Psalmodia sane illi idcirco tam facilè provenit, quia non tam verba, ut ipse asserit, lingua perstrepente revolvit, quàm sensum mentis vivacitate percurrit.

Lau-

Lautior cibus ejus panis cum feniculo.

ALiquando à me remotus habitabat, cumque ad me ingressum, quibus tunc se vitæ legibus regeret, percontatus fuissem: respondit se carnaliter vivere, & quintis semper feriis cum dominicis diebus à solito se abstinentiæ rigore laxare. Requisitus utrum quolibet pulmento, ovis vel caseo vesceretur, negavit. Rursus si piscibus, aut pomis; pisces, ait, & poma, si qua sunt ægrotantibus præbeo, quorum non minimam multitudinem jacere in nostris partibus ingemisco. Cumque illum durus exactor in angusto concluderem, dicens: unde ergo illis diebus remissiùs vivis, si nihil eorum comedis, vel necesse sit vel ignibus decoqui, vel in arboribus inveniri? Respondit: Feniculo, inquiens, cum pane libenter vescor. Mox ego peritè cognovi, quàm carnaliter viveret homo, qui suas delicias in Feniculo constituisset. Habet plane uberem lachrymarum gratiam, sed alternam. Cùm reclusus sub districto se silentio reprimit, mox ut voluerit, affluenter plangit. At si colloquio frequentetur, fletum se amisisse conqueritur: nam & ego illi sæpè penuriam meæ ariditatis impropero, dicens: Heu, inquàm, mi Pater, istæ tuæ lachrymæ infœcundæ sunt, quæ alias orando lachrymas parere nequeunt. Optarem namque, quod consequens est, nimirum ut sicut tu mihi pater es; ita & tuæ lachrymæ, mearum lachrymarum fierent genitrices.

In regula quoque Eremitica hoc inseruisse me recolo. Dicam. Sed quis scit, utrum fides assertioni fidelissimæ præbeatur? At parvipendendum est, si humana, temeritas arguat, quem summa veritas falsitatis excusat. Est inter nos, qui

qui nonnunquàm uno die continuato cum nocte, novem psalteria meditando decurrat: & interim penè semper utraque manu scopis armata nudum corpus afficiat. Notandum autem, quia dùm hæc peragere satagit: nocte vel die dormire non vacat: sed aliquandò genua flectens, dùm caput in terra deponit, sic nudo repente somnus obrepit, quô solô contentus est. Hic mihi aliquandò fraterna familiaritate conquestus est: quia cùm novem sic psalteria sæpè modulando perficeret, ad decimum nunquàm potuerit pervenire.

In Epistola quoque, quam Blancæ Comitissæ direximus, hæc nos indidisse videmur: *utinam daretur tibi nunc Domnum meum videre Dominicum, qui quod imperitæ linguæ conamur officio, ipse te efficaciori luculentissimæ Vitæ doceret, & informaret exemplo.* Hic denique tribus jam circiter annorum lustris lorica ferrea vestitur ad carnem, duobus autem ferreis circulis in corpore cingitur, duobus item per brachiorum armos arctatur.

Duodecim psalteria continenter absolvit, virgis interim se cruentans.

SEd quia de illo in aliis jam opusculis varia, digessimus, nunc quod vix ante sex dies ad nos veniens retulit, proferamus. Ait itaque: contigit me nosse, quod scripseris, novem me uno die psalteria decantasse, cum corporalibus disciplinis. Quod certè cum audivi, tremefactus expavi, & conscientia remordente congemui. *Væ*, inquàm, *mihi ecce hoc de me, nesciente me, scriptum est; & tamen utrum hoc à me fieri potuisset, ignoro. Ergo rursus experiar, & an hoc implere potuerim, indubitanter agnoscam.* Quarta igitur feria me vesti-

vestibus exui, & armata scopis utraque manu, totam noctem ducendo pervigilem, psallere, ac me verberare non destiti, donec die altero, decursis duodecim ex more psalteriis, die tertiodecimo ad psalmum *Beati quorum*, usque reptavi. Porrò quod nobis durum sæpe videtur & asperum, quàm ille puerile deputet, ac despectum, unô doceamus exemplô. Frater quidam cum se scoparum ictibus nimis abhorreret atterere, atque ut ipse sibimet plagas inferret, gravissimum indicaret, tandem tamen Domini Dominici (*sic à proprio compellabatur Magistro*) crebris insistentis admonitionibus aquievit, ac per modulationem totius psalterii, & insuper quinquaginta psalmorum sibimet disciplinam propriis manibus inferre non cessavit.

Erat autem nox illa præcedens dominicam diem, & B. Michaëlis festivitatem. Cumque facto mane ad prædictum senem frater ille venisset, timensque ne de discretione redargueretur, cùm quod egerat, per ordinem retulisset, hac ille voce respondit: *Noli frater pusillanimis esse, vel pro hac tua quæ nunc est, infirmitate diffidere, potest enim te Deus ex imis ad altiora provehere, & hujus lacteolæ tuæ conversationis infantiam ad juvenilis roboris incrementa firmare.* Et adjiciens ait: *nos etiam primo pedetentim cœpimus, sensimque ad quod nos Divina pietas perducere voluit, licet imbecilles, ac fragiles perducti sumus.* Sicque factum est, ut non eum de immoderato fervore, sicut ille timebat, argueret, sed ne desperationi succumberet, tanquàm qui minimum quid egerit, animum resoveret. Hujus itaque sancti senis exemplo faciendæ disciplinæ mos adeo in Italia inolevit, ut non modò Viri, sed & Nobiles mulieres hoc purgatorii genus inhianter arriperent. Nam & Relicta Theobaldi, sublimis utique generis, & non infimæ Dignitatis, mihi aliquandò retulit, per præfixam hu-

jus disciplinæ regulam centum annorum se pœnitentiam peregisse.

In Epistola etiam ad Joannem Priorem Eremi, quæ juxta Suavicinum montem est constituta, cùm eum, ejusque subjectos ad extensionem brachiorum in orationibus exhortatoriè provocarem, dixi prius de quodam ferventissimo in amore Christi fratre nostro, Adam nomine, deinde Dominicum in exemplo subjeci, ita inquiens: habemus autem quendam juvenculum fratrem, qui mihi confessus est à capite usque ad finem psalterii elevata se brachia tenere, dum psallit, ita ut laquear tabulatum cellulæ manibus sæpe contingat. Hac tamen discretione servata, ut per quinquagenos psalmos ad momentum brachia remissa deponat, & protinus erigat. Habemus & alterum provectiorit ætatis, extenuatum videlicet senem, & ut tibi secretè confitear, hic Dominicus est. Is igitur quandam scriptiunculam reperit, ubi continebatur: quia si quis duodecim illic notatos psalmos vicies quater, erectis in modum crucis brachiis caneret; pro uno posset anno pœnitentiæ regulariter satisfacere. Protinus ille in exercitium id quod innuebatur, arripuit, & duodecim illos psalmos extensis in modum crucis brachiis, sicut dictum est, viginti sex vicibus sub nullo prorsus intervallo, sed uno ductu quotidie decantabat. Enim verò quasi quidam divinus ignis in ejus pectore jugiter æstuabat, qui nunquàm permittebat eum à spiritualis exercitii labore quiescere. Aliquandò namque cùm ego perquirerem sacrosancto die Paschali cæteris fratribus juxta morem, meridie quiescentibus, utrum & ipse dormisset, ait: Certè, Pater dixi in corde meo; quid mihi tam longis adhuc noctibus in die dormire. Extensis itaque in crucis effigiem brachiis, Psalterium cœpi, quô me sic

stante

ſtante decurſo, ſignum protinus horæ nonæ perſonuit. Hoc itaque modo junxi victoriam crucis cum gloria Reſurrectionis. Aliquando cum de quotidianis, ut mos eſt, invicem confabularemur operibus, ait: hac etiam nocte, quid mihi contigerit, manifeſto. Nam dum ſolutus ſopore ſurrexi, mox brachiis in modum crucis extenſis, Pſalterium cœpi, cumque pſalmis omnibus & canticis, quæ ſequuntur, hymniſque decurſis, eo loci jam eſſem, ut ſolo Catholicæ Fidei pſalmo, & Litaniis deberem cuncta concludere, accidit in mentem, ut interim iſta dimitterem, ac pro defunctis pſalterium decantarem. Igitur brachia non deponens, ad Defunctorum pſalterium tranſii, quod juxta morem per quinquagenos pſalmos trifaria lectionum interpolatione diſtinxi. Quo ſic expleto, ad id protinus quod omiſeram, redii: atque hoc, quod de primo pſalterio reliquum erat, explevi. Cumque de tertio conſequenter aggrediendo Pſalterio cogitarem, repente ſignum nocturnæ ſynaxis inſonuit, quod me depoſitis ulnis, officium cum fratribus celebrare, coegit. Et hoc factum eo anni tempore, quo noctes breviores erant.

Dominicus ſcutica ſe flagellat.

ALiquot porrò ante obitum annis, quaſi novum ſupplicii genus inveniens, virgarum ſcopas in corigiarum ſcuticas vertit, ſemelque guſtatô, quia duriores ſunt, in his verberandi ſe conſuetudinem poſuit. Hoc flagellum, ſi quandò egrederetur ex Eremo, portabat in ſinu, ut ubicunque eum jacere contingeret, à verberibus non vacaret. Aliquandò verò cum loci occaſio non permitteret, ut totum ſe poſſet exuere, per crura ſaltem & femora, per ca-

put atque cervicem se non cessabat affligere. Circulis quoque ferreis quatuor, quia sibimet præ longa consuetudine quasi jam viluerant, quatuor item superaddidit, ut duobus in coxis, duobus consequenter in cruribus stringeretur. Enim verò loricas, quibus utebatur tanquàm cilicia, vel lanea quælibet indumenta, post menses, sive post spatium prolixius abluebat, ut rubiginem deponerent, & aridis ingerendam membris eredinem non haberent. Porrò cùm omnes qui in cellulis habitamus in id nitamur, ut pro muniendis à frigore pedibus vestimenta usque ad imum defluant pavimentum, hoc etiam ipsi superfluum videbatur, quia cùm in Eremo semper & ocreas nesciret, & calceos, vestes tamen ejus ad tibias vix medias descendebant. Nudatus autem in Capitulo ad suscipiendam disciplinam, quod omittere nunquàm volebat, exesis jejunio membris, & hamatæ loricæ mole detritis æthiopicam contraxisse nigredinem videbatur. Vestimenta verò lacera, videbantur vetustate consumpta. Hoc mihi sæpè dicebat: in hoc psalmodia provenit cito psallenti, si cor ad verba inclinatum habeat, ut quod lingua loquitur mens veraciter comprehendat: alioquin si cor vagatur, psalmorum cursus ad finem, nunc lingua fallente, nunc tepescente, tardè perducitur. Ajebat etiam, *quia somnus somnum adescat, & vigiliæ vigilias pariunt.* Nam corpus humanum, in quo paulatim prius enutritur, in hoc per incrementa postmodùm roboratur.

Sed hic me quispiam fortasse redarguet, qui videlicet; non tam quem vivendi ordinem Vir sanctus habuerit, sed quibus miraculis in hac Vita claruerit, audire festinat. Cui me breviter hoc respondere sufficiat: quoniam & Maria & Joannes Baptista miraculum fecisse non leguntur, cum tamen eorum Vita, non qualibet scripturâ, sed Evangelio testante,

stante,

ſtante, narretur. Quanquam Maria in ſolo, partu quem edidit omnium proculdubio ſanctorum Virtutes ac ſigna præcellit. Hoc etiam inferam, quia uberiorem fructum præbet audientibus ſanctorum Virorum mirabilis Vita, quam oſtenſa miracula. Illa ſiquidem exigit imitationem, iſta ſolùm ingerunt admirationem. Miracula docent quales illi ſancti fuerunt, Vita verò inſinuat, qualiter & nunc homines fieri valeant ſancti. Præterea qui Miraculum quæris, nonne tibi videtur eſſe mirabile, hominem fragili adhuc carne circumdatum, ut ita loquar, Angelitùs vivere, adeò ut inter quamplurima hominum millia vix unum ei ſimilem valeas reperire. Et certè quàm plurimi hodie quoque ſunt inferioris Vitæ, per quos Deus omnipotens dignatur virtutes oſtendere.

Jeſu teſte, non mentior, quia necdum tres menſes elapſi ſunt, ex quo ad me, in Gamuni videlicet Eremo diverſantem, duo adoleſcentes Monachi venerunt, quorum alter de ſpoletina Monarchia, alter verò de Venetiæ partibus, Polenſi videlicet Urbe, oriundos ſe eſſe dixerunt. Sed Venetus, vocabulo Michaël, ſicut nobis in confeſſione perhibuit, in ipſo ſuæ converſionis initio, circulo ſe ferreo ſub hac deſiderii ſui pactione conſtrinxit, rogans Dei omnipotentis obnixè clementiam, ut cum locum ſaluti ſuæ congruum reperiret, confeſtim ille circulus frangeretur. Porro ipſo die, quo Eremum novus hoſpes ingreſſus eſt, vix poſt trium horarum ſpatium, dum in B. Benedicti regula, licet eſſet idiota, utcunque ſyllabatim legeret, repente compunctionis eum Spiritus in lachrymas ſolvit, eodemque momento circulus ille fractus apparuit. Quod miraculum quoniam alibi jam nos deſcripſiſſe meminimus, celeriter transcurrentes, ſequens aliud, quod necdum literis inſertum eſt, enucleatiùs digeramus.

Beati

Beati Viri Dominici in domanda carne excessus.

PAulò namque post Ravennam Urbem, me jubente perrexit, ut reculas suas, atque sarcinulas, quas ibi de navi prodiens reliquerat, exportaret. Illic itaque apud fabriles officinas nova ferreorum nexuum armamenta confinxit, multisque se vinculis per diversa membra ipse sibimet judex, & reus violenter arctavit. Nam duo dependebant vincula cervicetenùs per humeros altrinsecus, hinc ad lumbos, illinc usque ad femur: duos verò à coxalibus circulos, duos suscepit in ulnis. Undique igitur tam multiplici constrictione vallatus, ad nos rediit secretè, quod circa se factum erat, ostendit: neve quod fecerat immutarem, vix tandem voti compos obtinuit. Sed cum hæc illum ultra vires tormenta gravarent, & ex attritis carnibus jam jam fætor erumperet, insuper accessit, quòd cor fratris gloriam respuentis acrius perturbavit. Cœpit enim hujus mysterii fama prorumpere, & prius per fratrum, deinde per ora supervenientium quorumlibet volitare. Rogavit itaque omnipotentis misericordiam, ut quid sibi super hoc cœpto placeret, per suæ Virtutis indicium evidenter ostenderet. Interim dum hujusmodi precibus frequenter insisteret, bis per somnium confortatus audivit: quia ferramenta illa jam essent divinitùs resoluta. Prouti in festivitate Beatorum Apostolorum Simonis, & Judæ, quam nuperrimè celebravimus, dùm nocturno cum fratribus interesset officio, duo illa ferramenta, quæ super humeros posita utrinque inferiùs dependebant, ventremque cum renibus coarctabant, prorsus effracta sunt: & unum in duas, alterum in tres divisum

visum partes. Cæteri verò circuli, non quidem per partes abrupti, sed ita laxati sunt, & quadam facti sunt mollita lenitate flexibiles, ut quodammodò non tam ferrei, quàm plumbei viderentur, adeò ut etiam si vellet defluentibus eis, ac pro labentibus astringere se, ultra non posset. *Sic igitur Frater, qui sanctæ devotionis æstuanti fuerat ardore constrictus, piô Dei judicio est mirabiliter absolutus.* Quid ergo magnum si per Dominicum, mirabilem scilicet Virum, signum aliquod Deus voluisset ostendere, cùm in ipso tyrocinij sui exordio per hunc juvenculum duo miracula dignatus est exhibere; cùm laudabiliùs esset fortia peregisse, quàm nova? Unde David cùm præmisisset: *Mirabilis Deus in sanctis suis* protinus addidit: *ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ.* Non ait signa, sive prodigia, sed ipse dabit virtutem & fortitudinem.

Præterea cùm Romanus quidam Stephanus nomine Judex sacri Palatii rem administraret Auximi, exigente causa, Dominicus ad eum venit, eumque super quadam Eremi possessione, quam ex jure sedis Apostolicæ detinebat, obnixè rogavit. Quem ille utpote nulla vestium compositione festivum, despiciens sprevit: eique nihil eorum, quæ poscebat, indulsit. Cumque sibi à circumstantibus diceretur: Noli eum tam durè excipere, sanctus enim Vir est. Ille tanquàm fel evomens ait: *Sit Sanctus, ut vultis: sed B. Petrus certè sanctior est, cujus ego causam in hac administratione defendo.* Igitur impos cœpti Dominicus ad cellulam rediit; ille quoque post paululùm reversus est Romam. Porrò puer quidam despicabilis, qui ad exequendum quodcunque negotium in administratione remansit, quidquid Dominicus petierat à judice, cuncta reverenter implevit. Judex autem postquam ad propria reversus est, hostilibus gladiis perfossus,

fossus, interiit: multasque divitias, quia sobolem non habebat, extraneis hæredibus dereliquit.

Erat præterea Dominicus valdè cautus in verbis, ut aptè sibi congrueret illa sententia, quâ Jacobus Apostolus ait: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est Vir.* Nam si quandoque etiam quereretur, quota diei hora esset, nunquàm absolutè dicebat, tota est, sed cum additamento semper, *propè tertia hora est*, *propè sexta hora est.* Inquisitus à me cur semper ita diceret: in hoc, inquit, mendacium caveo. Nam sive sit hora transacta, sive adhuc fortassis immineat, propinqua tamen est, quæ videlicet à momento, in quo loquimur, non elongatur.

Habebat aliquandò cellulam juxta Monasterium, quod dicitur Conjunctuli. In vigilia itaque Dominicæ Nativitatis, cùm tota præcedenti Quadragesima mansisset inclusus, tantisque jejuniis, atque laboribus esset vehementer afflictus, invitante gloria solemnitatis egressus, coram Abbate loci humiliter procidit, veniam petiit, actus suos & cogitationes lachrymabiliter accusavit. Ille autem ut erat juvenculus, levis moribûs, & consiliis Spiritualibus insuetus, cùm sibi sufficeret unum psalmum; vel per exiguum quid imponere, præcepit; ut pro his quæ confessus fuerat, triginta psalteria decantaret. Quâ nimirùm ille sententia velut sagitta percussus, ad cor rediit, atque hoc provenisse ex divini judicii dispositione deputavit. Itaque regressus in cellulam, nunquàm prodiit, donec præfixum indictæ pœnitentiæ canonem instantissima sedulitate persolvit.

Felix



Felix Beati Dominici excessus e Vita.

SOlebat autem per intervalla, licet parcissimè, vinum bibere, sed longè antequàm defunctus est, decrevit ab eo penitùs abstinere. Ut itaque jam omissis cæteris ad obitum veniamus, patiebatur gravedinem stomachi, crebris insuper capitis doloribus cruciabatur. Et quoniam alterum sæpe procedit ex altero, proposuit ad purgandum stomachum antidoti summere poculum. Sexta igitur feria per continuum diem vix desiit, vel modulandis psalmis insistere, vel corrigiarum ictibus se flagellare. Nocte verò sopore deposito, suscepit antidotum, deinde cœpit angustiari, & de stomachi dolore graviter conqueri. Post decursum itaque nocturnæ synaxis officium, post matutinos hymnos, cùm prima jam hora sibi à Fratribus qui aderant cantaretur, Sanctum Deo Spiritum reddidit. Invenerunt autem & alteram loricam, præter eam quâ indutus erat, lateribus ejus syndonis more substratam: unde suspicati sunt Fratres hoc sibi præter consuetudinem nullatenus accidisse, & quia se sub eam sanus tenere consueverat, super quam videlicet, & infirmitate jacebat.

Somniaverat autem tunc quidam Frater de me, *quòd oculorum lumen amiseram.* Quod dùm ego Hildebrando Venerabili Romanæ Ecclesiæ Archi-Diacono in Lateranensi Palatio retulissem: Nequaquàm, inquit, ut times, hoc tibi propinquæ est mortis indicium, sed familiaris tibi aliquis extinguetur, qui tibi & charus sit, sicut oculus, & lumen tuum, ac splendor in bonis operibus videatur. Et, ô verum, sed amariùs omni felle præsagium! tertio die postquàm Ro-

manis mœnibus ſum egreſſus, ecce mihi relatio crudelis occurrit, quæ mihi nihilominùs opinanti excæcatum me remanſiſſe perhibuit: Dominum ſcilicet, & illuminatorem meum Dominicum ex hoc ſæculo nuper egreſſum. Illicò mihi liquidò patuit, dum ille petiit lucis Auctorem, in tenebrarum me remanſiſſe caligine. Fratres autem corpus ejus, ne à vicinis Monachis eorum raperetur è manibus, in eadem, in qua defunctus eſt, cellula, defoſsâ humo, celeriter obruerunt. Nos autem ipſo die Dominico, quo Eremum ingreſſi ſumus, ſanctum Corpus inde ſublatum reverenter, ut dignum erat, in Capitulo ſepelivimus. Et cùm nonus eſſet depoſitionis ejus dies, prædictum Corpus ſanum illibatumque reperimus.

Eant nunc qui carnis ſuæ delectantur illecebris, medullas abſorbeant voluptatum, & occiſionis victimæ ad æternum nutriantur incendium. In ſuperbiæ ſe cornibus efferant, ventilent innocentes, ad votum molliter vivant, ut eorum viſcera poſtmodum pœnis ſemper ultricibus amareſcant. Nunc velut infrænes equi, per voluptatum ſuarum prata diſcurrant, ut poſt eorum manus & brachia diſtrictionis extremæ lora cohibeant. Dominicus autem noſter ſtigmata JESU portavit in corpore; & vexillum Crucis non tantùm in fronte depinxit, ſed cunctis etiam undique membris impreſſit. Exuſtus & aridus ab humore calami, & junci uberibus cœleſtis gratiæ meruit imbribus irrigari. Hîc ferreâ lorica præcingitur, illic niveis Angelicæ gloriæ veſtibus decoratur. Hìc duritiâ cubilis atteritur, illic molli Patriarcharum gremiô confovetur. Tota hæc vita facta eſt ſibi Paraſceve crucis, illic autem feſtivus & ſplendidus æternam celebrat gloriam reſurrectionis. Nunc inter ignitos ſupernæ Hieruſalem lapides emicat, nunc ornatus

tus victoriarum Suarum titulis æterna laude triumphat, atque in illa beatorum Civium jucunda societate conjubilat.

CAPUT XXVIII.

VITA Sancti Parisij Monachi Camaldulensis.

PArisius Bononiæ annô millesimô, centesimô quinquagesimô primô ex honestissimis, piisque Parentibus ortus, adhuc Infans divino spiritu adeò repletus est; ut cum in ætate quinque Annorum cuidam Mulieri, quæ prima elementa pueros docebat, operam daret; quadam die sitiens parùm aquæ ab ea expetiit. Cui illa indulgere volens; pretiosum poculum; sicuti eum, ut dulcissimum puerum amabat; Parisio obtulit: quod fortuitò ex manibus prolapsum cecidit, & comminutum est. Tunc ergo Magistra ejus fœmineo more in lachrymas prorumpente, Parisius Dei gratia actus fragmenta cunctis inspicientibus collegit, super quæ signô Crucis factô Poculum integrum magnô miraculô Magistræ restituit. Ea re divulgata, de Puello Parisio per totam Urbem magna excitata est opinio; quod in Virum Dei perfectum foret evasurus. Ille autem ætate, & gratia apud Deum, & homines crescens, ubi pueritiæ attigit annos, magna morum, & virtutum documenta præbuit, adeò ut vitiorum incentiva, quæ teneram ætatem inficere solent incredibili modo aversaretur, limina Basilicarum assiduè frequentans: & non nisi de spiritualibus sermonem faciens. Quin etiam inædiâ, ac vigiliis Corpus teneraque

membra ſic macerabat , ut nemini dubium fuerit eum ad Religionem natum. Duodennis itaque mundi inquinamenta devitans , ſoli Deo placere cupidus ad Sacram Camaldulenſem militiam, Cœnobium nempe S. Damiani convolavit. Illic autem in mutatione priſtini habitûs ante omnia ordinem Vitæ, Monachorumque gravitatem conſiderans, difficilè dicta eſt, quanta ſe adhuc Puer humilitate, patientiâ, obedientiâ, charitate, ac ſanctimonia comparaverit verum Dei Servum ; quàm creber fuerit in oratione, quàm cœleſtium bonorum deditus contemplationi, & quàm ſubinde, adoleſcente corpore , Dæmonum ſuperare tentationes, ac Carnis titillationes jejuniis, cilicio, & hoſtis profligatione laboraverit. Quò factum eſt , ut ipſius frugalitatis, ac Sanctimoniæ exemplis Cœnobii dignitatem plurimùm amplificaverit, univerſæ verò Religioni quaſi mellifera apis fuerit apprimè utilis, ac neceſſarius. Miſſus Tarviſium cum vix trigeſimum ingreſſus eſt annum commiſſum ſibi Sanctimonialium gregem adeò ſanctè , ac piè Monachicis inſtitutis informavit , locique amplificationi , ac ſplendori incubuit, ut Venerabiles Mulieres , quaſi Angelum Dei ſibi miſſum cælitùs cognoverint. Accepit Vir Venerabilis Pariſius in ea adminiſtratione, ut verè bonus, à Deo Spiritum Perfectionis, & Prophetiæ. Usque adeò , ut Angelicus Medicus oppreſſis à Cacodæmone, & variis morbis laborantibus deſtinatus è Cœlis videretur. Deploravit futurum Cœnobii excidium , & concionando omnes Urbis clades Tarviſino Populo vaticinatus eſt , quæ poſt ejus mortem variis temporibus contigêre. Accidit noviſſimis diebus, ut Albertus Reverendiſſimus Urbis Epiſcopus ; qui ad pedes Venerabilis Pariſii peccata diluere ſemper voluit , ob quasdam cruentas rixas, cui interfuerat , Romam à ſummo Ponti-

Pontifice ad dicendam causam evocaretur. Ille ergo, Episcopalem dignitatem perdere subveritus, Virum Dei cum mœrore consuluit, ut quid sibi agendum esset, disponeret. Cui Vir Sanctus, *ne trepides Reverendissime Pater, jussionem summi Sacerdotis exple, quia veniet tibi auxilium de Sancto, salvusque, atque incolumis ad gregis tui ovilia remeabis* Quod ipsum exitus ad unguem probavit. Inter miracula, quæ Deus meritis Servi sui, dum viveret, fecit, hæc ab ipso Episcopo prodita sunt memoriæ. Famulus suus quadam vice Vitem super arbore putans, fortuito casu in terram cecidit, atque crus fregit. Cum verò nullatenus posset resurgere, magno ejulatu auxilium de terra postulabat. Accurrit Vir Dei Parisius, ejusque casum miseratus orationem repente pro illius incolumitate ad Deum fudit, moxque tibiam signô Crucis consignans, pristinæ languentem Virum restituit Sanitati. Qui gratias Deo agens, alacer ad interceptum rediit opus. In Monasterio item Benuenuta quædam ex Sacris Virginibus per sex Annos gravi crucis dextri ariditate vexata, adeò, ut genu monstruosè curvum haberet, & pedis digitos contractos, meritis Beati Patris multùm confisa, sese ei summo cordis affectu commendavit, & pristinam consecuta sospitatem Monasterii officia exinde semper exercuit. Andreas de Piro (qui unus ex testibus juratis ejus Sanctitatis fuit) cum maximis sinistri brachii conficeretur doloribus, ad Virum Dei veniens, eum pro se orare, ac manu languentia Membra tangere, suppliciter est deprecatus; quod cum Vir sanctus fecisset, confestim omni liberatus infirmitate dedit laudem Deo. Puer quidam Faber lignarius podagrâ sævissimè laborans, nullô pactô gressum movere valebat. Ei Abrianus tunc insignis Medicus (qui pariter unus ex juratis testibus ejusdem sanctitatis fuit) cum

cum multis modis diu medicinam adhibuiſſet, nihil omnino profecit; is denique ad Virum Dei delatus, ex ſigno Crucis priſtinam conſecutus eſt ſanitatem. Anno 1267. poſtquàm Venerabilis Pater Pariſius Cœnobio S. Chriſtinæ ſeptuaginta ac ſeptem annos præfuerat, annum 116. agens, gravi laborans ſenio, ac corpuſculi exeſis membris, levi quadam adverſa valetudine cæpit laborare. Interea Puer quidam Feltrenſis contractis pedibus ad eum in lecto decumbentem delatus, altera die ſe incolumitati donatum gaviſus rediit ad propria. Poſt paucos dies Vir Dei febri abſumptus innumera multitudine circumſtante Animam glorioſam Virgo Deo reddidit die 11. Junii. Tùm deplorantibus cunctis Viri Dei tranſitum, & corpus piô more oſculantibus, placuit divinæ Bonitati ejus innocentiam patenti ſigno hujusmodi planam facere. Quidam enim hæreticus candelam ardentem in manu habens intulit. *Si is Sanctus eſt, manus mea, uti hæc candela ardeat.* Ecce repente ignis ejus manum invadit: tunc miſerum hominem excruciatum, mortisque terrore confectum pœnitet, omnes pro ſe orare ſupplicat, dansque laudem Deo, & Pariſio cunctis præſentibus ſoſpes efficitur. Sacro corpore honorificentiſſimè ſepulturæ tradito, innumera Beneficia Populi conſecuti, Cœnobii mutato nomine, illud Sancti Pariſii usque ad hæc tempora ſemper denominaverunt. Ei autem divini honores decretô ipſius Alberti Reverendiſſimi Pontificis tributi ſunt. Hic Vir Pientiſſimus ejus miracula, in publicam formam diæceſano jure, præmiſſo teſtium juratorum proceſſu, qui ea viderant, redigenda curavit. Interea hæc leguntur, præter ſupra ſcripta. Donatus de S. Floriano Feltrenſis (qui unus fuit ex teſtibus) filium Bucca nomine, qui cadens, oculum turpiter attriverat, ad arcam Beati Pariſii adduxit,

adduxit, votoque emisso frumentum ad pondus nati offerendi, eum extemplò sanum factum domum reduxit.

Tranquillina Albertini incurabili infirmitate agitata in pede dextro, adeò, ut nec die, nec nocte quiescere posset: monita per visum se ad sepulchrum S. Parisii conferre, baculo innixa iter arripuit, & statim se in corpore nullam læsionem habere, gratias agens Deo, persensit.

Puella mendicans manum stupidam habens, factô votô ad Corpus B. Parisii sanitatem repente recepit.

Cum Puella germana, & alia Mulier cæcitate oculorum laborantes, ad Altare venissent, & Deum adorâssent, ambæ maximo omnium stupore oculorum visum recepêre.

Alia item Puella Veronensis, quæ oculorum beneficio carebat, audita forma miraculorum B. Parisii, ad ejus corpus veniens, voti compos effecta cum gaudio remeavit ad propria.

Agnes Marchesinæ de Parochia S. Agnetis Venetiarum, aposthemate se manum amittere videns, cum Matre ad Mausolæum Beati Parisii veniens libera ad lacunas rediit.

Venetus item alius Nobilissimus Vir cum Uxore gravissima infirmitate illa, quæ vulgo vermis carnis dicitur, circum guttura corrodebatur: itaque votô ad Sanctum Parisium factô, uterque ab eo morbo liberatus est, & Dei in Sanctis suis magnalia celebravit.

Mulier Germanica à dæmone vexabatur, cum hanc Exorcistæ Sacerdotes de more liberare operam navarent, clamabat per os dæmon, se non nisi in Parisio egressurum, consanguinei ergo Parisiorum Urbis Galliæ pro ejus salute iter ineuntes, in Forumjulii regionem descendunt. Ubi auditâ æquivoci Parisii famâ, dæmonisque mendacium

cogni-

cognitum habentes, in die natalis Viri Dei ad ejus corpus dæmoniacam præſentant, eamque magnis dæmonis cruciatibus in conſpectu omnium liberam recipiunt.

Quædam Navis ab Alexandria veniens, horridam patiebatur Maris tempeſtatem. Erat in ea homo Beato Pariſio devotus, qui Deo ejus meritis ſuam ſalutem devotiſſime commendabat. Is cum alios qui navi vehebantur ad idem faciendum hortaretur, mox omnis procella placatur, & navis licet ventis quaſſata ſecurum portum tenuit.

Angelus Bergomas Monachus gubernationi Monaſterii Suffectus, Tarviſium per Terrarium equo vectus veniens, cuidam Amico in via dexteram dare volens in cautus cum equo in flumen retrorſum cecidit; is cum jam prope mergeretur B. Pariſium invocavit: nec mora ad rippam delatus ab accurrentibus hominibus in cauponam proximam ſemi animis aſportatur. Interea verò dum accitur Sacerdos, qui ei Sacramenta adminiſtret, compos voti factus, & ſoſpes reſumpto itinere ad Cænobium venit.

His acceſſerunt innumera alia miracula, quæ in dies innovantur, ut omnibus Tarviſii notum eſt. Anno 1357. Beati Pariſii vaticinia ſic expleta ſunt, ut fervente Tarviſina regione bello, ſenatus tuendæ, ac muniendæ Urbis gratia Cænobium S. Chriſtinæ humo æquaverit. Tantoque impetu negotium confectum eſt, ut vix ſacris Virginibus facultas ſe in Urbem recipiendi data ſit, quin etiam Venerabile Beati Pariſii corpus in arca non ſine gravi jactura ex mœnibus receptum cum maximè propterea exagitaretur ab his, qui illud excipiebant, ex integro in cineres, & oſſium reliquias majori ex parte comminutum eſt. Tandem pacatis rebus condito Templo, Ara Beato Pariſio erecta eſt, ubi ejus Corpus ab incolis ſumma colitur veneratione: ad quod

quod DEUS Optimus maximus multa Beneficia Fidelibus ſuis nunquàm ceſſat impertiri. Ejus ſacræ Turri campana ineſt, quam S. Pariſius conflandam curavit, quæ miris modis adeò turbines, atroſque nimbos ſemper fugare viſa eſt, ut Tarviſina Civitas ſemper, dum pulſatur, ſe meritis B. Pariſii in tuto eſſe nîl ambigere ſoleat.



CAPUT XXIX.

VITA S. Alberti Eremitæ Camal.

CIrca annum 1143. tanquàm aurora initiare diem, Ordinem Camaldulenſem illuſtrare viſus eſt Albertus Eremita Sanctiſſimus, quòd ex ejus Vita clariùs innoteſcet. Albertus igitur in Oppido Montis Alceti, quod in Regione Aſciani agri Senenſis ſitum eſt, ex honeſtis, piiſque Parentibus ortum duxit, quem dum Mater adhuc geſtaret in alvo, viſa eſt videre in ſomnis, quaſi Solem, & Lunam in ſuum gremium deſcendiſſe, quod prodigium dum tremebunda Cognatis, ac vicinis retuliſſet: gloriari mox cœpit, quod fœtum ſine aliqua ponderis moleſtia portaret, quæ res occaſionem vaticinandi multis præbuit: quod felix Mater maſculam eſſet paritura prolem, quæ & Angelicam, veluti Sol, & humanam, quaſi luna, illuſtraturus foret creaturam, ſumma videlicet ſuæ ipſius Vitæ innocentia. Nec vanum hujuſmodi fuit vaticinium. Natus quippe infantulus, nonniſi certis horis lac ſugere velle primùm cœpit, deinde ablactatus & in pueritiam vergens, tribus diebus in hebdomada jejunium ſervàns miro modo ſollicitus erat, ut pauperes alerentur ex cibo, quo ipſe veſci debuerat; timo-

 ri

ri Dei, pietati, & ſimplicitati maximopere deditus. Ubi verò exceſſit puerilibus annis, compertum habens, quod Vita hominis nîl aliud eſt, quam quædam peregrinatio ſuper terram: haud ſegnis de domo, ac cognatione egredi feſtinavit, & ad limina Sanctorum Apoſtolorum profectus, exinde Baſilicam S. Michaëlis Gargani Apuliæ adivit, exinde Venetias ad navigavit: viſitatoque ibi corpore S. Marci Evangeliſtæ, ad loca terræ ſanctæ usque navigio penetravit. Porro veneratus ibi ſacroſanctum Chriſti ſepulchrum, tanta ſpirituali dulcedine affectus eſt, ut curſum Vitæ in Dei ſervitio tranſigere voto firmaverit, abdicato ſæculo. Peregrinatus ſimiliter ad Divi Jacobi in Compoſtella, columba ſuper humerum ejus dextrum non ſemel advolare viſa eſt, quæ roſtrum auriculæ ejus imprimeret, ad inſinuandum nimirum, Beatum Albertum columbina ſimplicitate præditum animam Deo tanta puritate mentis conſervaviſſe; ut Deus illum tanquam ſimplicem, integrumque Vitæ ſervum proſequeretur cœleſti gratia. Reverſus deindeDomum, ſtatuensque Eremiticum propoſitum arripere: oportunè ei affuit S. Anſelmus Camaldulenſis Eremita; Albertus enim ejus januam hoſpes nemine indicante ſubintrans, hæc profatus eſt verba. *Hæc domus eſt, in qua me hoſpitari oportet.* Subdens ſe ex aſſertione cujusdam S. Anachoretæ (cum reverteretur à Baſilica D. Jacobi) merita S. Anſelmi veri ſervi Dei cognoviſſe. Tradidit ergo illi S. Anſelmus ſanctæ Religionis habitum, ex eoque die domus S. Alberti in ſacrum contubernium verſa. Habitavit cum ipſo S. Anſelmus aliquot dies, duriter ſe flagellô nocturnis horis verberans, quo exemplo B. Albertus ſic corpus cedere, ſic in ſervitutem redigere, jejuniisque macerare ſtudebat, ut Diabolus eum à ſancto propoſito ſumma ope (ſuggerens illi varias fæminarum

rum

rum formas) per omnia tentationum genera illum infestans, revocare frequenter laboraverit. Sed explodebat Christi Athleta ictus oratione perpetua, Deique præventus gratia. Factus itidem Discipulus S. Guilielmi Monachi, qui fuerat Comes Pictaviæ, & Aquitaniæ Dux, ut Dæmonum ictus faciliùs retundere posset, & spiritum Carnis mortificare; cilicium induit, super nudam tellurem cubans, panem hordeacium in cibum accipiens, & dominica tantùm die vinum gustans. Cùm vero induxisset animum B. Albertus ex labore manuum suarum victum comparare, more Sanctorum Patrum Ægypti, operarius in agrum egredi cæpit, cum verò quadam die sitiens, parum aquæ ab uno ex cooperariis poposcisset, propinavit ille pateram aquæ ex urceo, quam cum Beatus Vir primis labris gustavisset, protinus inquit ad eum, cur me decipere voluisti? repentèque quod Vinum in eo esset, bibere recusavit. Accurrunt ergo singuli, qui aderant, & viritim ad pateram bibentes, Vinumque esse comperientes, miraculum cognitum habent, Virique Dei virtutem, & bonitatem universæ Regioni prædicant. Tunc cum populi catervatim eum videre, & alloqui festinarent undique confluentes, ille nimiam frequentiam vitare volens, atque Deo in solitudine famulari, per invia nemorum & montium locum ad habitandum idoneum diu fatigatus quærebat: denique ad Montem, qui turicella dicitur, cum Grifolo nepote rediens, ubi nemo habitare audebat propter Ventorum vim, cacumina fagum assiduè concutientium, ibi loci Cellam ædificare aggressus est. Benedixitque Deus loco per adventum servi sui, adeò, ut imposterum ventorum asperitas à quoquam audita non sit. Emerserat discordia per eos dies inter municipes Asciani, oppidanosque Montis Alceti; cujus causa pars alteri parti insidias, maleficiaque

 molie-

moliebatur. Contigit autem ut Beatus Albertus ad Cellæ ædificium visendum sub crepusculum procedens, in prædones inciderit, qui è vestigio de insidiis prorumpentes, nec Virum Dei tangere audentes, Grifolum cæpêre, ut pecunias ab ipso extorquerent. Quod ubi Pater Grifoli audivit, graviter contra Beatum Albertum commotus est, quod ejus causa damni extitisset, sed postero die Grifolus de manibus prædonum elapsus, incolumisque domum reversus, Patrem inveniens Virum sanctum adhuc maledictis lacerantem, eum verbis graviter castigavit, innocentiamque Viri sancti prædicans, illi Deum magnificandi occasionem præbuit: cujus munere per merita Viri sancti, quasi invisibilis aufugisset. Continuato opere Cellæ, duodecim operarii fodiendis lapidibus incumbebant, hi aquam defecisse ad bibendum lamentabantur, quod audiens Vir sanctus, vasculum Vini illis tradidit, quod sibi dono missum eodem die fuerat, quod cum Operarii parvæ mensuræ esse conspexissent, invicem dicebant, quid hoc inter tantos? quibus summite, inquit, Vir sanctus, potens est enim Deus ex illo nobis sitim extinguere. Biberunt ergo singuli semel, ac pluries, & vix Vesperi vasculum evacuare valuerunt, ex miraculo Deo gratias agentes. Perfecta igitur supra memorata cella, habitavit in ea Vir sanctus septem ac viginti annos, perpetuæ Orationi, ac Cœlestium philosophiæ jugiter intentus, tantumque profecit in Dei servitio, ut neminem Eremitarum per eos dies ferventiore Spiritu cum Deo ambulâsse creditum sit, ex miraculis, quæ Deus per illum patrare dignatus est. Egressus aliquandò S. Albertus ad colendum agrum, leporem fortuitò invenit, non aufugit animal aliàs natura pavidum, sed tanquàm domesticum se à Viro sancto capi permisit; petentibus animal cooperariis respon-

ſpondit ſanctus, quæ nos minimè læſit, nec à nobis lædenda eſt fratres: nec mora feram liberam dimittit, quam cum venatores poſtmodum canibus perſequerentur, lepus ad Virum ſanctum recurrens, protinus in ejus tunicæ manica (in quo habitu Pater ſanctus depingi ſolet) ſe ſe abſcondit, donec illis recedentibus, ſecura ad latibulum redire juſſa eſt. Legitur non diſſimile miraculum de avicula candida; quæ ad cellulæ feneſtram in ejus manus frequenter volare viſa fuit. Erat in Regione eadem Comes dives opum cognomento Caciacomes, is periculoſiſſima febri laborans, & medicorum opera diutiùs fruſtra multo impendio uſus, demum ad ſanctum ſe deferri fecit, primoque congreſſu aquam ad bibendum propter febris æſtum propoſcit, cui cum Vir Dei parum aquæ tradidiſſet, æger, eâ guſtatâ, ſtatim recepit valetudinem. Is item cùm alio tempore propter ſterilitatem Uxoris Virum Dei adjiſſet, obnixè illum obſecrans orare Deum, ne opulenta hæreditas extraneo ferviret hæredi. Tunc blandè hortatus eſt illum S. Albertus, Dei miſericordiæ confidere, & ad Conjugem redire. Qui cum ex ea paulo poſt filium ſuſcepiſſet, adduxit illum ad Beatum Virum dicens. Ecce filius tuus Pater, qui etſi non de ſemine tuæ carnis, de merito tamen tuæ orationis progeneratus eſſe probatur. Ubertinus ſimiliter Comes qui Spadalonga cognomine dictus eſt, diutina quartana febri accerrimè vexatus, adeò ut medici de ejus ſalutè deſperâſſent, ad S. Albertum perductus, ſanitatem eodem modo recepit, annulumque aureum diſcedens, ſuper Altare reliquit. Comitiſſa loci, Uxor Comitis Barotæ, filium habens dilectiſſimum, qui fervida puſtula abſummebatur, uſa diutiſſimè variis unctionibus, cataplasmatibusque, ut Medici conſuluerunt; videns ſe necquidquam proficere, inaudivit, quòd mira

mira Deus per servum sum Albertum operetur, cur aliena, inquit, quæro medicamina, quæ potentissimum, efficacissimumque habeo in proximo curatorem? ad sanctumque cum filio profecta obortis lachrymis pro reportanda sanitate ipsius filii sese adire disponebat; cumque ad sanctum Albertum perventum esset, oravit pro illo Vir Dei, manumquè super plagam extendens, illico omnis morbus ab ægro dimotus est. Virgo quædam sacra in Hispania elaphantico morbo gravissimè percussa, adeò, ut scatentibus vermibus ex membris, nemo tabem putredinis ferre posset, in Siciliam ad navigavit, ut quæreret, qui sibi mederetur; cui cum nullus subveniret, ex Urbe Salerni ad sanctum Albertum cum una ancilla comite missa est, eadem die Comitissa quoque Barotæ visitatum venerat cum Tuscano Presbitero, ut pro afflicta Virgine preces offerret, tandem Comitissa, & ægra Virgo propter Deum obnixè Virum sanctum rogârunt. Tunc intulit sanctus Albertus. Dominus ipse per suam misericordiam, atque Beatorum Apôstolorum intercessionem hujus misereri dignetur. Deinde jussit Tuscanum Sacerdotem Missarum solemnia celebrare; qui dum Venerablem Eucharistiam summit, Virgo languens vim igneam per corporis membra discurrere sentit, adeo ut ossa sibi cremari extimescat, jam jamque repentè pristinæ sanitati se restitutam gratulatur. Dei laudes ad sydera tollens, appensaque in Oratorio imagini juxta mensuram corporis sui, residuum Vitæ apud Virum sanctum traducere voluisset, sed ille recusavit. Marianus Presbiter acutissima febri vexatus, voce ac sensu propemodum destituebatur: præstiterat is olim quædam obsequia sancto Alberto; unde domestici ad ipsum ægrum deferentes ajebant. Ecce Pater, quem amas, quàm miserabiliter crucietur. Tunc elevans super illum oculos,

culos, in oratorium ipſum poni jubet lachrymans, & flexis genibus pro illo orabat, ecce Marianus repente quaſi à ſomno gravi expergiſcitur, ſalvus aſſurgit, admirans quomodò illuc perveniſſet, ſuisque pedibus domum repetens benedixit Deo, poſt mortem verò ſancti Alberti, ad ejusdem ſepulchrum veniens, dum vixit, inde recedere noluit. Quidam item Bubulcus pagi Modioli, graviſſima affectus febri, dum ejus ſalus deſperabatur, voce qua poterat, aquam ſancti Alberti petebat, ejus auxilium propterea implorans: tunc miſſo Viro, qui aquam feſtinus adferret; æger interim ad extrema perductus eſt, adeò ut ridiculum omnibus videretur ampliùs pro ejus ſalute laborare, allata autem aqua, cæpit unus, qui majori fide præſtabat, undam per labia moribundi deſtillare; quæ ubi fauces attigit, æger in momento reſumptis Viribus (ſtupentibus cunctis) verba formare incipit, cibum poſtulat, & familiares, qui ſibi extrema parabant, repentino recuperatæ Vitæ afficit gaudio: ſimul Deo, ac ſancto Alberto gratias agens, interrogat domeſticos, unde allatum ſit vinum tantæ efficaciæ; cujus virtute à porta mortis, ad auras æthereas fuerit revocatus? quibus reſpondentibus hanc aquám S. Alberti fuiſſe non Vinum, & illo inſtante, Vinum eſſe, factum eſt ut haurientibus liquorem ex vaſculo, Vinum optimum in illo eſſe ab omnibus compertum ſit. Unde vas in Templo ad perpetuam rei memoriam eſt appenſum, Accidit non diſſimile miraculum in Monte Giſii, nam cum alius æger conſtitutus in extremis, aquam S. Alberti ad ſe deferendam rogavit, quam guſtans, mox ſoſpes redditus eſt: Deo, ſanctoque Alberto miris benedicens encomiis. Ex agro Aretii mulier quædam natam unicam, quæ cæca ab ortu erat, ad ſanctum Albertum ducens, miſericordiam Dei ſuper illam flagita-

gitabat, nîl hæsitans in fide: cui Vir sanctus manum suam imposuit, & protinus lucem recuperavit. Adductæ similiter ad eum alia puella, quæ muta erat, porrigens ei aquam de cella, ubi illa bibere cæpit, mox linguæ vinculum solvitur, ac Dei magnalia ex indè prædicantur. Mulier alia ex Oppido Memolianda, dum dormiret aperto ore sub dio, Serpens latenter in os ipsius ingressus est, quocirca infelicissima irreparabili absummebatur vulnere, membraque teterrimo tabescebant veneno. Cui ad se perductæ, præmissa Oratione, parum aquæ ad bibendum Vir sanctus porrexit, & statim serpens coram omnibus ab illa evomitur. In Monte alceto honestissima fæmina, unicum habebat filium, in quem tota Vitæ spes materno posita affectu erat, is adversa erat captus valetudine in tantùm, ut Vita eum relinquere festinaret, supra quam dici posset, nam vix amplius pectore palpitabat; tunc Genitrix gravissimo percussa doloris gladio, ad merita S. Alberti animum convertens, filium in ulnas acceptum per fenestram versùs domicilium S. Alberti extulit, proclamans. *Eja sancte Alberte Vir Dei, si hunc mihi filium morientem reddideris, tam ego, quam ille, in Dei servitio ob tui venerationem studebimus permanere:* quibus ennunciatis verbis, natus resumpsit Spiritum, & incolumitati donatus est. Mercatores quidam Vallis Urciæ Grossetum cum oneratis Bestiis proficiscebantur, horum unus, jumentum, quod de Via declinaverat, incautus amisit præcidendo, quod cum quæsitum retro venisset, nec usquàm comparere cerneret, commendans se sancto Alberto emisso voto, veniensque ad quoddam nemus, vidit illud in medio duorum luporum, illud tangere non audentium, quod tangere ex eò non præsumebant, quod sancto Alberto fuisset commendatum. Comes Montiscalceti Grifonem, quen-

dam

dam Grifonerium à sancto Geminiano injuste in vincula conjecerat, pecunias ab ipso extorsurus, qui cum se S. Alberto commendasset, visus est illum videre sibi dicentem: surge, & à vinculis absolutus liber discede, statimque fractis vinculis, ad januam carceris veniens, eam apertam offendit: murumque Oppidi altum, uti planum facillimè superans, per loca, quæ prius nullatenùs viderat, ad cellam S. Alberti sine indice pervenit, mirabilia Dei tollens ad sydera. Homo quidam ex agro Aretii, manum habens contractam, adeo ut digiti brachio adhærerent retorti, ad Virum sanctum perductus est, apprehendenteque illo manum, ejus manus continuò extensa est, & ad plenam integritatem reformata. Tunc clamitante Uxore, me miseram, quæ hactenùs propter hanc mariti mei calamitatem stypis quærendæ beneficiô fungebar. Miraculum amplius auctum est, energumenus quidam à maligno opprimebatur Spiritu, qui sanctitatem Alberti, per os puellæ dæmoniacæ priùs prædicabat; affirmans se cum multis sociis frequenter Viro sancto negotium facessivisse: licet in nullo tentationis genere contra illum prævalere potuerit. Porro idem ad sanctum Virum adductus statim à maximo Dæmonis cruciatu liberatus est. Impugnabatur assiduè Vir sanctus à Diabolo, unde proditum est, tantam luporum multitudinem ad ejus cellam non semel apparuisse, quæ totum montem occupare videretur. Tunc Vir Dei præmissis precibus contra fallacem turbam procedens, solo signo terrifico Crucis facto; cuncta Dæmonum evanescere fecit præstigia. Intravit olim in ejus cellam vastissimus serpens, qui trabalem excedere videbatur magnitudinem, quo viso monstro, sanctus, oculis in Cœlum erectis, constanti, atquè intrepido animo, quidnam sibi Bestia velit sciscitatur, qui cum servi Dei vul-

tum, & verba ferre non posset, præcipitem se se per declivia Montis tanto strepitu, ac ruina dedit, ut totusMons maximopere concuteretur. Transfiguratus rursus Diabolus in formosam mulierem, & latenter ejus cellam ingressus, asserens se viduam esse locupletem, & magna industria præditam subdens: *O si attendere velis, quanta nendi, texendique peritiâ præstem.* Tunc Vir sanctus dolum cognoscens, eam tumultuanter rejicit: instat illa eadem, & similia repetens verba, donec eo compellente tandem egressa, in tenues auras, quasi fumus evanuit. Sæpè per longum corporis cruciatum, instar S. P. Benedicti, inter urticas ac vepres sese conjiciens stimulum carnis reprimere studuit. Flagravit Vir sanctus desiderio incredibili bona omnia operari, ut appareret in conspectu Altissimi diligens Domini JESU servus, cui diceret Dominus: *Euge serve bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui:* fuit potissimùm salutis animarum avidissimus, hortans assiduè sæculares Mundi opes despicere, delitias carnis vitare, futilem Gloriam sæculi, & Dei timorem ab oculos jugiter habere, sic enim fieri posse prædicabat, ut quisque vel etiam imperitus Cœlesti, veraque Divina Philosophia imbuatur, quam Plato doctus nescivit, facundus Demosthenes ignoravit, & acutissimus Pythagoras non cognovit. Docebat autem omnes, non literarum paleas, sed grana Virtutum Christianis, præcipuè Religiosis esse colligenda, fugiendamque esse literam, quæ occidit, & eliciendum Spiritum, qui vivificat, quemadmodùm Schola Christi ostendit, non esse curandum, si paleæ deficiant, ubi grana palearum abundant; haud enim populus Christi se habere debet, sicut populus carnalis, qui Pharaoni apud Ægyptum in luto, atque lateribus servire compulsus est, sed virtutum inclytus possessor fieri debet, per quas, ut strenuus

nuus vitiorum, carnisque domitor, Jebusæum, Phereseum, & Ismaelitas expellere queat: quos non quiverunt expellere Israëlitæ. Ardebat pariter S. Albertus charitate proximi, quæ quidem longè emicuit, præter ea quæ dicta sunt, quando Elephantiaco cuidam ab eo quærenti, ubi habitationis locum inveniret, respondit Vir sanctus: *ego quidem nullum aliud habeo Frater habitaculum: Sed hanc quam ædificavi cellam, tua est, eam tibi libentissimè cedo:* quod & fecisset, nisi discipuli obstitissent: qui alibi illi contubernium providerunt. Simili modo cum Mendicus quidam ab illo Eleemosynam peteret, nec habens aliud, quàm melotem, qua tegebatur propter inclementiam hyemis, exuit eam festivè Vir Dei, sanctum Martinum imitatus, largaque pietate pauperem hominem ditavit. Voluisset sæpe numero S. Albertus quietioris Vitæ desiderio, ad imitationem sancti Hilarionis de Regione migrare, sed charitate urgente, semper ab hujusmodi proposito fuit revocatus, idque Divinæ Pietatis consiliô factum est: ut scilicet gens Provinciæ fera tanti Patroni auxilio non privaretur, quæ utique sub ejus auspiciis de spinis rosas carpere, & intra justitiæ limites sese continere assvescere cœpit. Quievit in Domino Vir sanctus, post vigesimum septimum annum, ex quo cellam sibi construxerat, ad septimum Idus Januarii inter Sanctos, magna Camaldulensium gloria, relatus.



CAPUT XXX.

VITA Sancti Theobaldi, Eremitae, & Monachi.

ORtus eſt Theobaldus Arnulfo Nobili Campaniæ in Gallia Comite, & Vuilla Matre, cujus conceptum, Theobaldus Epiſcopus Viennenſis Avunculus Aviæ, cum aliquando Neptem gravidam viſitatum veniſſet, Spiritu Sancto illuſtratus, his verbis prænunciavit. *Gaude generoſa Neptis, nam ex te prodibit Filia, quæ optimæ prolis Mater erit, quæ omnes noſtræ ſtyrpis conſanguineos vitæ ſanctimonia, virtutumque ſplendore longè anteibit, & apud DEUM & homines magna erit, & vocabitur.* Quod quidem præſagium, & à quadam muliere paupercula cenſu, ſed bonis operibus divite confirmatum eſt, quodammodo ſupra felicitatem partùs Matrum Ismaelis, Samſonis, Joſiæ, & Sancti Joannis Baptiſtæ, quorum utique conceptus in Matris cujusque partu, & non Aviæ fuit prænunciatus. Igitur natus, ablactatus, & educatus Theobaldus optimæ indolis Puer in Comitatu trecaſſino, Caſtro Priviniaco, ſtatim à Pueritia vaticinium implere cœpit. Quippe pietate Religionis totus fragrans, nil magis ſtudere viſus eſt, quàm præclaris omnibus virtutibus ſe totum ornatum comparare: nec minùs Nobilitatem Sanguinis undique præſeferre, quàm ad bonitatem & virtutem natus ab omnibus judicaretur. Captus intereà deſiderio ſerviendi Deo, ad quendam Venerabilem Eremitam proficiſcitur, qui in una, ex ſylvis ſequanæ habitabat, ut conſilium ab ipſo acciperet; cui reſpondit Eremita, *matura*

fili

fili exequere propositum, quod à DEO est, ipse enim tibi auxilium feret, & viam ostendet, qui dat nobis salus benevelle, & perficere: tunc Theobaldus domum reversus, coetaneum ex intimis familiaribus socium accipit, Oddonem nomine, ad eandem propositionem propensum, jam jamque deliberans, quomodò cum bona gratia à Parentibus discedere possit, & de domo sua, atque cognatione cum Abraham egredi: impetrat multis precibus à Patre, ut sibi in militiam Cæsaream proficisci liceat. Tandem accinctus balteo, equisq; ac famulis instructus cum socio memorato ad Urbem Remensem primùm venit, relictisque ibi nocturno tempore famulis, equis, & armis in certo hospitio, pedestri itinere ad interiora deserti loca penetravit. Ubi cum duobus inventis Peregrinis commutatis vestibus pro laceris, ac vilibus, inita Christi militia pervenerunt nudis pedibus ad locum, qui Pitingo dicitur in Regno Teutonicorum, ubi in parvo tugurio Eremiticæ vitæ rigorem instituentes, nunc lapidibus ferendis, nunc carbones ad opera fabrilia faciendo, vel alios subeundo labores, panem quæritabant, dum vacabat otium, post orationis atque meditationis studium. Abstinuit Theobaldus perpetuò ab omni carne, & pinguedine, omnibusque lautitiis, solo pane hordeaceo, vel herbis & aqua contentus. Quocirca difficile dictu est, quanta, & quam ardua prælia gessit cum hoste humani generis Diabolo: cujus ictus, & conatus Vir Dei jejuniis, abstinentia, cilicijque rigore viriliter retundere nunquàm defatigabatur. Vocatus autem à Deo in vincentinam Regionem, ut sua sancta conversatione Pollicinii gentes illustraret, prænunciavit primùm Discipulis, quatenùs ibi depositum sui Corporis esset relicturus. Cum verò in itinere defuissent omnia victûs necessaria, nec comparari possent, tunc miseratus Discipulos fame, ac siti defi-

deficere, oravit pronus ad Deum, ut famulis suis in tanta necessitate succurreret, & ecce expleta oratione, panis præparatus à Deo in via reperitur, ex quo cum omnes ad satietatem accepissent, adhuc reliquiæ superfuêre; tunc allato vase, quod pridie vino evacuatum fuerat, id quoque Divinitùs vino repletum apparet, quod cunctis ad potum copiose suffecit, similiter de reliquiis, tam panis quàm vini, peregrini plures, qui ad eum Mediolano venerant, audita ejus fama, refecti sunt: quæ tamen, tam sibi quam Fratribus per tres hebdomadas ad instar farinæ in domo viduæ tempore Eliæ, & lecythi olei nunquàm imminutæ sunt. Beatus igitur Theobaldus in Regionem Vincentinam cum advenisset, querens locum sanctæ Conversationi accommodum, à Petro Venerabili Abbate Vangadiciæ hospitio susceptus est, ibique sistere coactus Monastici Ordinis accepit consecrationem. Inciderat Oddo in gravem membrorum ægritudinem propter itineris incommoda, ficique morbo correptus febri ardentissima laborans, ferire sydera clamoribus non desinebat. Pro cujus salute, cum Theobaldus preces Deo obtulisset, recepit Oddo liberos artus neci jam proximos. Quod audiens Sacerdos, qui lumine oculorum orbatus erat, & ipse ad Virum Dei veniens, rogabat eum obnixè pro sua salute, qui mox ex manu illius manuum, optatum incolumitatis recepit donum: invidebat hostis antiquus Viri sancti profectibus, tentavitque quadam die illum in flumen præcipitare cum plaustro, quo secus rippam Athesis agebatur; sed Vir Dei signo salutiferæ Crucis factô, plaustrum in tutiorem partem verti à Deo impetravit; qua impulsi fama Populi ex finibus Veronæ, Patavii, Vincentiæ, ac Ferranæ sæpe infirmos ad Servum Dei deferebant; quorum omnium morborum stimulos

Deus

Deus propter ejus merita depellebat. Fugatis igitur ſemper viriliter hoſtibus, poſtremo Beatus Theobaldus, & corporis imbecillitate, & febri fractus, Petrum advocans Abbatem, Sacramentis ſuum tranſitum ritè munivit devotiſſimè, ex iſtoque miſerabili hoſpitio hujus vitæ feliciter ad Cœlos migravit kalendis Junii Anno ſalutis 1050. Cum vero aſſiduè miraculis corruſcaret ejus ſepulchrum Vincentini Corpus vi rapiunt, uti ex ejus translatione habetur, & juxta muros occulto in loco ſepeliunt. Cæterum Petrus Abbas, & Oddo Socius de jactura amiſſi theſauri triſtes, explorato loco, effoſſum ſacrum corpus intempeſtæ noctis ſilentio ad ſuum Monaſterium detulerunt; Idibus Julii. Jacet in Baſilica B. V. M. cujus translationis celebritas, quotannis cum immenſis laudibus Monachorum & Clericorum agitur.

CAPUT XXXI.

VITA Beati Euſebii Hiſpaniarum Legati.

EOdem Modo illuſtravit inter cæteros Camaldulenſem Religionem Beati Euſebii converſio, & converſatio ſanctiſſima. Pollebat Euſebius in Patria Nobilitate generis & dignitate, & in ſtudiis liberalibus apprimè exercebatur; unde miſſus à Philippo Regie Orator ad Principem atque Senatum Venetorum Anno Domini 1497. Venetiiſque morum trahens, contigit illum ad Cœnobium ſancti Michaëlis non ſemel venire: ibi quadam vice audiendo Miſſam, Cœleſti quadam Vocatione ad relinquendum Mundum invitatus, prin-

principio Abbatem rogat, ut sibi in Cœnobio hospitum aliquamdiu habitare liceat; interea Regi votum suum per Literas insinuat. Cæterum Rex lectis Literis, tantum Virum amittere nolens, illico novum Oratorem Ventias mittit, ad Eusebium scribens, ut quamprimùm in Hispaniam redeat, ubi multùm indigeret opera sua. Porro redditis Eusebio literis, iisque perlectis aliquamdiu dubius mansit, quid ageret. Tandem sancta resolutione Abbatem, & Monachos rogat sibi habitum sanctæ Conversationis tradere. Tunc vulgata fama, adiit eum Venetiarum Princeps, adiit Senatus omnis, adiit Natio Hispana, & omnes eum summa ope ab incæpto dimorere nituntur; verùm sicut *ubi vult Spiritus spirat, sic omnis bona ædificatio crescit in Domo Dei*: Eusebius enim superatis omnibus contrarius suasionibus, & habitum S. Romualdi accepit, & vota sanctæ Professionis emisit. Tanta autem se sanctimoniæ novitate, ac vera, & submissa Dei servitute illico à primo ingressu comparare cæpit, ut non solùm Monachis, sed toti Venetiæ innotuerit, & Hispaniæ, eum revera terrena calcare statuisse, ut consequeretur Cœlestia. Quo factum est, ut frequens concursus Nobilium, & magnorum Virorum propterea fuerit ad Cœnobium S. Michaelis, ingeminabant omnes, quòd Eusebius nîl præter Cœlestia profiteri, verbo, incessu, & sanctitatis exemplo studeret: si quando respondere magnis Viris à Superiore jubebatur, ita parcus erat sermone, ita demissis oculis id facere ut omnibus mirandam reverentiæ præberet excitationem. Datus tandem Juventuti Magister, tanta Charitate, patientia, cura atque sollicitudine partes suas implevit, ut pubes non minùs, ut Magistrum, quàm uti Patrem, eum timeret, & amaret; adeò illos assidua adhortationis prædicatione perurgebat semper reminisci, qualiter, qui se

Domini

Domini noſtri JESU Chriſti ſervituti ſpontè devovent, Angelica puritate, ſummaque Sanctimonia præſtare debent, ut quisque illi placere ſtudeat, cui ſe devovit. Nec ullus tranſibat dies, quin ipſe de lectione ſacroſancti Evangelii ad illos doctiſſimè Verba faceret. Ferunt ipſum præ humilitate Culinæ fungi voluiſſe aliquamdiu officio: nec ſemel vocatum linteo præcinctum ad Proceres, & alios Magnates, à quibus vocabatur, prodiiſſe, ſingulisque ſemper Monita Salutis commemorare incredibili animi dulcedine ſolitum fuiſſe. Item in quibusdam Diſputationibus tenaciſſimæ memoriæ talia exhibuit ſpecimina, ut creditum propterea ſit, neminem ſacræ Paginæ, Canonum, vel Doctorum Eccleſiæ Volumina tenacioris Memoriæ beneficiô, majorique ſtudio imbibere poſſe. Ad extremum, inedia, cilicio, oratione perpetua, meditatione, docendoque aſſiduè defatigatus nimium, Stomachique infirmitate oppreſſus accedente ſenſim febri, ſedecim integros dies lecto decubuit ab omni cibo abſtinens, & ſemper de Beatitudine, ac dulcedine Cœleſtis Patriæ ad Fratres Verba faciens: crucifixo verò, quem in manibus tenebat ſtrictum, tanta cordis jubilatione gratias agebat, quòd videlicet, de familia Domini JESU fieri meruiſſet, & ſub vexillo S. Patris Benedicti, & Romualdi militare ſub patrocinio S. Michaëlis Archangelorum Principis, ut flamma ignea ſuper Cœnobium venire è Cœlo, præſignans ardorem Mentis Viri ſancti, quem habuit à die converſionis ſemper in Deum erectum, quæ quidem flamma à tota Venetia viſa eſt, proque ſigno ſanctiſſimæ ejus Vitæ à Deo probatæ, judicata. Denique omnibus ſuſceptis Sacramentis, totus effuſus in lachrymas præ dulcedine Societatis Angelorum, manibusque in Cœlum erectis glorioſam animam Deo reddidit die 10. Febr. Anno 1501. ætatis Anno

 51. tu-

51. tumulato corpore in Templo effoſſa humo, cum multi multa beneficia ejus meritis conſequerentur, Nobilis Vir Hiſpanus amicus ejus Venerabile Corpus eductum in ſepulchro novo exciſo, condi reverendiſſimè fecit, ubi Epitaphium extat hujusmodi.

Lector parumper ſiſte, rem miram leges. *Hic Euſebii Hiſpani Monachi corpus ſitum eſt, Vir undequaque fuit doctiſſimus, noſtræque Vitæ exemplar admirabile. Morbo laborans, ſexdecim totos dies Edens, bibens nîl prorſus, & uſque ſuos monens Deum adiit hoc ſcires, volebam; abi & vale.*

CAPUT XXXII.

VITA B. Petri de Sardinia Monachi Camaldul.

PEtrus in Inſula Sardiniæ Urbe Octanenſi natus Patre Nicolao, adhærensque puer ibi Nicolao Epiſcopo Patrueli, cum ad religionem idoneus eſſe videretur, magis quàm ſæculo, & literis ab eo eruditus eſſet, ſacrisque initiatus. Erat pulcherrimus Juvenis aſpectu, vultu, ac Verbis amabilis, & qui ſtimulis Carnis, ut ea ſolet ætas, maximopere torqueretur. Unde cùm ſe tacitus frequenter reprehenderet, optimum factu eſſe duxit, ad loca Terræ ſanctæ proficiſci, ſi forre ex peregrinationis incommodis Spiritum carnis reprimere valeret, factus de ſalute mirum in modum ſollicitus. Igitur Venetias adnavigans, cum ibi loca celebriora luſtrâſſet, factum eſt, ut ad Cœnobium quoque S. Michaëlis, ejusque Venerabile Templum diverterit, ibique prandio cum aliis quibusdam peregrinis religioſis, à

Paulò

Paulo Venerio Abbate sit exceptus humanissimè. Ibi autem captus loci amœnitate, speculatusque Abbatis, & Monachorum gravitatem, religiosos mores, ardentem charitatem, & Templi sanctimoniam, repente se in intimis Cordis medullis jaculo amoris Cœlestis patriæ vulnerari persensit, adeò ut ex ea hora ad ineundam Camuldulensem militiam animum ardentissimè converterit, ibique omnino Collum Christi jugo subjicere disposuit, si hospes peregrinationem cœptam perficeret. Delatus igitur ad sanctum Christi sepulchrum prospera semper Navigatione, & ex ea incolumis eadem prosperitate Venetias regressus: recta ad sancti Michaëlis murani commigrat: votum suum Paulo Abbati communicat: seque in sacram militiam cooptari supplex implorat. Suscepto igitur candente habitu, vel à primis diebus tanta animi & corporis propensione, tanta humilitate Cœnobiticæ observantiæ arripuit Institutum: ut facillimum cognita fuerit ex ipsis conversionis primordiis, quantum novellus Christi Athleta inserviendi Deo, salutisque animæ causa sæculum deseruisset. Usque adeò innocentia Vitæ: morum gravitate, operis Dei sollicitudine; Obedientia, Charitateque reliquos antecellere brevi tempore visus est Fratres, in sanctisque Lectionibus, atque meditationibus proficere. Narrat Maurus (qui vidit & interfuit) Petrum totas noctes insomnes in templo ducere solitum fuisse, retro Altare majus ocultum manentem, & geniculatum perpetuò Orationi vacantem; accidisseque aliquando, ut suarum precum Virtute, igneæ flammæ super Basilicam ad æthera elevari visæ sint: quæ nimirùm cum navigantibus per lacunas terrorem incuterent; factum est, ut aliqui ex illis: veriti Templum veris flammis absumi, anhelantes navigio ad januam Cœnobii concitò accurrerunt, excitato-

que pulſationibus crebris, ac vocibus janitore, eoque aſſurgente, & eos intromittente: ubi in templum ventum eſt, accurrente Beato Petro, illico flammas evanuiſſe: qua vulgata fama, vix dici poteſt, quanta frequentia populi ad eum confluxerit, ut ſe, familiam, & negotia in ejus fidem, ac clientelam ſpiritualiter commendarent, uti Viri Domino noſtro JESU Criſto graviſſimi, & Sanctis ejus acceptiſſimi: qui ſinguli Cœleſtibus dapibus abundantiſſimè referti, à ſuis anguſtiis ſublevati, ab illo diſcedebant. Viſus eſt Vir Beatus PETRUS frequenter, ubicunque de Cœleſtibus verba faceret, ſeu pſalleret, ſeu miſſam celebraret, oculos in Cœlum cum manibus tanta cordis, ac mentis dulcedine, tantaque ubertate lachrymarum attollere, ut fletum cunctis qui aderant, cieret: ſimul, quaſi Angelus Dei, omnes conſolaretur. Per eos dies, quidam Beneventus de finibus Sancti Cantiniani Filium ex Uxore ſuſceperat, qui in manibus obſtetricum vix in lucem editus moriebatur. Is cum conjuge votum vovit Deo Jacob, ſe Beati Petri nomen illi impoſiturum, ſi non moreretur infans, & ſtatim eum ſoſpitem & validum recepit. Noviſſimè cum Vir Beatus Petrus propter infirmitatem valetudinis lecto decumberet, ingreſſum Medicum rogavit, ut parum de ſuo vino ad ſe mitteret: quod cum ille faceret, duo ex una re patrata ſunt miracula; unum, quod portio ad Virum Dei miſſa, nunquàm illi defecerit; alterum, quod dolium in Cella medici, quamdiu vixit, quaſi in dies crevit. Quamobrem ſe beatum eſſe, quòd tanto Viro Dei mederi dignus fuiſſet, benedicens Deo, nunquàm prædicare ceſſavit. Migravit ad Cœlos Beatus Petrus die 20. Decembris 1453. ex quo quadrageſimum in ſancta converſatione exegerat annum, cui celebrata ſunt ſuprema magna Civitatis celebritate. Tunc vix elato cadavere,

vere, unus ex novitiis periculosissimo exagitabatur morbo, adeò ut medici de ejus salute desperâssent. Is inter ardentissimæ Febris certamina se super lectum Viri sancti poni instanter flagitare cœpit, quod cum impetrâsset, è vestigio sospitatem recuperavit magno miraculo: gratiasque agens Deo, sanus ad ejus tumulum properans, vulgatissimum miraculum reddidit. Antonius Nordinus Austriacus, ut Nicolaus Vincentinus prodit, in patriam remigrare volens, ante obitum Beati Petri ejus benedictionem secum reportare studuit: is deinde rursùs Venetias reversus post transitum illius, cùm post biennium laterum dolore, sævissimè torqueretur, hisce verbis Dei misericordiam super se ejus meritis diffundi obsecurabat. *Clementissime Deus immensam Pietatem tuam in calamitate positus supplex ex toto corde deposco; ut meritis servi tui Petri me liberare digneris.* Statimque sanus factus ad tumulum ipsius pergens, toto se corpore super illud prostravit, Dei Laudes in Sanctis suis celebrando, seque Abbati, ac Monachorum suorum Orationibus etiam atque etiam commendando in die Natalitii S. Matthiæ Apostoli.



CAPUT XXXIII.

VITA Beati Sylvestri Fratris, & Jacobi Gerij Camaldulensis Ordinis.

COntulit multùm decoris Sacro Ordini nostro Beati Sylvestri Monachi Fratris conversatio sanctissima. Is honestis Parentibus in valle Senis ortus, & puer in via timoris Dei apprimè educatus, ubi in Adolescentiam vergere cœpit,

cœpit, de arripiendo Monastico Instituto secum tacitus cœpit cogitare: Veniens ergo ad Monasterium Angelorum, & rogans sibi sanctum habitum tradi, Frater, ut nos vocamus Conversus præter omnium voluntatem tam Prioris quam Monachorum fieri elegit. Emisit suam Professionem Anno 1315. & triginta tres Annos coquinam exercens in sancto Proposito peregit. Vacabat autem quasi perpetuæ Orationi. Cujus causa cum aliquando à Fratribus tanquàm nimium assiduus increparetur; accidit non semel, ut curiosi veriti, ne dapes hora competenti prandii coctæ paratæque in coquina essent, illum ab opere Orationis exturbare contenderunt, quibus ille humilibus verbis respondebat, *ne sitis Fratres, obsecro vos per Dominum JESUM mihi molesti, omnia sunt oportunè parata.* Quibus abscedentibus, & jam hora prandii adveniente, cum rei eventus famulum Christi vera dixisse probâsset; pervulgata est in Urbe fama, quod Angeli Dei in Monasterio Angelorum Ministerium Coquina exercerent, dum Frater Sylvester Orationi incumberet. Quid multa? idipsum de purgandis quoque vasibus Coquinæ prædicatum est, dum quidam minus creduli ipsum increpare agressi, illi dicebant, *ista hora lavandi vasa munus postulat, non orandi:* & sicut ille dicebat, vasa omnia diligentissimè purgata deprehendebantur. Fuit Soror illi Monacha in propingua Eremo sanctæ Margarethæ è regione januæ Cœnobii, quam cùm Beatus Sylvester per internuncios, seu scriptis sæpe visitare solitus fuisset, & ad Cœlestia bona firma spe animare: accidit novissimis diebus illam à Fratre postulare, quando in Patria consummata dulcissimum essent JESUM sponsum verum Animarum sanctarum visuri; cui ille in hæc verba rescripsit. *Lætare Soror æterni Sponsi Sponsa, quia tali die (certo spero) ipsum lætissimi simul videbimus*

ſedentem ad dextram Patris adeo ut eum ulterius amittere non poſſimus. Non intellexit tunc Venerabilis Virgo horum Verborum myſterium, ſed infra paucos dies mortali ægritudine laborans, impetravit ab Epiſcopo ut ad Angelorum Cœnobium ſepeliri poſſet. Interea ipſe quoque Beatus Sylveſter infirmitate oppreſſus ad ultimam Spiritus venit horam, eodem die quo Soror animam Deo reddidit: quò factum eſt, ut utriusque exequiæ in Cœnobio Angelorum actæ ſint, & utrumque Cadaver ſimul ſepultum. Porro Beatus Sylveſter ob ſanctam Vitam, ac tranſitum glorioſiſſimum inter Sanctos Ordinis exinde habitus, multis corruſcavit miraculis, aſſervantur utriusque Reliquiæ ad Altare S. Joannis Baptiſtæ in Capitulo. Migravit ad Deum Beatus Sylveſter 5. Idus Junii Anno 1348.

Eodem ferè tempore illuſtratum eſt Cœnobium Angelorum Venerabilis Jacobi Gerij Sanctiſſimi Monachi Converſatione, is ad converſionem veniens, per veſtigiaque Diſcipulorum S. P. Romualdi incedere in Cœnobio cupiens, quos Eremum in arduo vitæ rigore incoluiſſe audierat, mitis clementisque naturæ ſupra omnes coævos Domino JESU Chriſto in oculto famulari, placereque ſtuduit: quod Angelorum Cœleſti teſtimonio probatum eſt, qui quidem mirabili modo canere dulciter, atque cantica Dramatis reſonare manifeſtiſſimè auditi ſunt, quando Anima beata corporis nexibus ſoluta ad Cœlos evolavit nonis Auguſti.

) (o) (

CAPUT

CAPUT XXXIV.

VITA Beati Dominici Vernegallij, Beati Bartholomæi, & Beati Angeli Martyris.

PRoficiente Familia Cœnobii S. Michaëlis, refloruit ibidem Beatus Dominicus Vernegallius, qui fuit Monachus Deo acceptissimus, & universæ Pisarum Regioni apprimè venerabilis. Is sua austeritate vitæ cæteros multùm commovere semper visus est, & Cœlestis desiderii stimulos eisdem mirum in modum addebat, unde nemo erat in Congregatione, qui non omnia ei impenderet reverentiæ obsequia. Extitit auctor novi Xendochii Urbis Pisarum, consummavitque in brevi tempora multa in maxima ædificatione proximi, miraculis in vita, & post vitam clarissimus. Migravit ad Deum Vir Beatus Anno 1219. erecta illi apud pulpitum Venerabili ara, ad quam sepultus mansit annos 42. multa populorum frequentia clarus; amplificato deinde Templo transfertur Anno 1262. super pulpitum. Per ea tempora Camaldulenses Monachi ad S. Fridiani quoque habitabant, ad quod Cœnobium refloruerunt pariter gesta B. Bartholomæi, qui fulgebat mia sanctitate, multisque fuit clarus miraculis, ejus corpus subtus aram conditum usque ad nostram ætatem integrum & incorruptum Populo spectandum devotionis gratia exhibetur quibusdam Anni solemnitatibus. Anno 1458. Camaldulensem Ordinem non parum illustravit felici transitu suo B. Angelus Monachus, qui

qui cum Barlotanæ ſectæ extirpandæ quaſi auctor vehementi, & efficaci ſua prædicatione fuiſſet, à quibusdam ſceleratis propterea occiſus fuit, ad cujus tumulum Deus Optimus Maximus miracula multa oſtendere dignatus eſt in ipſa Eccleſia, quæ nunc ejus nomine ſancti Angeli dicitur, Carmen iſtud ad Sepulchrum ejus legitur ſculptum:

Gemma Monachorum in tumba jacet Angelus iſta.

CAPUT XXXV.

VITA Beati Jacobi à Certaldo Monachi Camaldulenſis.

QUoniam circa Annum 1233. Beatus Jacobus ſua ſanctiſſima converſatione Ordinem Camaldulenſem mirificè illuſtravit, operæ pretium duxi ejus glorioſæ Vitæ geſta hic brevibus recenſere. Beatus itaque Jacobus Certaldi Oppido, ex antiqua Guitiorum Familia oriundus extitit, Patrem habuit Albertinum Illuſtriſſimum Equitem, qui tres ſuſcepit Filios, Guidotum, Ingeramium, & ipſum de quo agimus, Jacobum, qui, utpote Jacobus omnia à teneris annis ſigna indolem magni futuri Viri oſtendentia dare cœpit. Erat enim Puer ore venuſto, ſpecie amabili, ſenſu ætatem præveniente, ſermone parcus, natura quietus, & à vitiis, quibus ætas illa ſolet adhærere, omnino procul, ſolusque agens nil magis, quam lectitare, ſeu meditari delectabatur, quo ſe meliorem, atque acceptiorem Deo efficere poſſet; ut talem verò ſe compararet, Chriſtum in corde

 geſtans

gestans, brevem ac momentaneam Mundi Gloriam animosè despexit. Corporis sui Virginitatem Domino JESU vovit, jam jamque inebriatus dulcedine decoris Domus Dei, jugiter Prophetæ eloquium animo secum repetebat: *Beati qui habitant in Domo tua Domine in sæcula, sæculorum laudabunt te:* Erat Parentum Domicilium in Urbe Volaterrarum in vico sanctæ MARIÆ, unde cum Parentes ipsi Puerum ad Templum Sanctorum Confessorum Justi, & Clementis secum orationis gratia pluries duxissent, & exinde ad Cœnobium Camaldulense ascenderent, factum est, ut Jacobus Puer Monachorum Vitam contemplatus, ut Monachum & ipse agere posset consensum Patris humilibus precibus obtinuit, habitumque sanctæ Conversationis à Martino Abbate feliciter suscepit. Ex quo tempore nudus, & armatus in Christo morum gravitate præfulgens, exemplum mox virtutis, obedientiæ, & humilitatis, ac patientiæ cæteris cœpit existere Fratribus. Nec solùm, quæ ipsius erant Ordinis, sedulus obivit, sed longe majus aggressus propositum, arctiore se vitæ genere, corporis exercitatione admodùm majore afflixit, in vigiliis, jejuniis, algore, silentio, oratione perpetua, pertinaci labore, & obedientia prompta placere Deo continuò studebat. Per quadragesimas ter in pane & aqua contentus jejunabat singulis hebdomadibus, ante mediam noctem exurgens, aliosque præveniens Fratres ad orandum se ardentissimè præparabat, hymnos, Psalmos, & officia præsertim B. Michaëlis Archangeli secunda feria, Sabbatis verò B. V. MARIÆ non obiter percurrebat: ea modestia præditus erat, ut cum Fratres cæteros virtute, sanctitateq; antecelleret, omnibus tamen inferiorem, obsequentioremque se semper præberet. Quem infensissimus Infernalis hostis acri pugna, noctes & dies infestans, pubescen-

bescenti corpori solita maximopere voluptatum incendia suggerebat: cujus tela & oculos Christi Famulus Spiritus Sancti gratia suffultus, cilicioque indutus super nudam humum cubans, vigiliis, jejuniis ac orationibus duplicatis, licet membrorum Viribus attenuatus, jugiter explodebat. Satagebat quoque inter preces diutinas, Divinam studiosè deprecari misericordiam, ut Parens, ac Fratres Uterini, ipsi quoque aliquando, quam suavis est Dominus gustare, & videre mererentur. Nec in vanum cessit Oratio ejus; Albertinus namque Parens fama tantæ Filii Sanctitatis adductus, ex improviso quasi à profundo sæculi somno expergiscitur; tactusque quadam corporis & animæ dulcedine, se beatissimum fore secum cogitare incipit, si reliquum vitæ tempus apud Filium transigat; quapropter ad ipsum festinabundus concedens, ibidem ut oblatus & conversus ab ipso Martino Abbate in Monasterio recipitur ad tertium nonas Julias 1239. Qua die suum novissimum nuncupatum condidit testamentum (quod in Cœnobio asservatur) per quod Guidoto, Ingeramioque Filiis hæredibus institutis, eisdem, quandocunque sine filiis decederent, Monasterium pleno jure substituit, manu Ubaldini Tedestini Notarii. Defuncto posthæc feliciter Patre, eoque inter Filii lachrymas sepulturæ tradito, Jacobus animarum Parochiæ, jussu Abbatis curam suscipere coactus, ita administravit: ut plebs universa nunquàm, nec meliùs in spiritualibus profecerit, nec Patrem in terris talem invenerit, unde & felicius regeretur, & Animæ salubriora consilia susciperet. Quapropter Vir Sanctus Æditui munus quoque Templi S. Justi & Clementis inferioris exercere multos annos coactus est. Fratres verò Venerabilis Viri sanctis moribus, atque exemplis magis ac magis in dies affecti, ubi Martinus primùm, deinde

Nicolaus Abbates morti occubuiſſent, cum bis elegiſſent illum ſibi in Patrem, ille honorem hunc pariter & onus detrectans obſtinatus bis renuit, nimirum dulciſſimum quietem contemplationis anxio, periculosoque negotio præferens: tutiusque ſecum actum iri putans, ſi inglorius & ignobilis in Cellula tantum Deo teſte ſe ſe ſancte exercendo latitaret, quàm ſi populo ſpectante virtutis ſuæ fama cum gloriæ periculo diffunderetur. Poſtremo Michaële Abbate decendente, tertiam electionem, urgente Epiſcopo, ſubterfugere nulla vi, nullaque ratione valens, Monaſterii quidem regimem accepit, ac aliquamdiu adminiſtravit, ſed paulô poſt dignitatem ſic repudiavit, projecta virga, & annulo, ut nec Epiſcopi, nec Congregationis ullis omnino precibus ulteriùs præeſſe voluerit. In eo ſolummodò Parochiæ populis rem gratam faciens, quod curam animarum libenter reaſſumpſit: quos dùm paterno affectu frequenter commonefaceret, ut à ſcelerum flagitiis quisque abſtinere, ſatageret: ſinguli verò mandata Dei verò ſanctóque timore cuſtodirent: factum eſt brevi temporis intervallo, ut non ſolùm ſceleroſi incentiva vitiorum declinantes, in via mandatorum Dei ſe ſe exercere viſi ſint, mirabili vi ſacroſanctæ Doctrinæ, verùm ut multi quoque è ſæculo ad ſanctæ converſationis ordinem ſpiritu fervido feſtinaverint; nec defuerunt, qui Cœnobium propterea ſuis bonis donatum eſſe voluerunt, prout Prædium, quod ad planum dicitur, adhuc ejus memoriam in dies recentiorem facit. Interea cum Guidotus Frater ejus ſuum obiiſſet diem, nullis ſuperſtitibus Filiis relictis, Ingeramius ejus adita hæreditate, Paternis omnibus involavit bonis: qui cum nullam ſimiliter ſobolem procreâſſet, contulit ſe ad hoſpitale Sancti Jacobi Altopaſcii, ut Equitem ibi profiteretur, facto teſtamento, locóque

omnium

omnium Bonorum ſuorum hærede inſtituto, quæ jure ad Cœnobium Sanctorum Juſti, & Clementis vigore Teſtamenti Patris ſui, pertinebant. Deinde infra ſex menſes facti pœnitens, ipſe quoque membra paterno tumulo sociare diſponit, Fratrem ſuum præcatur, Gerardumque Ordinis Generalem, qui tunc Volaterris agebat, ſuppliciter rogat, ut inter ſuos ibi Filios, & Religioſos eum adnumerare dignaretur. Itaque ad diem ſextam Novembris ad ſimilitudinem Parentis ſui, Ingeramius converſus feſtivè inter Camaldulenſes ſuſcipitur, qui propterea accito Tabellione, Teſtamentum Paternum inprimis ratum gratumque declaravit, ac tandem per noviſſimum teſtamentum omni ſua Bona (quæ ampliſſima fuêre) in Cœnobium contulit, manu Joannis Junctæ Notarii. Obiit Ingeramius poſtero Anno 3. Octobr. 1282. Fraterna manu ſepulchro conditus. Porrò Vir Dei Jacobus propter hujusmodi profectus, Patris videlicet, ac Fratris converſionem, lætiſſimus, decem adhuc ſupervixit annis. Qui dum vigil, ſedulusque operarius vineam Domini excoleret, proximum ædificando, ac juvando, non æſtu, vel algore unquam opreſſus ſexageſimum ſanctæ converſationis attigit annum. Cæterum ad extremum vitæ curſum properans, & febri laborans, Abbate cum Monachis advocato, veniam humiliter petiit, ſi quid forte non bene factum in eo conſpexiſſent: nec mora ſumptis ordine Sacramentis migravit ad Dominum Anno ſecundo ſupra milleſimum ducenteſimum nonageſimum idibus Aprilis, ibiquæ poſtmodùm honoris gratia Ara conſtituta fuit. poſt ejus obitum hæc memoratu digna contigerunt.

Quidam Petrus cum iter faceret, incidit in latrones, qui ubi Fratrem primùm interfecerunt, deinde lethale vulnus eidem pariter intulêre, qui audita B. Jacobi fama, ſe-

pulchrum

chrum supplex adiit, diu lachrymis, ac precibus obsecrans, ut ipse propitiator salutis suæ apud Deum existeret: tandem illum albis amictum vestibus videre meruit admonentem, ut jam incolumis factus discederet.

Alius item à Sancto Geminiano cum surdus quatuor annis fuisset, ad hunc similiter accedens, sanus & ipse remigravit, unde diu postmodùm illius quotannis adire sepulchrum pro tali gratus munere, suffragiaque in reliquam vitam exposcere solebat.

Item Mulier Voleterrana dextro affecta, inutilisque brachio, eo ipso tumulo imposito, statim valida facta præ novitate exclamavit: Deo tanti beneficii auctori per suum Sanctum gratias agens.

Alia rursus Mulier, quæ in mamilla torquebatur, pridie ejus diei, quâ decesserat B. Jacobus, Viri sancti auxilium pia fidelique mente invocans, dum sic instaret, illum Chyrurgi habitu cum arcula unguenti venientem vidit, cujus liquore vulnere persuso, è vestigio incolumis apparuit.

Insuper è Castro Libiani mulier quodam ab immundo vexata spiritu, ad Beati Viri sepulchrum à Consanguineis adducta, ejecto tandem dæmone omnibus spectantibus; ac Deum collaudantibus pristinæ restituta Sanitati in Patriam redivit lætissima.



CAPUT

CAPUT XXXVI.

VITA B. Michaëlis Eremitæ Camaldulensis, qui fuit Auctor Rosarioli (Coronæ Domini) nuncupati.

BEatus Michaël ex Nobilissimis Parentibus ortus Florentiæ, Patrem Venturam nomine habuit, à teneris annis Deum timere didicit, ubi pubertatis attigit annos, Laurentij Medicis Clarissimi Ducis obsequiis se se dedit, Pincernæque officium plures annos exercuit, & ea quidem ingenuitate, ut inter reliquos domesticos ei extiterit charissimus. Animadvertens Michaël, quod Laurentij Domum Liberalium Artium Professores frequenter adirent, ingemuit non semel pectore ab imo, quod pueritiæ annos non plene Literarum studiis addixisset, itáque legendæ historiæ cupidus non parvam librorum supellectilem paulatim comparavit, ut in colloquiis peritorum hominum saltem ob illud studium aliquandò non erubesceret. Pari modo cum multi Religiosi ejus tempestatis insignes Viri ad Laurentium frequenter convenirent, longosque sermones de Cœlestium bonorum spe; déque vera Christiana charitate, protraherent; Michaël ad Religionem nonnihil cœpit appellere animum, quandò ex Trebiana Villa in Senarii Montis densissimas sylvas venatum cum Laurentio concessit: ubi incidit ei in mentem recordatio casus Guidonis Marchionis, qui intempestæ noctis tempore à Sociis desertus per arduos inviósque montes aberrans horrida nimium visione ad mutandam

Vitam

Vitam & mores invitatus eſt, ſeptémque Cœnobia propterea ædificavit. Quamobrem gravi terrore conſternatus, quomodò ſe à ſæculi ſervitute omnino liberaret, cogitare cœpit, quod Laurentius exploratum habens, eumque penes ſe retinere cupidus, ſacerdotium illi cum honeſtis proventibus conferendum curavit, qua occaſione Michaël omnino Deo ſervire avens, illico ſe tanquàm exemplar omnium bonorum operum comparare cœpit: quippe eſurientes alens, nudis veſtimenta præbens, & omnia ferè pro Chriſti nomine diſtribuens, ſe in magna paupertate ditiſſimum apertè prædicabat, frequenter de Cœleſtibus colloquium habebat, & libenter Monaſteriorum limina terens, Cucullatorum ritus moréſque, quaſi alter Antonius, contemplari delectabatur. Accidit inter hæc Laurentium ad ſacram Eremum Camaldulenſium æquitare, illic Michaël decore Domûs Dei captus, & quadam cœleſti vi Eremitam agere inſtigatus, Romam priùs proficiſci voluit ad ſanctorum Apoſtolorum limina, inde reverſus ſacræ Camaldulenſi Militiæ eſt adſcriptus. Exinde in ſumma Columbæ ſimplicitate ſe verum & non fictum Dei Servum, ac Sancti Patris Romualdi Diſcipulum adeò piè, & ſanctè præbere ſtuduit, ut incredibili modo in ſuperna fluenta fontis vitæ inhiare, viſus plurimos humilitate ſuperaret, obedientia præſtaret, charitate, vinceret, continentia verò cibíque parcitate nemini eſſet ſecundus, nulla infirmitate frangeretur, tantummodò adoleſcentiæ minus ſalubriter peractum curſum querebatur, admiſſáque in ſæculo crimina continuâ pœnitentiâ lugebat. Tanta ſpe adipiſcendæ Miſericordiæ Dei ducebatur, ut propter dulcedinem amoris, atque Charitatis Chriſti incontinenter lachrymas funderet. Quocirca Fratribus veræ contemplativæ Vitæ mira in dies præbens exempla, difficilè

difficilè dictu eſt, quanta veneratione eum proſequerentur. Jam verò cupiens ardenti animo proficere in Virtutibus, & in cœleſti Philoſophia omnibus aliis curis ſepoſitis incumbere, recluſionem annuam ab Eremitarum Prælato ſumma humilitate ante omnia impetrat, & elapsô terminô unius Anni, perpetuam. Gaudens igitur, quòd liberiùs cœleſtium bonorum Philoſophiæ incumbere ſolitarius poſſet. Tantùm exinde dulcedine ſempiternæ ambroſiæ veſcebatur, tantùm Chriſti charitate vulnerabatur, ut rem ſacram faciendo, tanquam Cherubin in vultu inflammari ſemper exinde viſus ſit, & incredibili cordis profunditate myſterium humanæ Redemptionis contemplari. Tandem cum jam decimum quintum ſuæ recluſionis ſanctiſſimè compleret annum, die quodam recitando Coronam B. V. MARIÆ (quam dietim perſolvebat) raptus in extaſim, in qua audivit vocem Salvatoris noſtri hujusmodi: *Mei autem non recordaris Michaël?* quibus verbis magis inflammatus, petiit per interceſſionem B. Virginis à dulciſſimo JESU ſignificari ſibi, quonam devotionis genere in ſuo & omnium fidelium cordibus memoriam illius perennem firmare poſſet, poſt quam petitionem fuit illico à diviniſſimo ſpiritu edoctus, ut quemadmodùm Coronam & Roſarium B. Virginis juxta numerum annorum Vitæ ipſius recitare ſolitus fuerat, ita ſimili modo in memoriam 33. Annorum, quibus Chriſtus JESUS ſalutem humanam operari dignatus eſt, totidem orationes Dominicas recitaret, quibus orationibus Dominicis quinque Salutationes Angelicas interponebat, ad extremum Credo, & vocavit hanc Devotionem Coronam Domini. Quam cum ille ad Leonem X. Pontificem Maximum (qui tunc Florentiæ agebat) detuliſſet, gaviſus magnopere Pontifex novô hujusmodi Munuſculo, illud ſta-

tim Apoſtolica auctoritate confirmavit, & ampliſſimis Indulgentiis decoravit. Pontificium Diploma, & Bulla hujusmodi fuit elargita deſuper.

Leo Epiſcopus Servus Servorum DEI.

Univerſis, & ſingulis Chriſti Fidelibus præſentes literas inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Nuper Nobis fide digna relatione innotuit, quòd cuidam Seniori Eremitæ, intra unius Cellæ anguſtiam jam quindecim annos in ſacra Camaldulenſi Eremo in magna Vitæ auſteritate recluſo, commoranti, Domino, ut credere pium eſt, inſpirante, à quo omnis recta procedit cogitatio, in mentem venit, quod in honorem Salvatoris, & D. N. J. C. Fideliumque devotionem cedere poſſet, ſi quemadmodum ex antiquiſſima valdeque communi inſtitutione Chriſti Fidelium in honorem B. V. MARIÆ ſecundùm numerum annorum quos vixiſſe in hoc mundo creditur, ſexaginta tres Salutationes Angelicas, ſeptem interpoſitis Dominicis orationibus devotè dicere ſolent; quod orationis genus, Coronam Virginis appellant; ita in honorem D. N. J. C. pro commemoratione annorum, quibus ipſe in terris converſatus eſt, ex triginta tribus Dominicis orationibus, quinque interpoſitis Salutationibus Angelicis, quaſi Coronam Domini dicere aſſueſcant. Supplicarique Nobis humiliter fecit, ut ad excitandam fidelium devotionem aliquam Indulgentiarum gratiam eam Domini Coronam dicentibus concedere Apoſtolica benignitate dignaremur. Nos verò quibus incumbit, & honorem D. N. J. C. quantùm ipſo auxiliante poſſumus agere, & Chriſti fidelibus Devotionis incitamenta præbere: hujusmodi ſupplicationibus inclinati prædictum orandi modum ab illo Seniori, recluſoque Eremita excogitatum

tatum approbamus, confirmamusque, & Coronam Domini volumus apellari. Quod orationis genus ut à fidelibus devotiùs suscipiatur frequentiusque excolatur, universis & singulis utriusque sexus, cujuscunque statûs, ordinis ac professionis, qui eandem Coronam dixerint, per singulas vices decem Annorum Indulgentiam: his verò qui justo amoto impedimento per continuum anni circulum eandem Dominicam Coronam semel in die dixerint, ultra prædictam summam mille annorum Indulgentiam de nostræ plenitudinis potestate Auctoritate Apostolica concedimus, & erlargimur. His verò qui ad extremum vitæ diem eam Domini Coronam semel in die dixerint, easdem annorum summas dupplicamus, & decedentibus ex hac vita Apostolicam elargimur benedictionem. Quia verò difficile esset præsentes Literas ad Universorum notitiam pervenire, nisi oportuno provideretur auxiliô: eadem auctoritate volumus ac decernimus, ut transumptis, etiam impressis sigilloque Sacræ Camaldulensis Eremi, & alicujus Eremitæ subscriptione munitis ea prorsus fides habeatur, quæ ipsis originalibus Literis haberetur. Volentes ut omnes prædicatores, ad quorum notitiam hæc pervenerint, eas in populorum præsentia publicare possint. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Florentiæ sub Annulo Piscatoris die 18. Febr. 1516. Pontificatûs Nostri Anno III.

Tandem aliiquoque Romani Pontifices, utpote Clemens X. Gregorius XIII. Sixtus V. Amplissimis Indulgentiis & Gratiis prædictam Coronam Domini ditârunt, ut videre est in Bullis eorundem, quas brevitatis causa omittimus.

Quomodo Beatus Michaël per Prophetiæ Spiritum Clementis VIII. & Pauli III. Pontificatum vaticinatus sit.

PRæfulſit Beatus Michaël Prophetiæ dono, & quidem tali Gratiæ virtute, ut ejus fama, cum ſumma Camaldulenſis Religionis laude ad Principes, magnosque Viros usque penetraverit. Id autem in principio ſic cognitum eſt. Quadrageſimali tempore, eo videlicet die, quo ſancta Mater Eccleſia hiſtoriam curati à Deo infirmi ad Piſanam commemorat, Stephanus Venetus Vir inter Eremitas multùm Venerabilis, qui præfecturam Eremi non ſemel egit, audiendis Divinis in Templo intentus erat. Is ex hiſtoriæ S. Evangelii lectione in pulcherrimam devenerat meditationem, quâ veluti per exceſſum mentis Dei miſericordiam animæ peccatrici ſemper medicinam facere philoſophabatur: dummodò Anima ſollicita de ſalute ſua in adventu Cœleſtis Angeli, qui eſt Chriſtus Dominus noſter, ad motionem aquæ Divinæ miſericordiæ inter poſtremos non inveniatur, nec ad ejus verbum Cor ſuum obduret: qua rurſus meditatione ſe ægrotum illum conſiderabat, qui lectum ſuum è ſæculo tollere ad vocem Domini juſſus fuerat, & in Domum ipſam Sacræ Eremi ſanus concedere; quamobrem præ animæ dulcedine lachrymabundus Dei miſericordiam ſic ſuper ſe Peccatorem diffuſam eſſe, ex intimo cordis affectu immortales gratias Throno ſanctiſſimæ Trinitatis agebat. Eodem temporis momento Vir Venerabilis Michaël rem ſacram in Capellula Cellæ ſuæ faciebat; qui offerendo ſacrificium ſuper eodem myſterio meditans Cœleſti nectare,

ctare, & ambrosia vescebatur, & tunc Coeremitæ Stephano, se sociare sibi videbatur, & ejus meditationi quasi præsens per spiritum astitit. Itaque Missarum solemniis expletis, è vestigio calamum sumit, & syngrapham ipsius meditationis seriem continentem ad unguem, per Samuelem Ministrum ad eum tacitus mittit. Ne autem Stephanus admiratione affectus diceret, quid lego? quid audio? Nonne Deus solus scrutatur renes & corda, homo autem videt in facie: adjecit Beatus Michaël super dorsum syngraphæ hæc verba: *Charissime Frater, ipse MARIÆ semper Virginis Filius JESUS semper benedictus, dum manibus Venerabilem Eucharistiam contrectarem, cogitatum tuum, quem ex tota Anima in eum jeceras, mihi misericorditer revelavit.* Vulgata hujusmodi de Viro Dei fama, non defuerunt permulti, qui eum videndi, & alloquendi gratia arduum Eremi Montem ascenderint. Contigit item, ut Cardinalis Medices qui Pontifex Maximus deinde creatus fuit, & Clemens VII. appellatus, ad sacrum locum veniret. Is cum recluso Viro verba faciens, quantùm Prophetiæ spiritu valeret tentavit, itaque an ad summi Pontificatûs apicem evehendus sit apertè ab illo sciscitatus est. Cui Pater Venerabilis respondit. *Eveheris quidem tu Præsul amplissime post mortem Gentilis tui brevi post tempore.* Quibus ex verbis biennium Adriani VI. qui inter Mediceos Pontifices medius sedit, illum significâsse rei exitus probavit. Anno 1521. accedente Cardinale Farnesio, qui Paulus III. postea fuit ad sacram Eremum pridie Calend. Septemb. quidam ex ejus familiaribus, Bartholomæus Grota nomine, ejus Capellanus reclusum adiit, querimoniasque in colloquio Viro Dei cœpit exponere, quod longo tempore tanto Præsuli gratis servivisset. Cui Vir sanctus statim intulit. *Perge ut cœpisti Frater, quia aliquando*

quando te Pontifici Maximo famulatum impendere animadvertes. His verbis Cardinali renunciatis, Reclusum & ipse petens, quandò hæc futura sunt, percontatur. Cui, *post electionem duorum magnorum Sacerdotum*, ille respondit. Porrò hi Adrianus, & Clemens nominati fuêre.

De austeritate Vitæ B. Michaëlis, & de Malatasca Dæmonio, qui eum frequenter infestabat.

QUanta vitæ frugalitate, quanta cibi & potûs sobrietate Venerabilis Michaël se in solitaria militia comparaverit, vel ex eò conjectari licet facilè, quòd semel tantùm singulis hebdomadibus, dominica scilicet die, vinum bibere aquievit, & tunc quàm parcissimè, ac dilutissimè, modica quotidie panis portione, sive interdùm aliquo pulmenti genere contentus. Raro sedere visus est, præsertim ad ignem; unde referunt Seniores eum Coeremitis ad ignem (ut in Italia moris est) non sedendi sæpe numero monimenta dedisse, ne scilicet eo pigritiæ fomite aliquem à sanctæ Contemplationis opere torpescere contingeret. Cilicio corpus assiduè domabat. Tanta pietate, atque humilitate Deo placere studebat, ut verè innocens verè sanctus servire Domino in timore, & exultare pariter secundum Prophetiæ præceptum nunquàm fatigaretur. Quippe ad omnes horas canonicas cæteros sic prævenire Fratres solebat, ut semper ad initium Campanæ, ad Divinum Opus se paratissimum componeret, & tùm se alicui pie Meditationi dabat. Post matutinam synaxim indefessus orationi usque ad Celebrationis Missæ Sacrificii tempus, toto corde contem-

plando

plando Cœlestem gloriam, vacabat, libatoque Sacrificio rursùs orationem usque ad horam prandii continuabat. A prandio recreandi animi gratiâ, vel tornandis Rosariorum globulis, vel legendo, aut scribendo se nonnihil exercebat. Acerrimas Dæmonum persecutiones longo certamine tulit, adeò ut quantum Minister, & alii exploratum habere potuerunt, rarò inducias acciperet, cùm tamen, quo gravius contunderetur, eò magis divini auxilii consolatione sublevatus sit. Porrò Dæmonium in Cella ei jugiter negotium faciebat *Malatasca* nomine, deque Patientia illum tentabat, si eum fortè cadere, aut saltem claudicare facere posset, & cum non liceret: in magnis rebus, hanc operam in minimis frequenter præstabat, & aliquandò etiam Samuele præsente, nam is cum aliquandò prandium recluso valetudinario pararet: & stratâ mensâ Reclusus poculum bibiturus accipere vellet, ecce illico poculum illud per aëra ex improviso jactatur, dùm vero Samuel piæ novitate rei improviso terrore corriperetur, reclusus in hæc verba prorupit: *Desine Malatasca, nunc mihi in aperto molestus esse, hæc hora alios mores postulat.* Exinde ad Ministrum conversus, *ne trepides*, inquit, *Fili, hoc nihil est.* Tunc ergo Dæmon in cachinnum, risusque prorumpere auditus, restitutô poculô, senem irridendi finem fecit. Alio item tempore cum ipse Samuel oleum lucernæ reclusi super funderet, ex templò operimentum evanescit ex manibus, & nusquam inventum, denique postera die, dùm oleum rursus superadditur, ex insperatò ejusdem manibus restituitur: quod Michaël cernens, *hic malatasca est*, ait, *Fili cum figmentis suis, qui utrumque de impatientia tentare voluit. Benedicat tibi JESUS MARIÆ Filius benedictus, qui non es scandalizatus in illo, verùmtamen rogo te rem sub silentio custodi.*

De

De Morte & Miraculis Beati Michaëlis, & quomodo Dux Urbinas eum levare Filium de sacro Fonte requisierit.

CLariora Miracula, quæ de Beato Viro accepimus, sunt hujusmodi. *Initio conversionis ipsius Samuelis, Juvenis ob vitæ, regionisque mutationem, Cœlique in Apennino Monte rigidissimam intemperiem magno capitis dolore vexabatur, ut ferre planè non posset, de redeundoque domum secum tacitus cogitabat. Venit autem ei in mentem cogitatio experiri an Reclusi ope prius liberari posset, impetrataque facultate ei inserviendi, ubi primùm ad eum ingressus, narrata sua valetudine, suppliciter se precibus illius commendavit, ille Missæ celebratione peracta, frontem signo salutiferæ crucis ipsi consignavit, quô omnis dolor sic repente abscessit, ut nunquam postea* (quemadmodum recognovit) *hoc morbo laboraverit. Quidam Bubulcus Villæ Mogionæ secus lacum, qui Caroli Spellensis hodie dicitur boves agebat. Horum unus fortuito casu in via crepuit. Rusticus ergo gladiô doloris summopere confossus, factam animalis jacturam profundis singultibus, deplorabat, adeò ut nullam omnino consolationem admitteret: subiit autem illi inter fletus Viri Dei Michaëlis memoria, citoque gressu acclivia montis scandens ejus Cellam adit, magnisque ploratibus ut sui misereatur præ foribus, etiam atque etiam postulat. Sciscitatur Vir Venerabilis de fenestra, quid tanti cruciatus causa sit, afflictumque hominem mœrori parcere hortatur, bonoque animo esse, atque in Dominum JESUM: MARIÆ Virginis benedictum Filium, summa fide sperare jubet, à quo consolationem de sancto sibi missum iri pollicetur: moxque sacellum ingressus, precesque*

pro afflicto homine Deo fudit, ad mæstum Virum remeans ait: absterge fili, absterge lachrymas, miserator enim & misericors Dominus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra misertus tui est, & Bovem ad auras revocavit. Age gratias sanctissimæ Trinitati: vade; quia in loco ubi eum reliquisti pascentem invenies; atque ita rem se habere, compertum est. Evulgatô hoc Miraculô, non poteſt dici, quanta opinio de Venerabili Viro per totam Italiam ſuccreverit; Duxque Urbinas Legatos ad Eremitas miſit, multis precibus poſtulans, ut Venerabilis Michaël ad levandum ejus Filium ex ſacro Baptismatis fonte Urbinum mitteretur. Qui cum recluſionem violare noluiſſet, miſſus eſt Paulus Juſtinianus, qui vices recluſi ſupplevit. Tandem ubi corpus debile ob longam abſtinentiam ſeniles etiam anni fregiſſent, Venerabilis Michaël jugi precatione diſſolvi, & eſſe cum Chriſto flagitabat, vocatusque eſt ad cœnam nuptiarum Agni glorioſa dormitione die 12. Kalend. Febr. 1522. Porro ſacro Corpore ad Templum delato Deus Optimus Maximus ejus Vitæ innocentiam novô ſigno hujusmodi confirmare dignatus eſt. *Justinianus siquidem Bergomensis Venerabilis Eremita maximum dolorem dentium pati solitus, eo tunc acerbissime conficiebatur: is Beati Michaëlis manus osculando, continuò se ab omni dolore cognovit immunem, nec ulterius eo vexatus est Corpore honorifice composito, Patres Virum DEI cathalogo sanctorum Eremi ascripsêre.*





CAPUT XXXVII.

VITA Venerabilis Ambrosij Camaldulensium Generalis Antistitis, Scriptoris Ecclesiastici, & Luculentissimi Interpretis Græci.

INter Camaldulensis Ordinis alumnos, quos clarissima Literarum studia disertissimis, Illustrissimisque Viris æquavêre, AMBROSIUS sacræ Eremi Prior, totiusque Venerabilis Ordinis Generalis Antistes, principem locum judiciô totius Asiæ, & Europæ meritô, atque optimô jure sibi vendicavit. Quippe, qui felici sæculo, quô græcæ, latinæque literæ sub Grysolora, Trapezuntio, Gaza, Aretino, Valla, Pogio, cæterisque utriusque linguæ luminibus, quicunque in eo munere fidelis, eruditique ingenii operam præstitêre, renatæ existimantur, tantùm attulit ornamenti, ut utraque Ambrosii eruditioni, studioque multùm debeat: maximè ob multiplicem græcorum voluminum traductionem; nec non quia deperditâ jamdiu ob barbaras incursiones, omnis fermè vetustatis librorum copiâ, ejus potissimum operâ, sudore & castigatione, in communem, qua fruimur lucem restituta est, Cosmo Medice Seniore, aliisque magnis, ac disertissimis Viris opem ferentibus.



De

De genere, natalibus, & præclara Ambrosij ingenij docilitate.

GEnitus est Ambrosius Civenio Parente spectatæ prudentiæ, & pietatis Viro in oppido Portici Romandiolæ, ubi ad præsens superest ejus Familia, quæ Traversaria nuncupatur, quæ olim cùm Ravennæ floreret, à Polentanis exacta, in bifariam divisa est, pars Venetias commigravit, quòd ibi ex eadem Familia Legii (ut scribit Hieronymus Rubeus) clari haberentur ducentis jam fermè annis Patritii facti. Reliqui Porticum se recepêre, retento prisco Gentilitatis vocabulo. Hujus opinionis est F. Blondus Foroliviensis, qui in sua Flamineæ conscriptione hæc habet verba: *Deinde arduo in colle est Porticus, eloquentissimo, & græcè latinæque doctissimo Ambrosio Camaldulensi Monacho clarus*, & alio in loco ait, *Ambrosium Porticus genuit*, cui suffragantur monimenta Cœnobii Angelorum, & ipsiusmet Ambrosii. Constat Ambrosii animi ingenuitatem, ingeniique docilitatem statim à pueritia conspicua fuisse: vim namque habebant ultra ætatem ejus cœpta, dulcissimus, ac suavissimus eloquio, discendi, legendique, ac scribendi avidissimus: vitiis puerilibus aversus, somnô, cibô, ac potu parcè utens: & minimam quamque temporis jacturam fugiens. Jam verò cum Parentes eum Pædagogo, qui comis, & urbanus erat, religiosisque moribus præstabat, erudiendum in Galeata tradidissent; difficile dictu est, quàm singularum rerum, quas doceretur, causas, rationesque ab illo efflagitare; adeò ut nihil ferè sine decenti examinatione admittere vellet. Huc accedebat, & tenacis memoriæ donum, qua tantùm volebat, ut quæ semel didicisset, semper memori-

ter retineret ; quanquàm qui celeri ingenio ſunt, non ſemper bona memoria præſtare ſolent. Cum verò prima Grammatices præcepta imbibiſſet, Joanni Ravennati diſcipulus traditus eſt, qui (ut ſcribit Leonardus Aretinus,) ad Italos eliquentiæ ſtudia è diuturno exilio pulſis Barbaris, revocâſſe laudatur. A quo incitati ad bonarum Literarum ſtudia dicuntur, Petrus Paulus Vergerius : Robertus Rubeus, Pogius, Guarinus, Victorinus, multique præterea alii Viri Ambroſii Condiſcipuli, qui proinde ejus familiaritate, dulciſſima conſuetudine ſemper uſi ſunt. Porrò Ambroſius Joanni Magiſtro tali ſtudio operam dedit, ut nîl ſibi eſſet dulciùs, quam Magiſtri præceptis monitisque parere: ejus doctrina imbui ; atque in ea omnia diligenter incumbere, quæ viderentur ad aſſequendam eruditionem, excolendumvè ingenium pertinere. Nec ſolùm virtutem ingenuè amare dictus eſt, ſed imaginem potiùs ; ut dicebat Plato, genere amoris. Cujus ingenii ſpecimen Joannes perſpectum habens, eum quaſi Filium dilexit: ſummáque ope ejus egregiam indolem (quæ tanquàm præclara arbos ampliſſimos fructus paritura videbatur) quantùm in ſe eſſet, egregie erudire ſtuduit ; à cujus ore Ambroſius ſedulò pendens, eumq; de lectionum quæſtionibus frequenter interrogans, multos ex Condiſcipulis ad ſui æmulationem in dies excitare viſus eſt. Aliquando cum ſimul exercerentur, Ambroſius garrientibus quibusdam æmulis data opera reſpondere cunctabatur : quarè illi inſolitum ſilentium admirati, ipſum tumultuosè intigare non ceſſabant. Tandem in verba prorumpens ſermonem de ſilentio Diſcipulorum Pythagoræ ad eos habuit, quorum neminem conticuiſſe minùs quinquennio memoriæ proditum eſt. Adjecit & Zenonis Stoici exemplum : qui cum legatos Antigoni Regis ad cœnam cum

non-

nonnullis Philoſophis invitâſſet, qui ſinguli inter epulas ſuam Doctrinam oſtentarunt, interrogatus cur ipſe ſolus taceret? *difficillimum omnium, retinere ſermonem*, reſpondit. In peroratione vero rem in jocum vertens, intulit: *ego tunc ſilere deſiſtam cum talia dicere ſufficiam, quæ non ſunt digna taciturnitate.* Hoc vaticinium, quod in magnum græcæ paginæ Interpretem evaſurus eſſet, rei exitus comprobavit. Inerat ei, quantum ferebat ætas eximia facundia cum ſententiarum gravitate, brevitati tamen ſummâ induſtriâ ſtudebat; utpote, qui ne quod ſibi verbum imprudenter excideret, eò diligentiùs cavebat, quò idem orationi, quod nummis evenire non erat neſcius: qui utique tantò præſtantiores habentur, quantò in minori materia, plus valoris, preciique complectuntur.

Ambroſius ſub Emanuele Gryſolora Literis Græcis incumbit.

PEr eos dies Bajazetes Othomannus, qui à celeritate nimia, fulguris nomen, (ut aſtruit Jovius) adeptus eſt, Biſantium valida manu oppugnabat. Quocirca Joannes Orientis Imperator Emanuelem Gryſoloram eruditiſſimum Virum ad Europæ Reges legatum miſit imploratum mature auxilium pereunti Græciæ. Cum verò interea Tamerlanes Orientis terror Bajazeti Bellum intuliſſet, eumque ad ſtellam montem collatis ſignis felici Marte ſuperâſſet, atque vivum cœpiſſet, Græcia præſenti metu liberata. Emanuel in Italia ſubſtitit, Venetiisque primùm græcarum literarum ſtudium, quaſi poſt ſeptingentorum annorum exilium, docendo ſumma liberalis ingenii humanitate excitavit. Cujus eruditionis vagante fama, factum eſt, ut omnes literarum

ſtudioſi adoleſcentes, qui ad obeunda græci eloquii præcepta impigerrimi eſſent, undique ad eum confluere viſi ſint. In his fuit Ambroſius cum plerisque Condiſcipulis: qui omnes quantùm Gryſoloram audiendo profecerint; quantùm abundaverint præceptis, & Inſtitutis græcæ Diſciplinæ, nemo eſt, qui neſciat, qui eorum verſiones, ſcriptionesque perlegerit. Porrò ubi guſtavit Ambroſius Atticam dulcedinem, eamque ad omnem Romani ſermonis veram eloquentiam, decoremque exiſtere cognovit, confeſtim magno cœpit ardere deſiderio, ut ſingulari ſtudio, & exercitatione facultate illa potiretur. Itaque omnibus aliis poſthabitis curis, ad id unum ſeipſum potiſſimum comparare ſtuduit: jamque ingenii periculum faciens, primus omnium in Schola ad traducendum latino ſermone quotidianas lectiones animam convertit. Cujus promptitudinem Gryſolora præcipuo amore proſecutus, eum verò doctiſſimis Viris adæquandum prædicans: Ambroſii ſtudium collaudatione celebrare non deſinebat. Mox tamen Venetiis diſcedens ut Florentiæ doceret, novam ineundæ vitæ occaſionem eidem præbuit.

Ambroſius Monachus Camaldulenſis efficitur.

CUm ad pubertatis annos propiùs accederet Ambroſius, & ætatem prudentiâ, atque judiciô magis roboraret; inſignium Philoſophorum Inſtitutum ſummopere admirari delectebatur: quorum ſummum ſtudium circa hominis virtutem verſatum eſt. Maximè verò Platonis ſententia perurgebatur, qui utique (perinde, ac ſi Chriſtianæ Fidei lumine illuſtratus fuiſſet) per beatam omnino juſtorum, cala-

calamitosam verò impiorum vitam esse, docere solitus est, & veram Philosophiam meditationem mortis. Itaque ab incunabulis Deum timere assuetus, videns intemperantem adolescentiam ad lasciviam & libidinem valde esse proclivem, quæ quidem ubi homini dominatur, innocentiæ leve præsidium est, nîl magis secum cogitare cœpit; quàm sese immaculatum ab hoc sæculo conservare. Cum id nulla alia ratione certiùs assequi posse condi fideret, quàm statum Monasticum suscipiendo, ad militandum Deo inter Camaldulenses tota se cogitatione jam converterat, sermones, profanaque studia magis in dies devitando, ex quo de Castitate inperpetuum servanda deliberans, se Corpus suum nunquàm temeraturum votum vovit Christo JESU Domino, & Gloriosissimæ MARIÆ Virgini. Porrò crescente Religionis arripiendæ desiderio, cùm nihil sibi statuêre licere inconsultis Parentibus intelligeret, ne quam forte ingrati animi, vel minus benè instituti filii notam subiret: votum suum Patri insinuavit. Qui licet initio filium à sententia abducere totis Viribus pertentâsset una cum Uxore, ad extremùm tamen ob pietatem in Angelorum Florentiæ Cœnobium, illum cooptandum curavit, ubi Ambrosius ad octavum idus Octobris sacrum Habitum suscepit annô à partu Virginis 1400. cum jam ageret vigesimum secundùm diem supra 24. suæ ætatis annum. Commissus igitur de more Religionis Novitiorum Magistro erudiendus, mox elapsô probationis anni terminô, ad octavum idus Novembris conceptis verbis in tria sacræ Religionis vota, Aram solemni ritu tenendo, juravit. Porrò ab exordio conversionis nulla pristini instituti oblivione captus, Ambrosius in ordinanda sacræ vitæ ratione talem omni studio, ac vigilantiâ se exhibuit, ut nulli vel veteranorum tam in opere Divino, quàm

in ſanctæ obedientiæ, & regularis cultu eſſet ſecundus. Crevit quippe in eo pietas, crevit religionis ardor, creverunt doctrinæ ſtudia pariter cum ætate, nunquàm commotus cujusquàm in juriâ: nullius imprudentiæ in modo, vel ratione notari potuit, ſed modum cum honeſtatis decore ubiq; tenere videbatur, omnes eum admirari, ac diligere quadam magna animi propenſione, ac velut ad Religionis ſplendorem natum celebrare ſtudioſaque proſequi obſervantia conſueverunt. Inter Patres qui Ambroſium merito virtutis amarent plurimum, erat Matthæus Senex magnæ ſanctimoniæ Vir Cœnobii Præfectus, & Gregorius Magiſter, uterq; eidem emulandæ virtutis extitêre auctores eximii, atque Patroni.

De ingreſſu in Religionem Hieronymi, Fratris Ambroſij.

SUb id tempus, quô Ambroſius cucullum induit, placuit DEO Optimo Maximo ejus Parentibus novæ prolis ſolatium non denegare; ſuſcepit enim Civenius ex Uxore ſua duas alias proles, marem unum, fæminam alteram. Cæterum inaudiens puerulus Hieronymus (hoc erat nomen maſculi) Ambroſii Fratris famam, cumque ex his, quæ de illo paſſim prædicabantur, magis magisque in dies movetur, ſe ad Fratrem recipere velle Penitoribus ſuis patefecit, & cum Coævis idipſum frequenter jactaret, factum eſt, ut Angelorum Cœnobium adductus puer (quaſi pia Genitrix inſtar Matris S. Bernardi Filios omnes mares Religioni edidiſſet) tandem in Angelicam Familiam fuerit feſtivè cooptatus. Traditus ergo Ambroſio Fratri erudiendus, ubi luſtravit Hieronymus Cœnobii officinas, contemplatusque

quomodò

quomodò hic ſtudiorum academia, hìc Librariorum ac Notariorum ferveret opus, hìc Minij, ac Picturæ artifices celebrem ſibi ſtationem elegiſſent, & illic Phrygiones ſcitè acu pingentes ſuperiorem domûs partem occuparent, ſummâ ubique dignitatis operis magnificentiâ, & ſi exædram præcipuè frequentare delectaretur, interjectis tamen horis picturæ ſtudiosè vacare cœpit. Unde ad Phrygios artifices delatas, quaſi quodam naturæ inſtinctu eximiè ſe in ea arte comparavit, ut qui eum ſuperaret, inventus ſit nemo: quemadmodùm ex omni Phrygiana antiqua Baſilicæ ſacra ſupellectile in Cœnobio Angelorum usque ad hanc diem videre eſt. Vacavit Hieronymus non ſegniter humanioribus, atque ſacris ſtudiis, quippe docenti Ambroſio, & in cathedra reſidienti ſemper adeſſe ſollicitus fuit. Quocirca Ambroſius ſive ad Nicolaum, ſive ad Franciſcum, ſive ad Leonardum ſcriberet, ſalutationem his verbis ſemper adjiceret: *Hieronymus Frater, Jacobus, Gregorius, Demetrius ſenex, cœterique ex ludo noſtro tibi ſalutem dicunt.*

Ambroſius varia volumina Græca in latinum verſa edit.

ERat Ambroſius morum geſtorumque majorum immodicè avidus perſcrutator, ſummusque antiquitatis amator. Ejusmodi verò incubandi rei multorum nobilium Florentinorum ſibi oportunè oblata occaſione, ita flagravit animo, ut omnem Reipublicæ Florentinæ morem, ad miniſtrationemque ad amusſim explorare contenderit. Jam, jamque omnem legem, Pacem, Bellum, & res illuſtres ſingulari volumine complexus, Familiarum ſic origines ſubtexuit; ſic dignitates & honores, & quo quisque tempore

 flore-

florere cœpiſſet, egregiô compendiô expreſſit, ut ex eo clarorum Virorum propagines omnes liquido cognoſci licuerit. Hæc cum luculentô admodum ſtylô ornaſſet, Volumen ipſum ſummo Magiſtratui munere dilargitus eſt, à quo gratiſſimè exceptum, veluti publicam memoriam conſignatam habens, publicis monumentis adjectum eſt ad ſolatium eorum, qui aliquam haberent cupiditatem clarorum ſuæ Reipublicæ cognoſcendi Virorum. Interea Venerabilis Pater Matthæus Prior Ambroſium ad ſacros Ordines promovere ſtudet; & cum eo, qualiter ad jurandum in Sacramenta Eccleſiæ ſe præparare debeat, & paulò poſt Sacerdotij inſignibus, charactereque initiari, frequenter verba facit. Monebat eum aſſiduè voto, inſtitutoque Religionis rem convenientiſſimam facturum, ſi non minùs ſtudii, operæ, ac diligentiæ in transferendis noſtratis Philoſophiæ Magiſtris impenderet, quàm facerent alii doctiſſimi Viri in convertendis externæ Philoſophiæ ſcriptoribus. Ambroſius igitur ad veram ſtudiorum Religionis, divinarum rerum ſcientiam ac laudem ſibi aditum perfectiori modo patefacere ſibi confidens, eam operam Divi Joannis Chryſoſtomi libris contra vituperatores vitæ Monaſticæ libenter primùm novare decrevit, eique Sanctiſſimo, ac Doctiſſimo Viro ſuarum lucubrationum primordia, quanta majori diligenti fieri potuit, ſacravit. Permotus eſt autem ea maximè occaſione, quòd non deeſſent æmuli, ac maledici, qui illum ad maxima natum Monachum latrarent; quæ nota duplici potiſſimum ratione ab Ambroſio; fingente longiùs ire, in dedicatoria Epiſtola ad ipſum Matthæum Priorem diluitur. Primò quidem; quia ex lectione S. Joannis Chryſoſt. propoſita Monaſtici Inſtituti dignitate, omni Cucullatorum generi apertus patet ſolatii campus, in quem quicunque deſcen-

ſcendit, habet unde diſcat talem ſe comparare, qualem auctor veriſſimam Monachi imaginem mirificis coloribus, quibus Apellis peritia hac in parte ſuperatur, ſuô penicillô artificioſiſſimè, elegantiſſimeq; expreſſam reliquit. Secundò, ut temeraria latrantium audacia, qui Religioſos deſpectui habent, præcipuè qui Monaſticam Philoſophiam carpere non deſinunt; ita reprimatur, ut omnibus maledicis ora perpetuo ſilentio poſthac obſtruantur. Siquidem noſtra cauſa à tanto viro ſuſcepta eſt eò ſtudio, quo nullus unquàm advocatus cauſam cujuspiam clientis vel ſuſcepit, & egit, vel majori elegantia, & ubertate unquam defendit.

Quod Germani, & ultra montani Ambroſij eruditioni plurimùm tribuant ex traductione S. Dionyſij Areopagitæ, & ex verſione diverſorum Librorum.

INter Sanctorum Apoſtolorum Diſcipulos S. Dionyſius Areopagita Epiſcopus & Martyr univerſæ Eccleſiæ admirationi eſſe conſuevit: adeò ut quemadmodùm JESU dilectiſſimus Evangeliſta Joannes ob ſui Evangelii ſubtilitatem Aquila nuncupatur, parimodo Dionyſius Divi Joannis Chryſoſtomi, totiúsque Græciæ teſtimoniis, volucris Cœli, ſeu potius Cœleſtis Angelus deſcribitur: quippe cui vix ſucceſſit unquam ſimilis ſacrorum interpres. Omnino ejus ſanctiſſime Scriptiones, quæ extant, Divinitatis opes cœleſtesque ambroſias mortalibus propinantes, veram mundi lucem, unicamque Dei intelligentiam altiùs, quàm omnis Philoſophorum ſapientia, & cor hominis ſcrutari poſſet, mirandum in modum explicant. Verum enim verò adeò altiloqua oratione, illuſtrique ſtylo ſunt

complexæ, ut multi doctiſſimi Viri in illis latia luce animandis plurimùm laboraverint. Hæ cum Ambroſius ætate quarto jam traductæ fuiſſent; nec multiplex hujusmodi dilucidatio Ambroſio ſatisfaceret; animum induxit ipſe ſuum huic quoque ſacro auctori ſtudium ſuum navare. Igitur propoſito ſibi græco Exemplari, noviſſimam edidit quinto loco lucubrationem tanta ſuavitate facilem, adeóq; clarè, & aperte explendeſcentem, ut græci ſtudii participium apparuerit potiùs in illo nativum ſermonem, quam aſcitum. Expreſſit autem latinis illud opus ſingulari eloquentiæ puritate, primum Monachus in libro de cœleſti, & Eccleſiaſtica Hyerarchia: deinde Generalis in libris de Divinis Nominibus, & Myſtica Theologia, & Epiſtolis (ut alibi dicetur.) Quo tempore cum Germani diſſertiſſimi, ac reliqui Ultramontani Ambroſii mirandam eruditionem in Concilio Baſilienſi & Florentino conſpicuam haberent, tantum huic lucubrationi tribuere, ut feſtive plurimùm hujusmodi volumen decoraverint, & mox imprimendum curaverint. Translatio nova Ambroſii Florentini Philoſophi, Rhetoris, & Theologi luculentiſſimi Abbatisque Generalis Ordinis Camaldulenſis. Præſtitit idem ſtudium Ambroſius circa Joannem Climachum (quem Matthæo Priori Angelorum præmiſſa epiſtola dedicatoria inſcriptum eſſe voluit) Præſtitit hoc ipſum & circa Gregorium Nazianzenum (cujus Calvariam ſacratiſſimam ad Cœnobium Angelorum deferri propterea obtinuit, una cum multis aliis ſacris Reliquiis) de quo Epiſtola 11 Gregorii Nazianzeni vitam, & græcam ſortem, latinam Cardinalis S. Angeli fecit diligentia. Erat in volumine, quod ex cripta ferrata acceperat poſt opera Gregorii inſerta; duosque quaterniones ad me miſit ſolutos, quam latinam facere ipſa novitas perſuaſit, ipſique

Car-

Cardinali dedicare idcirco visum est. Jucundissime conversabatur Ambrosius cum Venerabili Ludovico Barbo Abbate S. Justinæ Paduæ ; de quo ad Bar. Ep. 2. Optimus, ait, atque præstantissimus in omni Religione Ludovicus Abbas S. Justinæ dum reverteretur ad vos jucundè moratus est nobiscum. Amavimus insignem Virum, atque singulari quadam admiratione amplexati sumus. Huic Viro gratificandi gratia emendavit Ambrosius Chronica Cassinensis Cœnobii ex rudi lingua constantia una cum dialogo Desiderii. Habetur eorum Originale Apographum in membranis in Cœnobio S. Michaëlis Murani Venetiis cum elogio manu ipsius Ambrosii de causa ejus castigationis.

De familiaritate Ambrosij cum Eugenio IV. Papa, & qualiter ad Generalatum Ordinis fuerit assumptus.

INter præstantissimos heroes, quibus cum Ambrosio necessitudo conversationis singularis intercessit post clarissimum Virum Cosmum Medicem, summa & incredibili observantia Gabrielem Gondelmerium Cardinalem Senensem Protectorem Ordinis prosecutus est. Adeò ut illo ad Pontificatum Maximum evecto hujusmodi familiaritas nihil quicquàm imminuta, sed magis aucta sit. Igitur de Ejus promotione plurimùm exhilaratus, sic ad Justinum scribit: *Lætissimo nuntio affectus mirificè sum, quo Civem vestrum summæ reverentiæ Virum Gabrielem assumptum Pontificem Romanum percepimus.* Et ad Nico. 11. *Arbiter imò certè præsummo te & Pontificis mortem, & novi creationem audivisse : magno certè consensu omnium, magnoque cum gaudio, & mirabili celeritate,* contra

contra omnium ſpem Cardinalis Senenſis electus eſt, atque Eugenius IV. appellatus. Maximam Civitas noſtra lætitiam oſtendit, novaque ſibi luxuriari viſa eſt. Sperat enim fore, ut à ſtrepitu bellorum, quibus diutiſſimè vexata eſt, tandem conquieſcat. Quid plura? boni omnes mirificè gratulantur huic potiſſimum Eccleſiæ commiſſa eſſe gubernacula, qui unus omnium juſtiſſimus, & caſtiſſimus ſit. Electa eſt honorifica legatio: ſex enim Cives præſtantiſſimi, & ornatiſſimi gratulatum pergunt: Equites duo Laurentius Rodulphus, & Pallas Stotius. Juriſconſulti duo, Julianus Davanzatius, & Zenobius Guaſconius. Cives alii duo, Rodulphus Pirutius, & Laurentius, qui omnes propediem profecturi ſunt. Eugenio verò ex amicitiæ officio gratulari volens, pulcherrimam illam ad eum exaravit Epiſtolam, quæ in primo Epiſtolarum libro prima cernitur, cujus initium hæc habet verba: *Scribere ad te Eugeni Pontifex inclyte, & Chriſtianæ Nobilitatis ornamentum, ſuadet amor, ſed revocat timor, hortatur charitas, ſed terret Majeſtas. Quis enim ego ſum, qui alloqui audeam Dominum meum? vermiculus terræ, pulvis & cinis Vicarium Chriſti, ac Judicem omnium qua fiducia compellar? Nonne Majeſtas ipſa Pontificatûs perſtringit fulgore ſuo infirmiores oculos? omnemque tollit dicendi confidentiam, ſi eam intueri, osque ad loquendum aperire præſumpſero? verum cunctantem & trepidum animat fortior: Charitas officium provocat, admonet Chriſtus, qui te fecit humilem corde. Neque enim quia auctus es honore Pontificis, humilitatem Virtutum omnium Matrem, tutiſſimumq; fundamentum, ac certiſſimam ſedem dimiſiſti &c.* Adjecit Epiſtolæ munuſculum volumnis S. Bernardi: ſimul quibusdam illius Literis reſpondit, quibus adhuc Cardinalis de Regeſto Gregorii comparando antea ad illum ſcripſit, eáque occaſione Monaſterium Angelorum, omnemque Ordinem ſuæ Beatitudini ſummo affectu commendavit; qui

amiciſſimè multùm, ac benignè Ambroſio reſcripſit, unde ſic cum Nicolao gloriatur. *De nova creatione Eugenij Pontificis deq́ue ejus egregia fide, & volundate integerrima, nîl à me tibi ſignificandum fuit, ea omnia fama ipſa, & plurimorum literis jam pridem ſcienti. Nos, ut officio noſtro non deeſſemus (fuerat enim amiciſſimus noſtri Monaſterij) libellos Bernardi ad Eugenium de conſideratione accuratiſſimè ſcriptos miſimus, quos tanto ſuſcepit gaudio, ut explicari non poſſit. Literas ad me plenas benevolentiæ, & humanitatis dare dignatus eſt: quibus agit plurimas gratias, cum ex accepto munuſculo, tum ex literis meæ parvitatis, quas ad illum uberes ſatis, & exhortationis pleniſſimas dederam. Carolus noſter cum rediret Roma exultabat gaudio in laudes ſuas.* Interea Eugenius haud oblitus Clientela Camaldulenſium, Ordinem præcellenti patrocinio Joannis Picolominei Cardinalis S. Petri ad Vincula mirabili Paterno affectu commiſit; cui in mandatis dedit, ut Comitia Generalia ad S. Mariæ Urani Britonoci indiceret, paruit ille juſſis, indictaq́ue Prælatis Comitiorum die, explorato tandem de more diffinitorum ſentimento, Generalatûs inſignia Ambroſio, licèt diutiùs renitenti, per Cardinalis manus ſunt collata. Cui ubi ab omnibus Prælatis, ac Monachis obedientiæ Sacramentum demore præſtitum eſt, conventus eſt dimiſſus. Porrò Ambroſius ubi à Cardinali dimiſſionem impetravit, recta ad ſacram profectus eſt Eremum, trigeſimáque die Camaldulum pervenit maximo omnium gaudio utrobíque cum proceſſione ſuſceptus, & in templum ſolemni more deductus. Exacto autem obedientiæ Sacramento, & ordinata Familia, ac domo, mox per pratum vetus iter faciens Florentiam ſine mora commigravit; ubi non minùs ab Angelicis Fratribus cum lachrymis propter lætitiam exceptus eſt, quàm incredibili totiùs Civitatis plauſu. Tantus quippe

pe Nobilium, & Amicorum ad eum factus est undique concursus, qui gratulatum eidem pro adepta dignitate catervatim precessere, ut nullus locus eos capere posset. Interea exploratum habens Ambrosius non paucos Religionis Monachos vagos huc illuc discurrere, hos accitos, plurimúmque leniter admonitos ad Claustra regredi imperavit; exinde verò quotquot comperiit obstinate nimiùm se gerere, compedibus vinctos carceri tradi jussit. Quod ipsum cum in aliis quoque Urbibus ac locis summo jure exequendum curâsset; difficile dictu est, quantum Ambrosii Generalatûs in omnibus Italiæ locis terroris incusserit, quantùm ab omni laxioris indulgentiæ morbo efficacis fecerit medicinæ, unde de illo prædicatum fuit illud Poëtæ carmen: *parcere subjectis, & debellare superbos.* Usus tamen in omnibus æquitate, maluit ad extremum aliquibus obstinatiùs secum agentibus aditum per suum assensum ad alienas Religiones patêre, quàm ut quisquam candidum habitum Camaldulensem sua scelerosa vita conspurcaret, uti ex commentariis est videre. Porrò præcipuum Ambrosii studium in Urbe (sicut semper & in aliis locis) fuit Sacrosanctas Basilicas celebriores summa Religione ante omnia adire, & Sanctorum Reliquias ubique devotissimè venerari; deinde Bibliothecas evolvere, & singula antiquitatis monimenta perscrutari. Notavit Ambrosius in Bibliotheca Pontificis quædam volumina, nihil tamen aliud novi invenit, quam Isach Syri opuscula de perfectione vitæ Religiosæ.

) o (

De

De Concione Ambroſij ad Sigismundum Cæſarem pro Privilegiorum confirmatione.

INter hæc, cum certus allatus eſſet nuncius, Epiſcopi aſſertione firmatus, quatenus Magiſtratus ſumus Florentiæ Ambroſium Baſileam proficiſci omnino ſtatuiſſet: Ambroſius nulla interpoſita mora Ferrariam ſeceſſit: ubi ſtatim venit ad illum Guarinus Veronenſis una cum Leonello Principis filio mitis clarique ingenii Adoleſcente, & multa de re literali verba facta. Cumque nullam moram interponere liceret, Bononiam ad 3. Calend. Auguſt. ad S. Chriſtinæ ventum eſt Cœnobium, ubi libuit venerari corpus B. Luciæ, & ejus vitam inveſtigare. Eodem tempore factus certior Sigismundum Imperatorem propediem Ferrariam eſſe venturum, rediit eodem feſtinatè, ut Privilegiorum confirmationem impetraret; intromiſsúsque ad illum interventu Guarini Viri Illuſtriſſimi, quo apud Imperatorem nemo plus gratia poterat, docta deîn latináque oratione adventûs ſui cauſas expoſuit, cujus hæc capita fuiſſe in commentariis prodit. Se primum ſuam Sacratiſſimam Majeſtatem ex debito officii adire voluiſſe, ne deditiſſimi ſervuli Camaldulenſium Patris munia in optato ejus adventu obire prætermitteret, quem vel etiam in remotioribus conſtitutum viſere debuiſſet. Deinde ut eidem teſtatum reliqueret Camaldulenſis Religionis primordia ſub Imperatorum auguſta tutela ſemper à primæva origine fuiſſe; usque adeò, ut

ut amplissima privilegia tùm à cæteris, tùm præcipuè ab Ejus Patre piæ & augustæ memoriæ concessa fuissent. Ea secum afferre voluisse, ut ipse quoque confirmare dignaretur: postremò cum solemne sit, munera utcunque Patronis offerre, adjecit perorando, se ex instituto Religionis inopem, vice auri & argenti ejus Pietati munusculum vitæ S. Joannis Chrysostomi à se ex græco conversæ in latinum exhibere. Ubi finem dicendi fecit Ambrosius, Cæsar benignum dictis responsum accommodans, gratóque animo libello cum Privilegiis accepto, diutiùs Ambrosium clementissime allocutus est, ut ad Concilium iret, hortatus. Quod verò ad Privilegiorum confirmationem pertinet, Diplomatis paginam Cancellario astanti tradidit, se libenter ejus votis satisfacturum pollicitus. Porrò Anna Augustæ Filia Ambrosii orationem legere voluit, quam & apud se retinuit. Prosecutus interim Regem Ambrosius in Templum euntem, Missarum solemniis una secum interfuit. Cum verò multis legationibus intercedentibus Privilegiorum negotium longiores nimiùm acciperet moras: Ambrosius ut sumptibus parceret, missionem impetravit, negotiumque Privilegiorum per Priorem Sancti Damiani confici voluit.



De

De mirabili Ambrosij frotitudine in obitu Hieronymi Uterini Fratris sui.

NAvabat operam Ambrosius reditus duorum Fratrum ardentissimè, quando Hieronymus ejus Frater levi primum febri, ac Stomachi doloribus agitatus, denique Viribus sensim destitui cœpit. Is brevi se mortales auras relicturum prævidens, Ambrosio admissorum criminum expiationem facere voluit, ejusdémque manibus Sacramentis Ecclesiæ suum excessum præmunire: quæ munia ille tanto charitatis affectu præstitit, subinde verò tanta se constantia, atque animi fortitudine in gravissimo casu mortis ipsius Hieronymi comparavit mirantibus cunctis, ut non solùm sibi virilis animi magnitudinem inesse ostenderit; sed illud quoq; præ se tulerit, quod in sapiente Viro summopere desideratur: cujus utique proprium est nihil extimescere; omnia humana despicere; nihil quod homini accidere possit, intolerandum putare; *sicut fortitudo est* (ut inquit Chrysippus) *scientia perferendarum rerum, vel affectio animi in patiendo ac perferendo summæ Legi parens sine timore.* Sic enim docuerunt nos, præter cæteros, Horatius Pulvillus, Anaxagoras, & Dion: quorum alter nunciata Filii morte, cum esset Pontifex, & in capitolio ædem Jovi dedicaret; neque Ministerium interrupit, neque vultum à publica Religione ad privatum dolorem flexit. Alter nihil novi renuncias, inquit, illum enim ex me natum sciebam esse mortalem. Tertius, cum Fi-

lius è summo culmine domus exanimatus cecidisset eo sedente cum amicis, nullo signo mœroris dato, illum humari jussit, sermonemque institutum prosecutus est. Porrò Ambrosius morienti Fratri astans eodem semper vultu; eadem fronte; vel nulla etiam Dignitatis habita ratione extrema omnia humanitatis officia, stupentibus omnibus, peregit, quin etiam prolato corpore, Missarum solemnia, consuetasque in eum exequiarum preces parentando per se exsolvere voluit, astans juxta feretrum, dilectique Fratris faciem intuens; nec non absque gemitu & lachrymis eundem postremò sepulturæ tradens, cum tamen omnes præ affectu pietatéque deflerent, & quomodò Ambrosius siccis oculis persisteret, maximopere mirarentur. Qui revera quam transfixus præcordia gravissimo doloris ictu, spem vultu more fortissimorum, atque constantissimorum Virorum simularet: paulò post excussio frequentissima lachrymarum manifestiùs aperuit. Obiit Hieronymus nonis Octobris Anno 1434. tertia ferme hora noctis cum ageret annum sextum ac trigesimum, quorum 25. in sancta conversatione exegerat. Fleverunt illum mortuum singuli, præcipuè juniores ab eo educati: qui cum desiderium illius acerbe ferrent, Ambrosius iterum summè legi parens, intrepide eos blandè consolari adortus est, defunctóque Fratri suffragia postulans, ejus integritatem vitæ, magno encomio sic in exemplum posuit. *Quanquàm ea fuit*, inquit, *illius vita sic religiosè, tamque piè exacta, ut nihil illi omnino metuamus; fuerat enim ab ipso pueritiæ limine, ut alter Samuel enutritus in Templo DEI: nihilque hauserat præter sanctimoniam, & Religiosos mores; his innutritus, atque versatus ita in DEI famulatu profecerat, ut integer-*

integerrimus Monachus omnium judicio haberetur, ac fidelis, & prudens Servus Domini sui. Nemo in tota vita illum iratum vidit: nunquàm tristem. Induerat misericordiæ, ac Pietatis viscera, ut nullius lapsum absque lachrymis audire posset, nullius non miseretur errorum, & quantùmcumque in se esset, semetipsum opponeret murum contra faciem Damasci pro Domo Israël, seque ingereret esurienti cum pane, & cum aqua sitienti. Adeo verò fuit obediens, ut, in Cœnobio nullus ulla ætate, consensu omnium, magis in ea virtute eluxerit. Neminem unquàm vel levi sermone offendit. Norunt ista omnes, qui vixerunt nobiscum Fratres: utque quia caro nostra est, & quàm parce illa attingam, omittamque plurima, testes optimi sunt. Functus est munere annos plurimos Novitios educandi, partim mecum, partim solus tanta gratia, tantaque cura, ut omnes genuisse videretur. Mixta erat severitati serenitas mira, ut Patrem & nutritium affectu mirabili prosequerentur, & Magistri tamen censuram metuerent. Quid verò de illius puritate, ac munditia prosequar? elucebat in ore, atque oculis virgineus pudor, & veluti per fenestras animæ nitor penetrabat. Nullus (quod pace reliquorum dixerim) illo innocentior, purior, sanctior, Prudentiam illius admirari maximè ij possunt, qui eo familiariùs usi sunt. Nos certè quantùm amiserimus, experimur quotidie, dum ejus consilium desideramus, dum præsidia consueta requirimus. Educatus quidem ille fuerat à nobis (quod sine invidia Nominis nostri dictum sit) verum gloria & meritis longe anteibat. Didicerat à puero artem pingendi acu, in qua supra omnes ætatis nostræ eminebat. Parva sunt hæc comparatione majorum. Cum ingenium excellens nactus esset, expolitumque satis, liberalibus studijs, & literis sacris maximè excitatum, urebat præcordia illius zelus Domûs DEI, cujus decorem ab infantia

ſantia, majore ſemper ſtudio, & intentione dilexit. Me miſerum atque infelicem, poſteaquàm ſcelera mea è quiete Monaſterij in occupationum infeſtum injicere pelagus, avulſusque ſum à formoſa Rachelis amplexu, dulcisque Fratris optimo contubernio privatus: qui ita miſeratus eſt, ita vices indoluit noſtras, ut omnium fermè curarum, & cogitationum noſtrarum accederet participes: omnia metueret nobis, etiam quæ tuta eſſe viderentur. Imbiberat puer verum in os, & permanum prorſus affectum. Verebatur ut Patrem: diligebat ut Fratrem: fovebat ut Filium: Paternam ſibi ſollicitudinem ſibi vendicans. Mea penitus ſcelera, Fratres, ut tanto bono diutiùs frui non quiverim, in cauſa fruêre. In quo mihi poſt te Hieronyme dulciſſime requies? quis portabit onera noſtra? ad quem aſpiciam ultra deſtitutus te dulci ſolatio, & unico vitæ meæ præſidio? ad quem ſcribam, & effundam omnes æſtus cordis mei? quis me jam conſolabitur mœrentem? heu miſer nec jam expectabo literas tuas, jam fraterni amoris indicia referam nulla. Hîc autem (quod ex intimis præcordiis Fratris memoria ſic ſe moveri perſentiret, ut ultra ferre non poſſet) ſed alius inquit lamentationis ſervetur locus; commemoratisque multis ſummæ Fidei Hieronymi indicijs (maximè quod adducto ad eum juvene, qui ferebatur mederi febribus: iſtoque pollicente intra quatuor dies incolumen futurum, ſi quid edendum ſuſciperet, quod non videretur; ſubijt repente Hieronymo ſuſpicio, ne carnibus fortaſſe uteretur: idque cum ſimplici ejus confeſſione didiciſſet, exhorruit, neque paſſus eſt ultra illum ad ſe accedere, mori malens, quàm ita liberari) conventum ſolvit, & ſorori conſolatorias ſcripſit literas, cognatumque ad eam miſit: nam ruri morabatur, nec evocata de induſtria fuerat, ut coram illi miniſtraret, cum lege loci nunquam Mulieribus intra ſepta Cœnobij patuerit acceſſus.

Quomo-

Quomodo Ambroſius Animam Hieronymi Fratris Eugenio Pontifici commendaverit, & novum à ſe traductum in Vitas Patrum volumen ab illo probandum curaverit.

COnſtituerat Ambroſius ea ipſa die ex Angelico Cœnobio demigrare, ut cum mœſtitiæ cauſas, tum frequentes amicorum viſitationes, qui ipſum officii cauſa adibant, vitaret; ſed detinuit eum Fratrum, ac Filiorum omnium ſyncera charitas, crudele eſſe dicentium, ſi tam cito eos deſereret. In eo Ambroſii caſu enituit maximè Sebaſtiani Abbatis Camalduli Florentiæ pietas prope ſingularis: is quippe amare illachrymatus funeri, videns Ambroſium incredibiliter Fratri affectum, ſenſu doloris vel maximè macerari, eum deſerere vel ad tempus paſſus non eſt: ne ſolitudo majora mœſtitiæ fomenta ſuggereret: mane verò ad Monaſterium S. Salvatoris eum magno artificio deduxit, & rura Cœnobii luſtrare fecit. Interea dedita opera varii quoque ſupervenerunt Monachi varia in negotia ejus mentem diſtrahentes. Antonius item Aretinus commendatitias ab eo literas petiit ad Pontificem pro impetrando Epiſcopatu Aretino. Abbatiſſa Prati veteris Florentiam curandæ malæ valetudinis gratia advenit. Verumtamen adeò inhæſerat medullis doloris vulnus, ut nihil obſtiterit: quin noctes multas inſomnes duxerit, Prælatiſque Monachis, & amicis quaqua verſum literas, inſtar Elegiarum ſolutæ orationis, ſcripſerit, rogans ſingulos magno cordis affectu, ut Hieronymi animam precibus proſe-

prosequerentur. Quanquàm in Epistola ad Justinum Plancum, & ad multos alios hujusmodi habet verba: *Neque ambigo, quin Hieronymus cum DEO sit, & interpellet pro nobis. Ex quo magis ac magis stuporem, ac stoliditatem meam perhorresco, qui & mihi & illi potius gratulari debui, siquantùm decet obsecutus essem rationi.* Et ad Angelum Politianum. *Omne solatium vitæ, fidele adjutorium, consilium prudens, fortè præsidium amici, sed Fratrem carne, germaniorem spiritu gemo quidem sub verbere Domini, neque tamen murmurare præsumo.* Scripsit & Cardinali Ursino Ep. 4. cui quædam opera dedicaverat, intulit inter alia, *Hieronymum, ore, ut pie quoque, ac benedictione tua comiteris Pater: erat enim verè Filius tuus, & dignus quem mecum pariter diligeres, virgo, purus, ac integerrimus Monachus.* Nactus occasionem scribendi ad Pontificem tum in favorem Cleri Aretini (ut Ep. 17. *commendo sanctitati tuæ negotium Aretini Cleri, ne illum ad acerbissimi fœneratoris instantiam vexari permittas*) *tum ut iniretur Pax inter Dimerium Galeotum de Cavetalo, ac Joannem juniorem Gysonem*, in primis tamen de obitu Hieronymi Fratris illi significavit hisce verbis: *Ad lucernæ igniculum Hieronymus Frater meus, qui mecum multis annis Christo servivit Monachus integer migravit ad Christum, quem peto ut benedictio Pontificalis Domini mei prosequatur.* 10. Kal. Novembr. Miserat ad illum & munusculum cum his Literis: *Domino sanctissimo Patri Eugenio Ambrosius. Volumen de vitis Sanctorum Patrum à me traductum sanctitati tuæ mittere placuit, opus & si non grave, dignumque sanctissimi judicij Viro, novitate tamen sua, aliquid voluptatis allaturum. Sanè istud imprimis mihi curæ fuit; ut simplicitatem græcæ dictionis servaret latina translatio. Id opusculum si fuerit auctoritate tua confir-*

confirmatum, legendum edetur. Commendo meipſum ſacris veſtigiis tuis Pater beatiſſimè, ex noſtro Monaſterio 8. Idus Auguſti. Non eſt ſilentio obruendum, quod Ambroſius multùm pro Pontifice laboraverit, ut Arx Adriani, quæ S. Angeli dicitur, in jus ejus veniret, traderetur que in manibus unius civis Romani fideliſſimi opera Stephani Portii, ut Ep. 18. habetur. Quaſi verò Ambroſius omnium commodis eſſet natus, interpellatus ab amicis undique, uſus eſt Pontifice multis in cauſis valdè familiariter. Ut in cauſa Angelorum, cum accerſitus Ambroſius ab ampliſſimo Civitatis Magiſtratu, juſſusque amovere ex Clauſtri partibus Mediceis libere ſtudentem: noluit exemptioni Monaſterii præjudicium inferri, quæ erat, ut nemo invitus amoveri poſſit.

De legatione Ambroſij Baſileam ad Concilium, & de ejus pro Pontifice geſtis, & quanto fuerit honore exceptus.

DUm hæc Florentiæ aguntur, res Concilii Baſilienſis æſtuantes non niſi ſedari incipiunt. Igitur ut initio decretum fuerat, Ambroſius unà cum Antonio Auditore ad Synodum legatus à Pontifice mittitur, qui cum Thadæo & Auguſtino Monachis Angelorum iter proripiens, per Alpes Piſtorienſes Mutinam deſcendit, & Mantuam Victorini viſendi cauſa progreſſus, ibi Antonium expectavit. Victorino autem abſente, ea nocte apud Carthuſianos hoſpitatus, mane eum ad Corda Caſtellum petivit, qui ſolatii gratia Principis Filium Joannem puerum annorum 14. à ſe eruditum ſecum adduxit: qui memoriter verſus circiter ducentos à ſe factos protulit, quibus pompa deſcribitur, quando Imperator Mantuam ingreſſus eſt; tanta ſuavitate pronun-

ciationis, ut Ambrosius scripserit ad Mariotum Ep. 38. id sibi pro miraculo subiisse, hæc addens verba: *vix enim putem Virgilium, cum sextum Æneidos Augusto præsente recitasset, plus gratiæ in pronunciando habuisse.* Reliquit victorino Ambrosius quoddam suum opusculum: & inde Veronam progressus est, à Francisco Barbaro Prætore humanissimè susceptus, deinde per Tridentum Constantiam adequitavit, ubi remoratus triduum, tertiô demum die Basileam pervenit 13. Calend. Septemb. 1435. magno gaudio occurrentibus cunctis susceptus. Deduxerunt illum imprimis Equites quadringenti; Cardinales singuli familiam suam obviam misêre, & Prælatorum plerique, qui venire ipsi nequiverunt, legationes omnes occurrerunt honorificè: sed Hispani alacritate sua planè omnes superarunt: magnificentissimo enim apparatu prodiêre, tantáque exceperunt lætitia, ut reliquos fermè obscurârint, uti Ambrosius ipse memoriæ prodit. Ambrosius sexto postquàm ingressus fuerat die, doctam peroravit orationem, prolixamque satis clariore voce ultra morem suum dicere rogatus, benigneque auditus, negotiis Pontificis, & Ecclesiæ frequenti studio incumbere cœpit, adeò ut data mox sæpe, ac sæpiùs responsione ad omnes petitiones, quas synodi Oratores facerent; omnes fermè Cardinales, & Antistites reliquos contrariæ partis Pontifici magno eloquentiæ flumine, summaque totius generis Camaldulensis gloriâ conciliaverit. In quam rem plures ad Pontificem exaravit literas, multósque Cardinales illi diligenter commendavit. Perpessus est Ambrosius Basileæ multa adversa, multumq; pro Pontifice cum effectu optimo laboravit.

Lega-

Legatio Ambrosij Viennam ad Sigismundum Imperatorem pro terminando Concilio Basiliensi, & quam honorifice fuerit susceptus.

AMbrosius à Concilio ad Sigismundum Cæsarem legatus mittitur pro terminatione seu translatione Concilii Ferrariam & evocatione Græcorum. Per eos dies Episcopus Segniensis ab ipso Sigismundo Basileam missus magno commodo Ambrosii advenerat. Igitur una secum carpens iter 8. idus Novembr. & aliquamdiu cum honore comitatus. Ulinam septimo pervenit die: unde navigio Viennam petere consilium fuit, quòd terrestre iter & liongissimum foret, & periculo non carere diceretur: proinde jumentis terrâ præmissis, duabus Cimbis ex cavato labore confectis, quemadmodùm mos est illarum gentium, paucis diebus Ratisbonam nobilem & opulentam Urbem appulsum est. Offendit ibi Ambrosius Monasterium miræ pulchritudinis, nec non plura Cœnobia, Monachosque Religiosissime viventes, ubique susceptus magno charitatis affectu. In eorum uno, cui titulus est S. Mauritii præcipuam expertus est reverentiam, ac venerationem erga sedem Apostolicam, summumq; Pontificem. Proinde confirmare studuit spirituali oratione Monachorum corda; rogatusque ab Abbate & Congregatione, locum cum Familia Pontifici commendare, & constitutiones Benedicti antecessoris, quas reformandis Monasteriis dederat, confirmandas curare, pollicitus est libenter Ambrosius suam operam, easque in volumen redactas secum detulit, roborandásque Apostolica potestate in suo reditu Christophoro Episcopo Cerviensi, & Placido Cubiculario imprimis

mis tradidit; uniqueex Monachis ipsius Cœnobii, qui propterea Romam venit, obsignatas restituit, ut Ep. 39. habetur. Porrò ubi Ratisbona discedens aliquamdiu prospere navigâsset, apud quemdam pontem omnes in magno versati sunt periculo, cum enim naviculæ magno ferrentur impetu, partim remis impulsæ, partim aquæ decursu, gubernatores, qui in prora, & qui in puppi cimbas remis agebant, dum in diversa diffidentes niterentur, in pontis latus procubuêre, ita ut dextra navicula plena ferè impleretur aquis, & sinistra mergeretur. Verumtamen summa vi remigium rippæ fluminis non sine miraculo restituti, castigatisque nautis gravi objurgatione verborum, Viennam incolumes sunt ingressi. Audientes verò Imperatorem abesse, demùm equis advenientibus, quarto die ad Castellum quo Cæsar solatii causa diverterat pervenere 13. Cal. Januar. Ubi Ambrosii adventum Cæsar didicit, misit, qui eum cum honore deducerent, ad seque accersitum excepit humanissimè, audientiamque publicam in Alba regali, exindè iter diei distante, se illi daturum pollicitus, eo ut se præcederet hortatus est. Moverunt Ambrosius & Socii ante lucem, cum verò ad desideratum locum fœliciter perventum esset, petierat Instructiones sibi dari à Ministris ad Imperatorem necessarias, qui ipsum enixè rogarunt, ut id quod concepisset, paucis proferre dignaretur. Concionatus igitur præsente Imperatore gravissimè auditus est, adeò ut non inutilis fuerit ejus labor: Oratio quippe necessariò & honestis ex causis ita temperata est, ut abstineret à conviciis, nec palàm in Concilium inveheretur. Postremò perfunctus quàm optimè legatione suâ. Albertus Dux Austriæ Cæsaris gener, qui postea ad Imperii fasces evectus est, cui Ambrosii cura demandata fuerat, Ducem itineris Michaëlem Permistroferum Viennensem familia-

familiarem suum Virum Nobilissimum illi dedit, qui amore atque affectu summo illum deduxit: qui valedicens impensè rogavit, ut Indulgentiam in mortis articulo maximi beneficii loco sibi à Pontifice impetraret. Igitur cum ineunte Martio 1436. ad Pontificem rediisset Florentiam, Ambrosius festivè ab illo & ab universa Civitate exceptus, votis pii Michaëlis satisfacere studuit, monuitque eum Pontificis nomine ad perseverandum in devotione sedis Apostolicæ, gratias illi humanissimas agens, quòd pro ipsius sacræ Sedis reverentia Ambrosium comiter, humaniterque pertractâsset.

Qualiter Ambrosius rem Ecclesiæ Romanæ cum Græcis in Concilio Florentino strenuè defenderit, & de sua Oratione Græca & de Epistolis S. Gregorij Papæ è latino in græcum conversis.

TRanslato Concilio Basiliensi primum Anno 1438. 3. Oct. Ferrariam, deinde Anno insequenti Florentiam, propterea quòd Civitas illa magìs libera visu esset, & pacifica, ac salubriori aëre abundare. Convenerunt itaque tum Pontifex maxim. cum Cardinalibus ac Præsulibus latinis, tum Joannes Constantinopolitanus Imperator, unà cum Patriarcha & Antistitibus græcis, qui omnes magna pompa suscepti fuêre, præcipuè ipse Orientis Imperator, in cujus honorem Florentina Juventus, quòd tempore Bacchanaliorum ejus adventus incidisset, miranda spectacula egit. In eo conventu Ambrosii eruditio fidelissimúsque erga Romanum Pontificem affectus inter cæteros mirandum in modum emicuit: quippe cum græcis assiduam pugnam iniens, summâ vi pro sanctæ Sedis Apostolicæ, Vicariáque Christi libertate stetit: Negotiumque reductionis ipsorum Græcorum, & Ecclesiæ Orientis

tis ad veram & Catholicam fidem prospere ac feliciter finem suum sortiri ea auctoritate studuit, ut hujusmodi Epistolam ad Eugenium Papam scripserit. *Domino Sancto, ac Beatissimo Patri Eugenio Ambrosius humillimam subjectionem. Commendo quanta possum instantia tuæ Beatitudini negotium græcorum, ut finem accipiat maturè sacratissima ista, & nimiùm necessaria unio: quandòquidem res miserante DEO ad id deducta est, ut in tuo sit nutu, & de tuæ sanctitatis arbitrio pendeat: nempe quæ sponte tua libere pollicitus es, pro viribus cumulatissimè implere conveniret. Ut sic peracta unione, Imperator cum honore, potentiaque remeet, classe ad id comparata, quæ illum deducat abeuntem, & non modò tuetur, verum ut & terrori sit adversarijs, faciat. Ista, ut sum modo certior factus requiruntur à Beatitudine tua, quæ ut promittat firmiter, & celeriter exequi studeat (quia multùm conferre tuis commodis ad enervandas penitùs hostium vires, certo scio) oro atque obsecro maximum in modum. Adveniunt, ut audio, Legati Principum: & vehementer cupio, ut inveniant negotium confectum, ne dilationes inquirenti Imperatori suggestio illorum animos addat, protrahaturque res, & elabatur, quam in manibus tenere videmur; & omninò ante illorum adventum res concludenda est; etiamsi advenientes Legati, & fortassis hujus rei gratia properantes ad impediendum; si fieri possit, uspiam extra Urbem detinendi sunt. Ista sunt Pater sanctissime, quæ in rem Græcorum suggerenda visa sunt tuæ piissimæ Beatitudini, cui me tota intentione commendo. Ex Monasterio Angelor. Cal. Junij.* Composuit Ambrosius græcam orationem, ut eam pro majori amplitudine, dignitateque latinorum in generali Conventu græcæ haberet: verùm veriti æmuli, ne plurimùm honoris Ambrosio ex hujusmodi re accederet, variis moliti sunt artibus, ut tanquàm latine ejus agendæ facultas sit adempta. Qui quam inique se gesserint, disertissimus Vir Leonardus Justinianus ex responsoria sua Epistola ad Ambrosium hisce verbis

bis testificatus est. *Orationem tuam græcam, circa quam judicium scrutaris meum, ita lego, ut & sententiarum elegantiam, & ornamenta verborum, & puritatem sermonis ex homine latino fluentem nunquàm in illa non admirer, pariter & irascar improbitati eorum, qui ne illam recitares, impedimento tibi fuere. Vale Vir Dei, & Marcum Fratrem, quem viventem dilexisti, mortuum quoque Orationibus tuis, & Fratrum prosequere quæso. Venetiis 26. April.* Emicuit excellentissimè in eo scribendi genere Ambrosius, & loquendi facillitate, adeò ut præcipuam atticæ linguæ elegantiam, dulcedinemque referret, & per oblectationem latina quoque non pauca in græcum convertere, cum per ocium vacaret, delectaretur. Unde ad Nicolaum Ep. 5. sic inquit: *Natus est in me amor experiendi si quid valeret tenue ingeniolum in convertendis latinis monimentis in græcam linguam. Arripui mox synodicam Epistolam Gregorii Papæ nostri prolixam, & doctrinæ singularis ad Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanumque Sacerdotes, totamque transtuli. Animadverti, si illi operi insisterem, magnum me exinde fructum percepturum. Statui, & illas convertere, quibus objurgat Constantinopolitani Episcopi superbiam, possunt enim ista suo tempore esse non inutilia.* Et paulo inferius. *Archimedes Geometer venit in manus nostras, citius omni opinione ex arabitur: assuefacio manum scribendis literis græcis &c.* inter hæc Amicorum precibus impulsus Epistolarum suarum collectionem facere, rem satis difficilem aggredi coactus est, quod familiariter Romano sermone omnibus scribens, nullum exemplar penes se retinere unquam consuêsset. Unde sic ad Christoph. Episcopum Ep. 32. *Vix*, inquit, *possum non mirari instantiam tuam, qua nostra omnia tam studiosè inquiris, ut, nisi morem geram, obnoxium me summo ingratitudinis vitio recognoscam.* Hinc ad Leonardum scribit: *Instant apud me magni Viri, quorum preces nequaquàm negligere possum, ut epistolas meas illis scribendas tradam,*

&

& cum harum nullas apud me copias esse respondeam, eas ut ex his, ad quos scriptæ sunt, colligendas curem, postulant avidissimè. Porrò id quàm sit verecundum non ignoras, nec tamen vel hoc ipsum illis negare possum, ea sunt insignium Virorum merita. Te oro, si quæ sunt apud te ex nostris (nam plures memini) eas ad me mittas, quando transcriptæ erunt remeaturas: ignoscasque pudori meo. Tanta studendi & scribendi aviditate ferebatur, ut familiares cuncti mirarentur, quomodò in tanta studiorum, ac lucubrationum, & negotiorum frequentia Ambrosius vel cibum, vel somnum caperet. Testatur id præter cæteros Maurus Monachus S. Matthiæ, qui eum componendis libris continuò intentum fuisse memorat. Quanta verò se gesserit prudentia, sapientia, judicio, & consilio in exercenda Animarum cura, & studendo totius Ordinis incolumitati, & amplificationi, nihil est quod scrutari oporteat. Bonis quippe optimus semper fuit, Pauperum Pater, Studiosorum Mecænas, Magister, & Schola: erga afflictos, & ægrotos ex intimis cordis penetralibus commovebatur, eosque piissimè tam verbis, quam ope consolari minimè intermittebat.

De Ambrosij obitu, & quomodo lilia supra ejus cadaver orta sint.

ANno 1439. compositis ultimo loco Concilii Florentini rebus secundùm Deum, atque pacem, & exaltationem sacræ Sedis Apostolicæ, Ambrosius una cum cæteris Antistitibus, Sessionibus & Actis, in forma se subscripsit. Honoratus fuit à complurimis Græcorum variis græcis voluminibus, aliisque insignibus muneribus: maximè verò sericis, auratisq; diversi coloris vestibus ex quibus sacra Ornamenta Templi confecta sunt, quorum pars adhuc in sacrario, ob memoriam

Inclytæ

Inclytæ Ambrosii virtutis asservantur. Civitas verò tota, & sacra Cardinalium cohors sese cum Pontifice Ambrosii meritis plurimum debere compertum habens, eum Purpuræ (ut refert Jovius) constanti judicio destinavit. Verùm cum pestis in Etruria grassari cœpisset, Ambrosius 12. Cal. Nov. Florentiæ intempestive extinctus, nunciatus est. Prodit memoriæ Maurus S. Matthiæ Monachus ejus mortem non sine veneni suspicione contigisse, quòd videlicet æmuli ejus virtuti invidentes, ad celsiores honores Ambrosio viam intercludere, sibi ipsis gloriosum duxerint. Elato funere corpus ad sacram Eremum delatum est, ubi in Templo honorificè conditum fuit ante majorem Aram. Refert Jovius, ejus mortem plurimis Elegiis, variisque carminum generibus, doctissimus quisque illius sæculi deploravit, neque defuêre, qui ejus eruditioni plurimum semper tribuerunt. Paulus Jovius in suo Musæo apud Comum ejus effigiem inter illustres Viros habere voluit, cui & elogium notissimum inscripsit hujusmodi:

Qui legis hunc tumulum, legeres si scripta sepulti,
Possentque hîc oculis, nuda patere tuis:
Quam fluit eloquio, quam dulciter afficit, ut que
Nîl nisi nectareum, quolibet ore sapit.
Divinus fieres, nec quamlibet ante sciisses,
Jurares dictum protinus Ambrosium.

Porrò Eugenius Pontifex Maxim. de Ambrosii interitu ita indoluit, ut scribit Maurus, ut nullam propriam jacturam, nullum adversum casum graviùs unquàm tulisse visus fuerit, adeò ut aliquamdiu ingemiscens eum ex nomine vocare non cessaret, *Ambrosi fili quis te mihi eripuit? quis Ecclesiæ lu-*

 men

men adeò tempeſtivè extinxit. Egit ex Monachis ipſe Maurus ſenex Ambroſii mirum encomium, quo eum Angelis, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, Doctoribus Eccleſiæ, atque Confeſſoribus ob integritatem vitæ, defenſionem veritatis fidei, innumeras lucubrationes, & imitanda ab omnibus Pietatis exempla comparat; Virginibus verò certiùs confert, quò eum caſtiſſimum ſexagenario majorem è vita exceſſiſſe, candidisſima lilia, quæ intra paucos dies ſuper ejus tumulum excrevêre, & non ſemel ab Eremitis collecta, patenti argumento fuêre. Fuit Ambroſius (ut Jovius refert) quod raro evenit, Vir ſingularis ſine oris triſtitia ſanctus, ſemper ſuavis & ſerenus, & ita procul à livore, contentionéque, ut Vallæ Pogium iratum reconciliare volens, eos neque literatos, neque Chriſtianos diceret, qui inducta ſimultate, ſacrum literarum decus probroſis libellis importunè defœdarent. Enim verò in Generalatu quomodo ſe in adminiſtratione ſuæ Camaldulenſis Reipublicæ gerere deberet animadvertens ex lectione Socratis, ubi, ſeditionibus ceſſantibus unam veram eſſe Civitatem laudaſſe legerat, & legum latores, nîl magis, quàm concordiæ, & amicitiæ civium ſtudere debere. Hinc ad Monachos, ſicuti unaquæque familia ſe habebat, à Philoſophi diſciplina Ethicorum nîl recedens, ex duabus vitis ſupremam eſſe contemplativam, utpote, quæ competit homini viventi ſecundùm virtutem mentis ſpeculativæ, quæ eſt propria Monachimi Philoſophia, nunquàm prædicare deſinebat, ad eam amplexandam ignitæ charitatis facibus eos usquequaq; hortando. Addebat ad Prælatos, qualiter Plato, eos qui habent infuſum aurum, ſcilicet, Prudentiæ, Sapientiæ, ac virtutis Reipub. principari debere monimenta dederit, qui verò argentum in ſecundo gradu cuſtodire, & qui æs vel ferrum artifices, aut agricolas exiſtere. Quapropter quales ſe exhi-

exhiberent probè in interiori homine eos conſiderare perſuadebat; & ſic unumquemq; Politiæ, & œconomiæ vacare, ut morum, & rei familiaris doctrina, & demum omnis integra religioſa Diſciplina nullibi deeſſet, quibus pueri maximè formari queant. Tantum ſua induſtria effecit, ut loca plurima, quæ paulò ante collapſa fuiſſent, mox ſub ejus auſpiciis quaſi de integro, & à fundamentis inſtaurata viderentur: quemadmodum ex variis Epiſtolis elici poteſt. Pertulit ut bonus & æquus judex, multa adverſa non ſolum in ſacra Eremo, ſed in ſuo, & aliis Cœnobiis, prout ex commentariis liquet, usque dum mors extinxit invidiam, res ejus geſtæ & ſcriptæ cum Innocentia vitæ ſempiterna Nominis gloria nituntur.

CAPUT XXXVIII.

Vita Maphæi Gerardi Venetiarum Patriarchæ & Cardinalis ex ſacro Ordine Camaldulenſium.

Frater Petrus Delphinus humilis Monachus, & Camaldulenſis Ordinis Generalis, indignus, Antonio Contareno Patriarchæ Venetiarum S. P. D.

REquiſivit me per internuntium Dignatio tua, ut cùm olim fuerit colendiſſimus Patriarcha Maphæus Gerardus Anteceſſor tuus in noſtro Camaldulenſi Ordine Profeſſus, atque in Cœnobio S. Michaëlis Murani multos vixerit annos: ſummatim ei ſignificem, quid quid de vita & moribus ejus agnoſcerem. Ego verò, ut ſcias cum occaſione Generalatus diutiſſimè abeſſe mihi Venetiis contigerit, proculq; ab eo per multum temporis in Etruria vitam duxerim; haud plenè mihi videor poſſe piiſſimis votis tuis ſatisfacere. Hinc cùm totius

vitæ ejus seriem propter absentiam meam certiùs describere nequeo, duo tantùm tempora complectar: quibus domesticus ejus fui, & familiari ejus contubernio usus sum. In iis quæ fuerit vita Patris nostri, qui mores ac studia, fidele testimonium perhibebo Dignationi tuæ; ac de integritate, & sanctimonia ipsius, quæ mihi occurrerint religiosè ac verè commemorabo. Siquidem ab eo ad Religionem admissus, quo tempore ipse huic Monasterio præerat, annis sex sub ejus Magisterio institutus, atq; educatus sum. Deinde post adeptum Patriarchatum; quo Senatus Venetus suis suffragiis dignissimum Maphæum judicavit: cùm promotus ad Cardinalatum iturus esset in Urbem, persuasus ego ab Amicis conveni ipsum Romæ, fuique apud illum usque ad extremum vitæ diem. Itaq; ut ab eo tempore incipiam, quo primum sub ejus disciplina instituendus me ad Cœnobium contuli; præfuerat Abbas Monasterii S. Michaëlis annos sedecim, erat enim vetus loci consuetudo, ut perpetuus Abbatibus Magistratus demandaretur. Quantùm verò in Religione privatus fuerit Monachus non satis novi, nisi quod jam adolescentiam excessisse, atq; adultus è sæculo vocatus ferebatur. Ut idcirco meritò existimandum sit; ipsum mature consilio hoc præcipuè Monasterium elegisse, ut eò ferventiùs redderet Altissimo vota sua: quo districtiùs instituti Monastici in illo propositum servabatur: idque potisimum cura, & vigilantia Patris optimi, atq; vigilantissimi Pauli Venerii Abbatis, qui singulari Religione ac pietate per septem ac quinquaginta annos in administratione loci perseveravit. Hujus tanti Viri provocatus exemplo Gerardus, adeò constanti gressu illius sequenda vestigia semper putavit: ut post Pauli obitum in locum ejus surrogatus, non solùm conservandum eundem vitæ rigorem, quem invenerat, verùm etiam agendum decrevit. Referebant mihi tunc Seniores Monasterii; ipsum sine intermissione studiosissimum fuisse Monasticæ observa-

serva-

ſervationis, ſemperq; eundem ſe exhibuiſſe in cuſtodia regulæ, neq; aliquid ab ea, ſive ad dextram, ſive ad ſiniſtram declinâſſe, quemadmodùm & ego progreſſu temporis cognovi. Nihil adeò in illo admiratus ſum, quàm perſeverantiam ipſius haud minùs in rebus exiguis, & quæ ad ceremonias tantùm Ordinis pertinerent, quàm in reliquis quæ majoris forent difficultatis, ac momenti, ſi quis eum in Choro imprimis, & Refectorio contemplatus fuiſſet, pariter & in congreſſu Monachorum conſiderâſſet, nihil eo in moribus elegantiùs meritò fateretur. Ad ea verò, quæ potiora exiſtimantur, in Religione, & graviora, ac laborum plena, utpote vigiliæ, jejunia, ſilentium, ſolitudo & cætera id genus, quis ore, Maphæo vigilantior? qui ne una quidem nocte divino cultui in templo defuit, media nocte ad matutinam ſynaxim par totum anni circulum ſive hyme ſive æſtate ſurgebatur, ipſe aut primus ſemper, aut inter primos conveniebat. Abſtinentiam in eodem laudare, cibiq; ac potûs parcitatem ſuperfluum duco: quandò jejuniorum obſervatorem accuratiorem, & deliciarum contemptorem parem illi noverim neminem. Nunquam revera vidi aliquem, qui vino parciùs uteretur. In veſtitu ſordes vitavit, nullum tamen veſtimentum unquàm luxu conſpicuum detulit, ſacræ ſcripturæ lectione delectatus aſſiduè orationi vacabat. Et hic ei ſemper mos fuit; ut poſt vigilias nocturnas, aliis abeuntibus, ipſe ſolus in Choro aliquamdiu remaneret. Sermo ei fuit parcus & gravis, ſemperq; ab omni levitate abhorrens, ſciensq; in multiloquio non deeſſe peccatum, cavebat pro viribus longiores confabulationes. Idcirco ſtudioſè ſe in Cella continebat: nec inde facile egrediebatur; niſi cum ei ex officio rebus Monaſterii conſulendum foret. Conabatur Pater optimus magis facto, quam verbo ad bene ſancteque vivendum ſuos provocare Filios, caſtigans quotidie & ad ſervitutem redigens. Miſericordiam verò & pietatem, Eleemoſynarum

narum

narum largitionem in eo, quis dignè ſatis laudibus efferat? Erat ipſe quidem robuſto, ac vegeto corpore, & qui rariſſimè mala aliqua infirmitate corriperetur. Neſcio tamen an alium noverim, qui illo extiterit erga infirmos, ac debiles clementior, quos nimirum & crebra viſitatione ſolabatur, & omni fovebat miniſterio charitatis. Egenos, & inopes, aut aliqua calamitate oppreſſos pro redditụum mediocritate promptiſſimè ſublevabat, quem erga pauperes affectum nunquàm ipſum etiam in Patriarchatu exuiſſe affirmant. Verùm de iis quæ in Olivolenſi dignitate geſſit, non defuturos Dignationi tuæ certiores, ac veriores teſtes arbitror. Neque enim facilè latere potuit lucerna ſuper candelabrum poſita. Hoc tantum dixerim, quòd quotiescunque contigit mihi Patriam reviſere, adivi illum ſæpiùs, neque deprehendi aliquid apud ipſum, quod non ſanctiſſimi Præſulis Religionem, modeſtiam, humilitatem, benignitatem præſeferret. Neminem de eo referentem audivi, niſi quæcunq; vera, quæcunq; pudica, quæcunq; juſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, niſi, quæcunque de optimo Antiſtite ſancto, innocente, impolluto, & ſegregato à peccatoribus relatu digna videntur. Venio nunc ad explicanda noviſſima Juſti hujus, & ad commemorandam ejus dormitionem, quæ profectò vitæ ipſius piè atque innocenter actæ optimè reſpondiſſe judicanda eſt. Defuncto Innocentio VIII. Pontifice Max. accerſitus eſt Romam, Reverendiſſimus Patriarcha à ſacro Cardinalium Collegio, interfuturus electioni novi Paſtoris, ſuadente Illuſtriſſimo Domino cum feſtinatione iter arripuit. Inſecutus ſum ego ipſum continuò, admonitus per literas Venetiis allatas, ut ita facerem ſicut prædixit, eò quod ad hoc me Dominium hortaretur, ut ipſum in Urbem deducerem: & ne ſuperfluè longiorem recenſeam hiſtoriam, quandò ad rem noſtram minime attineat, quomodò videlicet à Reverend. Cardinalibus fuerit ex-

exceptus, jussusque sedere cum Principibus, & tenere solium gloriæ. Suffecto in locum defuncti Alexandro sexto Pontifice: paucis interjectis diebus accepto ab eodem Pontifice commeatu redire ad Olivolensem Ecclesiam suam constituit. Et cum sive fatigatione longioris viæ, seu agitatione Sellæ gestatoriæ, qua parum commodè portabatur, senex ac plenus dierum sistere profluvium haud facile posset, nam gravissimè dissenteria laborabat, ultra Interamnam nobis progredi non licuit, accersiti sunt continuò Medici tres, quos benignè contemplatus, animo intrepido exhortatus est, ut si agnoscerent infirmitatem eam esse ad mortem, sibi apertè denunciarent, quoniam si advenisset hora sua, qua statutum esset homini semel mori, quam libentissimè demigraret. Commendabat seipsum Domino, & molestias ægritudinis ferens patientissime, nihil de terrenis cogitans, nihil loquens, sed erecto tantùm animo ad Cœlum, nihil magis videbatur expetere, quam transire ad immortalitatem. Tandem animadvertens se viribus corporis indies magis destitui, expetiit Confessarium pridie illius diei, quæ illi futura erat novissima; postulavit deinde à me, ut sequenti die commun icandum se curarem, tanquàm prænosceret dissolutionem sui corporis imminere. Igitur postera die, quæ erat quarta decima ejus mensis, quæ est exaltationi S. Crucis Dominicæ dedicata celebrata summo mane in cubiculo Missa, de manibus meis sacrosanctam Eucharistiam singulari devotione percepit: post meridiem appropinquante Vitæ termino, dari sibi extremam voluit Unctionem, ut cunctis Ecclesiasticis Sacramentis munitus confidentiùs decederet. Quod & factum est, eodem nobiscum submissa voce respondente ad omnia, quæ à Ministro Unctionis dicebantur. Et ut certiùs noverit Pietas tua, ad ultimum usque spiritum infirmum senem sensu optimo viguisse, eadem ferè hora, qua erat migraturus super veniens Roma Secretarius Oratoris Veneti,

ab

abeo ad lectulum admissus est, & cum ipso aliquamdiu collocutus, miratum se (ut postea nobis retulit (quod ad propositiones omnes sapientissimè respondisset, denique egresso Secretario ingressi sumus cubiculum, ubi ego assistens propiùs jacenti Patri, licet quantùm me vivens dilexisset non ignorarem, etiam novissimâ illâ sui horâ expertus sum. Nam cum supinus jaceret ad me conversus, admoto ad collum meum brachio suo, tanquàm ultimum vale dicens, deosculatus est me. Eodem fere momento accersitis diversorum Ordinum Religiosis, ac lectulum circumstantibus, & pro felici jacentis migratione nobiscum deprecantibus, ipsumque de more Deo commendantibus, obdormivit in pace. Reliquit nobis magnum sui desiderium, quibus nihilominùs benè moriendi normam præscripsit, obiit septimo, atq; octuagesimo ætatis suæ anno. Corpus ejus ex Interamna Urbe Venetias delatum est, ac exhibitis priùs solemnibus exequiis apud S. Petrum sepulturæ traditum fuit honorificentissimè. Hæc habui Domine colendissimeque quæ de optimo Patre nostro, & Abbate, postea Patriæ nostræ Antistite prædecessore tuo, novissime verò ad Cardinalatus Dignitatem assumpto, Maphæo inquam Gerardo Patritio Veneto censui transcribenda. Erit mihi pergratum, si aliqua ex parte satis fecero tuæ Dignitati, sin minùs, tibi ipsi imputabis, qui scriptori minime idoneo Patriarchæ eminentissimi (qui in diebus suis placuit Deo & inventus est justus,) merita literis tradenda mandasti, & supra Vires ejus onus imposuisti. Vale ex Monast. S. Mich. 1515. 29. Novembr.

O. A. M. D. G.

FINIS.

Errata Typographica ſic corrige.

IN PARTE PRIMA.

§. turgentiâ *lege* turgentia. §. 2. amqlius *lege* ampliùs. memor atæ, *contrahe & lege* memoratæ. reveraadeò *lege* reverà adeo. Rtverendiſſimo *lege* Reverendiſſimo. §. 3. minimùm *lege* nimiùm. §. 4. aſpitito *lege* aſpicito. conſiliis *lege* conſilii. Monaſtetium *lege* Monaſterium. ad volveret *fol.* 13. *lege* advolveret. æternum *fol.* 22. æternam. canditus *fol.* 24. *lege* candidus. incutero *fol.* 26. *lege* incutere. nunc *bis ſcriptum.* Margarithæ *fol.* 28. *lege* Margaritæ. mens *fol.* 29. *l.* meus. pernitioſa *fol.* 31. perniciosa. Obſtuliſſent *fol.* 32. obtuliſſent. ad veniſſet *fol.* 32. *contr. & lege* adveniſſet. delicatoribus *fol.* 32. *l.* delicatioribus. imò deratam *fol.* 33. *lege* immoderatam. adoratis *fol.* 35. *lege* odoratis. oblti *fol.* 35. *lege* obliti. ſuffertet *fol.* 38. *lege* ſufferret. triſtiæ *fol.* 40. triſtitiæ. ſratri *fol.* 42. *lege* fratri. ſrequenter *fol.* 42. *l.* frequenter. ſibi *fol.* 43. *l.* ſibi. muſas *fol.* 37. *l.* muſcas. ferentet *fol.* 48. *lege* ferentes. inſiſtoret *fol.* 48. *lege* inſiſteret. ſacerent. *fol.* 48. *lege* facerent. ſactum *fol.* 48. *l.* ſanctum. grademio. *fol.* 50. *lege* gradenico. contuplum *fol.* 51. *lege* centuplum. altorum *f.* 52. *lege* alterum. pecuvia *fol.* 52. *lege* pecunia. abjectum *f.* 53. *lege* abjectam. ſit *fol.* 60. *lege* ſit. amabus *fol.* 62. *lege* animabus. munera *f.* 62. *l.* munere. convitia *fol.* 63. *lege* convicia. ſcicut *fol.* 63. *lege* ſicut. impedunt *fol.* 68. *lege* impetunt. tenens *fol.* 71. *lege* teneas. ſrequentia *fol.* 72. *lege* frequentia. ſuperſtioſas *fol.* 72. *l.* ſuperſtitioſas. admitatur *f.* 73. *lege* adnitatur. Eremicam. *f.* 74. *l.* Eremiticam. excuberante *fol.* 75. *lege* exuberante. ex cuſſit *fol.* 76. *lege* excuſſit. æquitabat *fol.* 77. *lege* equitabat. ant. *fol.* 77. *lege* aut. ſectetute *fol.* 78. *fol.* ſenectute. fragilitatem *fol.* 79. *lege* fragilitatem. repiebat *fol.* 82. *lege* rapiebat. ſaltaris *fol.* 83. ſalutaris. Anteſignamus *fol.* 87. *lege* Anteſignanus. animæ *fol.* 85 *lege* annuæ. ſixis *fol.* 88. *lege* fixis. Experiantiam *fol.* 91. *lege* experientiam. elargius *fol.* 92. *lege* elargitus. inicere *fol.* 95. *lege* injicere. non *fol.* 96. *lege* nonne. reaſumpſit *fol.* 98. *lege* reaſſumpſit. duo *fol.* 100. *lege* duæ. obſequntur *fol.* 100. *lege* obſequuntur. hunc *fol.* 100. *lege* hanc. inenarabili *fol.* 101. *lege* inennnarrabili. gaudi

X *fol.*

fol. 103. *lege* gaudio. alis *fol.* 104. *lege* aliis. Martyriis *fol.* 105. *lege* Martyris. loctoris *f.* 105. *l.* lectoris. infelicies *fol.* 107. *l.* infelices. Regia *f.* 110. *l.* Regio. circuerunt *f.* 112. *l.* circuierunt. destribuit *f.* 113. *l.* distribuit. desummere *f.* 113. *l.* desumere. sedet *f.* 114. *l.* sed & exigentiæ *f.* 114. *l.* exigentia. revertenter *f.* 116. *l.* reverenter. apulisse *f.* 116. *l.* appulisse. volumnibus *f.* 117. *l.* voluminibus. solidora *f.* 116. *l.* solidiora. examine *fol.* 119. *l.* exanime. feceit *f.* 116. *l.* fecit. exolvit *f.* 120. *l.* exsolvit. conscentus *f.* 122. *l.* consecutus. solo *f.* 134. *l.* soli. asierentis *f.* 136. *l.* asserentis. additu *f.* 140. *l.* aditu. aacusabat *f.* 143. *l.* accusabat. solitdinem *fol.* 144. *l.* solitudinem. servat *f.* 144. *l.* servam. saculi *f.* 144. *l.* sæculi. ad ferat *f.* 144. *l.* adferat. efficiaque *f.* 146. *l.* efficaciaque. absre *f.* 146. *l.* abs re. quetaque *f.* 148. *l.* quietaque. fiilius *f.* 148. *l.* filius. senaitam *f.* 148. *l.* semitam. teritorio *f.* 149. *l.* territorio. mulituto *f.* 152. *l.* multitudo. oprrarii *f.* 153. *l.* operarii. aquiescens *f.* 153. *l.* acquiescens. apqropinguaret *f.* 153. *l.* appropinguaret. austetitatem *f.* 155. *l.* austeritatem. Apostolieæ *f.* 158. *l.* Apostolicæ. Beare *f.* 159. *l.* Beatæ. Etemitico *f.* 159 *l.* Eremitico. uxit *f.* 163. *l.* vixit. salare *f.* 166. *l.* solare. cernirur *f.* 170. *l.* cernitur. immaginem *f.* 172. l. imaginem. asuetus *f.* 172. *l.* assuetus. Equis *f.* 173. *l.* Et quis sactissimi *f.* 174. *l.* sanctissimi. Equid *f.* 174. *l.* Et quid. classensis *f.* 174. *l.* classenses. sæcula *f.* 174. *l.* in sæcula. vivæ *f.* 175. *l.* vitæ. prabe *f.* 178. *l.* præbe. contrstemini *f.* 192. *l.* contristemini. reliquiverit *f.* 194. *l.* reliquerit. ceruere *f.* 194. *l.* cernere. obedienria *f.* 195. *l.* obedientia. nsi *f.* 195. *l.* nisi. prædigia *fol.* 199. *l.* prodigia. Prosessores *f.* 200. *l.* Professores. datataque *fol.* 207. *l.* dotataque. Maiajestatis. fol. 207. *l.* Majestatis. Margaritha f. 211. *l.* Margarita. qost f. 212. *l.* post. Cathalogus f. 212. Catalogus. Sarcophagum aliquandò temeratum fol. 213. *l.* Sarcophagus aliquandò temeratus. Sarcophagum illud apertum f. 214. *l.* Sarcophagus ille apertus. matre f. 216. *l.* Matre. substentare f. 207. *l.* sustentare. tristrissimus f. 217. *l.* tristissimus. sopulchro f. 219. *l.* sepulchro.

In Prolocutione
PARTIS SECUNDÆ.

Fol. 1. Dinvinæ *lege* Divinæ. desolætio fol. 235. *l.* desolatio. gravissimum f. 235. *l.* gratissimum. hac inde f. 235. hinc inde. detritnentum f. 236. *l.* detrimentum. fol. 136. *lege* 236. decendenti f. 240. *l.* decedenti. generalis f. 236. *addatur* manibus. factô f. 247. *l.* fatô. derelicta f. 249 *l.* derelictæ. fol. 151. *lege* 251. genereretur f. 251. *l.* generetur. verissimus f. 254. *l.* verissimum. lascessere f. 254. *l.* lacessere. fol. 155. *l.* 255. quod f. 257. l. quot. donumque f. 261. *l.* domumque. fuum f. 262. *l.* suum. intentationibus f. 263. *l.* in tentationibus. ferò f. 264. *l.* ferè. fol. 165. *l.* 265. fol. 166. *l.* 266. memeum f. 267. *l.* meum. discendendi f. 267. *l.* discedendi. gatiis f. 270. *l.* gratiis. denceps f. 270. *l.* deinceps. deine f. 271. *l.* deinde. adima f. 275. *l.* ad ima. crepusculo f. 275. *l.* crepusculo. facularium f. 279. *l.* sæcularium. ausut f. 279. *l.* ausus. Diæcessis f. 280. *l.* Diæcesis. serviscum f. 283. *l.* servis cum. iterim f. *eod.* *l.* interim. interatas f. 294. *l.* iteratas. est f. 295. *l.* & unicarum f. 299. *l.* unciarum. vicino fol. 299. *l.* vino. dilutunur f. 301. *l.* diluuntur. malnm f. 304. *l.* malum. fervus f. 313. *l.* servus. ad eamus f. 315. *l.* adeamus. raparentur fol. 323. *l.* raperentur. per contatur f. 323. *l.* percontatur. in fortunium f. 324. *l.* infortunium. milibus f. 327. *l.* millibus. experietur f. 327. *l.* experiretur. lachymis f. 328. *l.* lachrymis. Frincisci f. 337. *l.* Francisci. deferto f. 345. *l.* deserto agir f. 351. agit. snncti f. *eod.* sancti. in fallor f. 352. *l.* ni fallor. genitu f. 356. *l.* gemitu. casinatibus fol 359. *l.* cassinatibus. Domnum 368. *l.* Dominum. potmisset f. 368. *l.* potuisset. indicaret f. 369. *l.* judicaret. provectiorit f. 370. provectioris. dicta f. 380. *l.* dictu. in cautus f. 384. incautus. ad navigavit f. 386. *l.* adnavigavit. hordeacium f. 387. *l.* hordeaceum. proposcit f. 389. *l.* poposcit. ferviret f. *eod.* serviret. accerrime. 389. *l.* acerrime. adductæ f. 392. *l.* adducta. âb f. 39. *l.* ob. matura f. 396. l. mature. Regie f. 399. *l.* Rege. morum f. *eod.* moram. Ventias f. 400. *l.* Venetias. dimorere f. *eod.* dimovere. forre. f. 402. *l.* forte. coquina f. 406.

coqui-

coquinæ. Xendochij fol. 408. Xenodochij. mia f. *eod.* mira. ſeulptum f. 409. ſculptum. dulciſſimum f. 412. dulciſſimam. decendente f. *eod.* decedente. omni f. 412. omnia. opreſſus f. *eod.* oppreſſus. quodam f. 414. quædam. flammineæ f. 427. flamminea. eliquentiæ. f. 428. eloquentiæ. Penitoribus f. 432. genitoribus. reſidienti f. 433. reſidenti. Ambroſius f. 436. Ambroſij. *ibidem* quarto l. quartò. volundate f. 439. voluntate. demore f. *eod.* de more. par. f. 461. per. hyme f. 461. hyeme.



